BIBLIOTHECA

SCRIPTORUM LATINORUM,

CURIS

VIRORUM DOCTORUM EMENDATA

ET

COMMENTARIIS INSTRUCTA,

CONSILIO

GOD. BERNHARDY

INSTITUTA.

PARS V.

C. CORNELII TACITI OPERA.

TOMUS II.

HISTORIAS, GERMANIAM, AGRICOLAM, DIALOGUM DE ORATORIBUS CONTINENS.

HALIS, 1847.

SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI.

C. CORNELII TACITI

O P E R A.

EMENDAVIT

ET

COMMENTARIIS INSTRUXIT

LUDOVICUS DOEDERLEIN.

TOMUS ALTER.

HALIS, 1847.
SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI.

PROLEGOMENA.

Caput I.

Narratio
de C. Cornelii Taciti vita scriptisque.

Natus est C. Cornelius Tacitus vel exeunte Claudii Caesaris vel incipiente Neronis imperio. De genere eius ac patria nihil comperti traditur. Interamna Umbriae oppido oriundum plerique credunt, quoniam centum et septuaginta annis post Tacitus imperator, origine Interamnensis, illum parentem suum dixerit eumque in omnibus bibliothecis collocari iusserit [1]). Ille Cornelius Tacitus qui eques Romanus Belgicae Galliae rationes procuravisse narratur [2]) num pater vel cognatus scriptoris fuerit necne, multo incertius est. Adolescens Romae egit Vespasiano imperante, studiis eloquentiae deditus. Igitur more Romanorum principes oratores prosequendi celeberrima tunc ingenia fori, M. Aprum et Iulium Secundum, non modo in iudiciis studiose audiebat, sed domi quoque et in publico assectabatur, mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperet [3]). Iuveni Agricola consul et Britanniae administrandae a Vespasiano destinatus filiam despondit

1) Flav. Vopisc. Tac. 10. 2) Plin. H. N. VII, 16. 3) Tac. Dial. 2.

ac post consulatum collocavit [4]). Et socer dum in Britannia tam pace tutanda quam gerendis bellis gloriam sibi parat, gener in urbe rempublicam capessere coepit, beneficio Vespasiani quaestor factus [5]). Auxit dignitatem Titus, incertum tribunatu an aedilitate. Sacerdotio quindecimvirali praeditus praetura fungebatur eo anno, quo Domitianus imperator ludos saeculares edidit [6]). Mox per quadriennium Roma afuit, sive pro praetore in aliquam provinciam missus, sive alia de causa peregrinatus, cum interim Agricola perdomitis Britannis Romam revocatus suo fato vel principis dolo interiit [7]). Et reversus in urbem inter patres erat, dum atrocius saevire Domitianus coepit et ipsius senatus ope Helvidium Priscum et Herennium Senecionem pervertit; ipse vero contumaciam pariter atque adulationem aspernatus per silentium discrimina temporis evasit [8]). Sed iam tunc fama ingenii longe lateque florebat, etsi nihildum librorum vulgaverat; ac ne forensis quidem opera sub Domitiano navata traditur: quanquam credibile est virum praetorium et eloquentiae studiosissimum foro non prorsus defuisse. Sed saepenumero factum est apud veteres, ut magna ingenia diu fama doctrinae fruerentur, antequam librorum editione meriti erant. Quippe ipsa nobilitate sua, posteaquam hominum expectationem privatis recitationibus et conversatione incenderant, ad vulganda ingenii monumenta compellebantur, secus atque hodie fieri solet, ut ignoti adhuc edendis libris gloriam sibi parare studeant [9]). Testatur illud ipsum de Tacito Plinius Epist. VII, 19. *Equidem adolescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi con-*

---

4) Tac. Agr. 6. 5) Tac. Hist. I, 1. 6) Tac. Ann. XI, 11. 7) Tac. Agr. 45. 8) Agr. 3. 9) Vid. Winckelmann. Opp. T. X. p. 68.

cupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia, sed tu mihi (ita similitudo naturae ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbare. Nempe historias iam tunc sub Domitiano conscribere et apud amicos recitare coeperat, editurus si quando per tempora liceret[10]. Et Tacitum haud dubie significavit Quintilianus, cum post recensum historicorum haec adiungit: *Superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, non imitatores, ut libertas, quanquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in iis quae manent* [11]). Scripta haec sunt aliquot annis ante interitum Domitiani.

Sed occiso Domitiano Tacitus statim eloquentiae documentum dedit palam ac publice; nam a Nerva consul suffectus in locum Verginii Rufi hunc ipsum e rostris ita laudavit, ut supremus felicitatis eius cumulus accederet, laudator eloquentissimus[12]); bienniοque post

---

10) Agr. 3. 11) Quintil. Inst. X, 1, 104. Quidam in his *Superest* intellexere tanquam significaret *superstes est*. Id quidem de Tacito iuvene etiamtum dici non potuisset. Sed apparet hoc illum voluisse: *restat ad commemorandum*. Praeterea labat circa verba *ut libertas ei nocuerit* explicatio. Nempe *ut* idem est quod *tanquam*, *quasi* ac prope *quoniam*, prorsus ut Tac. Ann. II, 35. III, 9. Cic. Orat. 9, 31. Sensus est: „Restat unus; quem dicam omnes intelligunt, etiamsi non nomino. Et habet is qui „ament talem scribendi libertatem, non qui imitentur; metuunt „enim invidiam, quasi Tacito illa libertas invidiam contraxe„rit, quam non effugerit, etsi ad evitandas offensiones circum„ciderat, quae si liceret dixisset.“ Quippe in recitandis historiarum particulis quaedam illustrium hominum flagitia non potuerat quin commemoraret. Corrupti nihil inest in verbis; nam *imitatores ut* optimus Turicensis exhibet. — Sed sunt qui Tacitum a Quintiliano significari pernegent; inter quos Landfermannus Progr. Duisburg. 1836. [Adde dubitationes ab Eckstεinio diligenter exprοmptas Prolegg. in Dial. de Oratoribus a. 1835. p. 17. 18.] 12) Plin. Ep. II, 1.

Africanis cum Plinio affuit, Marium Priscum proconsulem repetundarum accusantibus [13]). Simul scripta etiam edere properavit, postquam Nerva imperante securitas publica et animus redire coepit.

Ac primum omnium Agricolae vitam vulgavit soceri. Eam scripturam laudationis vice fungi voluit, quoniam viri illustrissimi exequiae quadriennio ante defuncti eo honore caruerant ob generi absentiam. Et hanc ipsam officii et pietatis dilationem excusavit praefatione, quoniam florente Domitiano intutum fuisset magnum virum, nedum Caesari suspectum laudare; veniam sibi scribendi expectandam fuisse, tandem datam interitu Domitiani et Nervae principatu [14]). Simul praecursorius libellus futurus erat, quo historias iam tunc scriptas adnuntiaret. Nulla Tacito ad hanc soceri vitam conscribendam opus erat doctrina; quoniam satis erat referre quae ex ipsius ore audierat; nisi quod in describendo Britanniae situ respectum habuit Livii et Fabii Rustici, sed ita ut corrigeret eos potius quam auctorum loco haberet. Ipse Britanniam non viderat, quamquam fuere qui hoc statuerent, dum c. 24. *Saepe ex eo audivi* ad ipsius aliquod cum regulo Hibernico colloquium referunt, non ad Agricolae sermonem [15]).

---

13) Plin. Ep. II, 11. 14) Agr. 1. Sed ita demum haec vera sunt, si probabitur emendatio nostra: *venia opus fuit quam non spectavissem.* Librorum scriptura *petissem* exercuit ingenia Walchii, Niebuhrii, Rothii, aliorum, quibus omnibus ut suam quisque *petitae* illius *veniae* interpretationem probarent longa demonstratione opus fuit; ac tamen si verum vidissent, hoc efficeretur Tacitum a posteris sua ipsum verba intelligi prorsus noluisse; ita obscura et ambigua forent. 15) Fuere qui hunc libellum ut perfectissimum vitae exemplar laudibus extollerent, ut Walchius; quos contra extitit nuper cui tam multa deesse, tam multa abundare, tam multa male narrari visa sunt, ut Tacito talem vitae compositionem iudicaret indignam et magni scriptoris imitatori tribueret. Unus is est

Proximo anno, Traiano haud dubie imperante, librum de Germania evulgavit. Ac tempus quidem ipse scriptor dubitationi exemit omni: *Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus; ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur* (cap. 37.). Contra quo consilio scriptus sit is libellus multi varie disseruere. Quidam non singularem et proprium libellum esse aiunt, sed particulam et digressionem ex Historiarum libris deperditis olim excerptam [16]).

Pauci, credo, assensi sunt. Ut taceam libelli ambitum, qui longissimas Thucydidis, Sallustii, Livii digressiones quadruplo exsuperet, quis credat Tacitum posteriore demum aliquo libro ad describendos Germanorum mores evagari voluisse, postquam prioribus libris bellum Germanicum Civilis enarravisset?

Non maiorem plausum *Ludenii* tulit suspicio [17]) asseverantis, non libellum esse arte compositum et a Tacito evulgatum, sed rudes silvas ab eodem passim collectas chartaeque mandatas, unde aliquando libellum elaboraret, easque nescio cuius opera e scriniis

---

Iulius Held, Commentatione de Cn. Iulii Agricolae vita quae vulgo Cornelio Tacito assignatur. Suidnici 1845. Satis huic responsavit Halmius in Annall. Heidelb. 1846. —

Codex optimus habetur Vb, id est Vaticanus 3429, multo deterior Va, id est Vaticanus 4498, uterque pridem opera Broterii, nuper diligentius Dronkii procuratione collatus. Ille vero codex, quem Puteolanus edendo Agricolae adhibuerat, delituisse vel deperiisse credendus est. Antiquas editiones significavimus litteris AE. Seorsim edidere Agricolam post multos alios L. Walchius cum commentario uberrimo Berol. 1820. et C. Rothius cum excursibus Norimb. 1833. 16) Ulr. *Becker* Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania. Hannover 1830. 17) *Luden* Gesch. des deutschen Volkes T. I. p. 696.

Taciti protractas et in lucem editas. Contra clamant res, ordo, elocutio eiusdem libelli. Primum res; nam vel illa exclamatio c. 33. *Maneat quaeso duretque gentibus si non amor nostri at odium sui* et quae alia cum affectu quodam scripta leguntur, plane abhorrent a similitudine silvarum et farraginis. Deinde ordo; in quo non video quid iure possit desiderari vel ab eo, qui non alias descriptionum quam commentationum aut historicorum quam philosophantium leges in disponenda materia esse statuit. Separata enim sunt ea quae de universa Germanorum gente dicenda erant, a singularum nationum descriptione. Priore in parte primum fines Germaniae, originem incolentium, speciem soli coelique, denique quicquid ad naturam rerum refertur pertractat, arte quadam a metallis (cap. 6.) transiens ad arma, ne hiatu quodam agnoscatur novae partis initium; nam armaturae genus pars est publicarum rerum, quarum adumbrationem subiuncturus erat. Non alia arte sub finem rei bellicae cap. 8. commemorat sanctitatem feminarum plurimum ad illa ipsa bella valentem, unde lenissimus ad res sacras transitus. Sed ad civiles res subito transcurritur (cap. 11.), ad conciliorum, concionum, iudiciorum instituta, ad principum comitumque iura. Quodsi in harum rerum expositione iterum de re militari mentio fit, non ideo turbatur ordo vel dirimuntur quae coniungenda fuerant. Nam haec omnia eo spectant, ut principum dignitas illustretur, non ratio pugnandi. Tum (cap. 15.) ad mores et privatam disciplinam pervenitur, ad habitationes, vestitum, matrimonia, ad ius hereditarium, hospitale, ad voluptates, servos, funera, quae omnia ita inter se coniuncta sunt, ut trahere unumquidque videatur id quod cuique subiungitur. Porro altera parte dum inde a cap. 28. singulas nationes enumerat, primum sequitur Rhenum, deinceps a cap. 41. Danubium. Et promiserat scriptor quae singula

executurus esset, et est executus; ut ratio artis in omnibus ac nihil fortuitum agnoscatur [18]). Quodsi passim peccare videtur scriptor adversus ordinem sententiarum vel adeo secum ipse pugnare, librariorum id vitio factum est, verba vel enunciationes oscitanter traiicientium. (Vid. in c. 21. 24. 28. 36. 45.)

Postremo elocutioni tantus talisque ornatus est adhibitus, qualis silvas tantum congerenti inutilis et ineptus videri debebat. Nam ipsa illa singularum enunciationum brevitas non tumultuariae rudisque scriptionis, sed quaesitae artis est documentum, qua Senecae exemplum auribus illius saeculi accommodatum aemulari voluit. Et est sane id genus scribendi descriptioni tam idoneum et proprium quam periodi dissertationibus et narrationibus.

Ceterum si certum est, peculiarem elaboratumque haberi libellum Taciti, quaeritur quo consilio hoc argumentum sibi sumpserit. Non otiosa sane illa quaestio est reputantibus, plerosque scriptorum Romanorum secutos aliquid esse dum historias scriberent, non delectationem sed utilitatem. Igitur multi ideo Germanorum mores descripsisse Tacitum opinati sunt, ut Romanis exemplum proponeretur boni moris, quo ipsi uterentur ad suos mores emendandos. At puero rerum imperito similis fuit Tacitus, si illud fieri posse credidit, ut Romani voluptatibus ac libidinibus omissis ad virtutem barbarorum amplectendam impellerentur. Iam vero si credidisset, prave exsecutus esset, quod susceperat prave. Nam vitia plura etiam quam virtutes recenset Germanorum, et ita quidem, ut nullum ex illis vitiis vel fuco obducat vel excusatione minuat. Pudicitiam feminarum, fidem et hospitalitatem virorum, quarundam nationum etiam ferociam col-

---

18) Nonnulli extremam libelli partem deesse censuerunt, quibus responsum est nota ipsi fini addita.

laudat; intra haec fere laudatio stat; at incusat eorundem inertiam, vinolentiam, ceterosque mores nullo studio, nedum admiratione prosequitur. Multis locis aperte, multis tectius Romanorum mores perstringit comparatione Germanorum, avaritiam, adulteria, luxuriam, heredipetarum vitia, libertinorum potentiam; non tamen ita assidue ut hoc ipso consilio scriptum libellum dicas, cuius plurima pars ne locum quidem tali comparationi aperiat.

Igitur hac opinione impugnata *Franc. Passovius*[19]) novam protulit, tanquam Tacitus securos de barbaris istis gentibus Romanos admonere voluisset, demonstrando quam difficiles eaedem essent debellatu, et quanta a ferocissima earundem gentium virtute imperio Romano imminerent pericula. Sed ne id quidem credibile est comparanti ea quae scripta sunt cum illis quae scribenda erant, ut metus quidam salutaris legentibus et securis incuteretur. Bellicosi sunt, inquit. Enimvero id nec novum et inexpertum fuit Romanis nec horrendum. Concordia potentes esse eosdem oportebat, si terrori populo Romano futuri erant. Atqui nihil de consensu gentium, nihil de odio Romani nominis; perpauca de re bellica; ac ne lacerari quidem inter ipsos discordia celat, quasi contrarium agens consolari Romanos voluerit. Plurimus contra est in describenda disciplina privata, quae quid pertinuit ad metus faciendos?

Veram iudico *Hoffmeisteri* [20]) sententiam, sanitate et simplicitate quam sagacitate et subtilitate splendidiorem. Maxime idonea erat ad delectandos morandosque lectorum Romanorum animos accuratior Germanicae gentis cognitio, quae tot victoriis cladibusque mutuis, veteribus, recentibus, incluta esset, adhuc in-

---

19) Vid. Philomathie ed. Wachler T. I. p. 41. 20) *C. Hoffmeister*, die Weltanschauung d. Tacitus p. 202 sqq.

victa, finitima Italiae et vario cum Romanis coniuncta commercio ad Rheni Danubiique ripas; si qui Germani homines Romam venerant, corporum specie omnium oculos advertere solebant; denique barbarorum maxime memorabiles habebantur. At pauci urbanorum viderant Germaniae proxima, pauciores interiora. Et augebatur curiositas recenti recordatione falsi triumphi, quem Domitianus egerat, et expectatione redintegrandi adversus invictum populi Romani hostem belli, postquam Traianus rerum potitus erat. At cognoscendi cupidis deerant libri. Quae Iulius Caesar olim et Livius de Germanorum moribus scripserant, ea intervallo tam longo obsoleverant, et si qui post eos idem argumentum tractaverant, ut Pomponius, Mela et Plinius in bellorum Germanicorum libris viginti, ii amoenitati parum consuluerant; iam vero Strabo ne Latine quidem scripserat. Ergo arrectis ad eam scientiae partem plurimorum animis Tacitus offerre statuit libellum, quo et erudiret discendi cupidos relatu et delectaret eosdem crebro Romani moris respectu et comparatione, si praesertim eos quoque locos, qui natura sua ieiuni et aridi essent cognitu, novo dictionis genere et luminosa sententiarum frequentia exornasset.

Unde hauserit ea quae scripsit, non liquet. Ipsum in Germania peregrinatum esse ii demum augurati sunt, qui illum Belgicae procuratorem Taciti patrem fuisse statuerant. Ipse spectatorem se ac testem eorum esse quae traderet, nusquam significavit, professurus haud dubie, si fuisset, ut separaret ea quae ipse vidisset audissetve ab illis, quae fando legendove sciret. Auctores autem quos sequeretur non nominavit praeter Caesarem (c. 28.) *memorant*, inquit, vel *opinantur* (ut c. 3. 43.), scilicet ne nimia diligentia demoraretur lectores; nam accuratae doctrinae et sagacitatis in diiudicandis rebus dubiis laudem omittit ac paene depre-

catur extremo c. 3. Plinium et Strabonem agnoscas c. 45. quanquam in re communis notitiae.

Ipso Taciti libello nemo fere popularium qui post de Germanicis rebus scripsere pro testimonio usus est, praeter unum Cassiodorum, qui cum Epp. V, 2. de succino scribens his verbis usus sit, *quodam Cornelio scribente*, dubium videri potest num Tacito an alii et obscuro Cornelio libellum tribuerit. Nam qui *quondam* emendari iusserunt adverbium inutile inculcant. Contra scriptores historiae Augustae, Ammianus Marcellinus, Orosius, Iornandes, Paulus Diaconus, etsi partim reliqua Taciti scripta norant et respiciebant, de Germania eiusdem ita silent tanquam extare ignorent. Non tamen plus hinc colligas quam hoc, non pari fama et auctoritate illum libellum celebratum esse ac maiores libros. Ac sane passim fides deroganda est iis quae in Germania leguntur, comparatione illorum quae idem scriptor de iisdem in Historiis vel Annalibus aliquanto post compositis narravit. Multa eum interim addidicisse, multa rectius didicisse de Germanorum rebus manifestum est; ex quo genere non pauca collegit Ulr. Beckerus l. l.[21]).

Historias etsi pridem et superstite Domitiano conscribi coeptas, Traiano demum imperante editas esse ex eo cognoscitur, quod Nerva *divus* appellatur. Complectebantur res Flaviorum; sed quo rectius intelligeretur, quibusnam imperii Romani casibus adiutus rerum potiri potuisset Vespasianus, a Galbae, Othonis, Vitellii imperiis ordiundum videbatur. Qui supersunt

21) Codices hunc de Germania libellum continentes hi fere sunt: T vel Turicensis, S vel Stuttgardiensis, H vel Hummelianus, F vel Farnesianus sive Neapolitanus, VV vel Vaticani quattuor, ad quos nuper accessit P vel Perizonianus a Trossio inspectus. Seorsim edidere Germaniam cum multi alii tum novissime Dor. Gerlach cum commentariis Basil. 1837.

quatuor libri cum initio quinti non longius pertinent quam ad initia Vespasiani; sed extitisse conscriptas et evulgatas etiam Domitiani res imperatoris ipse testatur Ann. XI, 11. *Utriusque principis rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res Domitiani composui.* Et quattuordecim omnino historiarum libros fuisse credibile est. Scribit enim Hieronymus Comm. ad Zachar. 16. *Cornelius Tacitus qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.* Nempe Hieronymi exemplum, sicut in editione Spirensi factum est, Historias cum Annalibus tanquam unum et continuum opus complectebatur. Cum autem Annales sedecim libris etiamnunc constent neque plus quam alteram novissimi libri partem interiisse credibile sit, Historiarum ambitui quattuordecim libri relinquuntur. Quanquam talis computationis ratio sic demum constat, si Hieronymi voluminibus singulis singuli libri continebantur. Ex Historiis et Vespasiani principatu unum illud quod habetur fragmentum repetitum videtur apud Orosium VII, 3. *Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu, aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium*[22]). Postquam Historias scribendo absolvit, tertio fortasse anno postquam Traianus imperium suscepit, Annalium composuit libros sedecim vel Caesareae domus fata post Augusti obitum. Media pars qua Caligulae principatus Claudiique primi anni narrati erant, interiit; alii libri mutilati vel foede lacunosi sunt. Edidit Tacitus non paucis post Historias annis, nec prius quam posteaquam Traianus promoverat imperii fines rubrum ad mare, id quod a. u. 868. est factum. Documento ha-

22) De codicibus tam Historiarum quam Annalium in Praef. T. I. p. XI. dictum est.

betur locus Ann. II, 61. *Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.*

Quaesitum est cur alteri operi *Historias* inscripsisset Tacitus, alteri *Annales.* Hos quidem ipse Tacitus *Annales* vocat Ann. III, 65. IV, 32. et 71. XIII, 31. *Historias* autem, ab ipso nusquam appellatas, hoc nomine significat Plin. VII, 33. *Auguror historias tuas immortales fore.* Et Tertullianus Apolog. adv. gent. 16. *Tacitus in quinto historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis.* Nempe ipsa opera ita inter se diversa sunt ut Sallustii Historiae et Annales Livii, nec dubitandum quin utriusque scriptoris exemplum Tacitus sit secutus. Nam Sallustius annos duodecim Sullanam dominationem proxime secutos ita conscripserat, ut praeter certamina principum illius aetatis nihil memoraret, nihil respiceret. Narratio erat simplex duntaxat et una. Non aliter Tacitus, si tamen ex principio operis etiam deperditas eiusdem partes aestimare licet, primum Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani pro imperio bella refert, donec ad constantes Flaviorum principatus pervenit, nihil illa curans quae, quamvis per se memoratu digna, ab hoc argumento erant aliena, ut portenta, inundationes, virorum illustrium mortes. Contra Livius, quem *Annalium*[24]) nomen libris suis imposuisse multo credibilius est quam quod vulgatur *Historiarum*, res populi Romani tradiderat per annos dispositas, anxie curans ne quicquid singulis annis memorabile accidisset interiret. Specie et ordine priscis annalibus Pontificum simile esse voluerat opus suum, arte tantum et ubertate et

---

23) Vid. *Niebuhr* über den Unterschied zwischen Annalen und Historie, in Mus. Rhen. II, 2. p. 284. 24) Vid. XLIII, 13. In antiquissimis Livii MSS. nec *annalium* nec *historiarum* nomen legitur sed *ab urbe condita.*

delectatione superiores. Eandem formam Tacitus retinuit suis in Annalibus. Refert enim res gestas, secundum genera quaedam distinctas. Ac plerumque quidem orditur a rebus externis, a bellis, foederibus, consiliis adversus exteros; tum transit ad ea quae in senatu acta sunt de rebus intestinis, de iudiciis habitis, de legibus latis; postremo subiungit eventa fortuita, ut calamitates publicas, obitus illustrium hominum, aedificationes, alia id genus. Hunc igitur plerumque ordinem servavit, ita tamen ut immutaret eundem, quoties arti conduceret. Nam arti tantum tribuit, ut aliquoties etiam ea quae diversis annis gesta erant, coniungeret, ut Ann. XII, 40. XIII, 9.

Nec ambitu et rerum ubertate singulos annos inter se similes esse voluit, sed annos rebus memorabilibus opimos copiose exponit, inopes rursum rebus in artissimum contrahit. Nihil tamen ne in annales quidem recepit nisi quod ad mores hominum vel saeculi denotandos pertineret; hoc praecipuum annalium munus ratus, ne virtutes silerentur, utque pravis dictis factisve ex posteritate et infamia metus esset: Ann. III, 65. in hoc diversus a plerisque, qui omne miraculorum genus posteris tradere non dedignarentur. Talia Tacitus curiositati multitudinis relinquere satius duxit. Ann. XIII, 31. *Nerone secundum Lucio Pisone consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar exstruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare* [25].

---

25) Plurima huc pertinentia egregie exposuerunt Suevern über den Kunstcharacter des Tacitus, in Commentatt. Acad. Berol. 1822. 1823. Ulrici Characteristik der antiken Historiographie. Berl. 1833.

Consulebat autem Tacitus dum Historias et Annales scribit vel scribere parat, primum acta senatus per senatorem aliquem a Caesare delectum componi et in tabulariis a praefecto urbis custodire solita [26]. Nusquam haec monumenta suo ac proprio nomine appellat, odio quodam terminorum technicorum ut quotidiano sermoni propiorum, sed aperte eadem significat Ann. XV, 74. *Reperio in commentariis Senatus*, et II, 88. *Reperio apud scriptores senatoresque* [27]). Hinc fideliter et ad verbum exscripsit exordium litterarum Tiberii ad senatum, Ann. VI, 6. Alibi vera monumenta orationum suis libris inserere aspernatus, ut Claudii orationem, aere Lugdunensi conservatam, cui orationi, longae illi et invenustae, breviorem et a se compositam substituere maluit scriptor, Ann. XI, 24. Non rarius acta urbis diurna memorat a se inspecta, quanquam haec quoque variis nominibus, modo *diurnam actorum scripturam* Ann. III, 3. modo *publica acta* Ann. XII, 24. appellata.

Etiam privatorum hominum commentarios usurpavit, ut Agrippinae Ann. IV, 73. Iam vero libros adiit plurimos auctoresque eorum, quae tradit ipse, citavit, ita tamen ut saepius significare in universum satis haberet, non nominaret; credo ne tetrica nimis accuratae eruditionis specie gravaret foedaretque narrationis elegantiam, simul ratus multorum scripta ad posteritatem non esse duratura. Ergo honoris causa nominavit nobilissimos quosque et plerumque in dissensu auctorum: in Historiis C. Plinium III, 28. Vipstanum Messalam III, 25. Cornelium Sisennam III, 51. Plures in Annalibus, ut C. Plinium I, 69. XIII, 20. XV, 53. Fabium Rusticum XIII, 20. XIV, 2. XV, 61. Cluvium Rufum XIII, 20. XIV, 2. [28]). Famam

26) Ann. V, 4. 27) Grutero obsecutus olim haec de privatis senatorum commentariis prave intellexeram. 28) De fon-

mam etiam et vivas voces ut quemque gnarum alicuius rei sciret percontatum esse sponte crederes, etiamsi Plinius de avunculi interitu interrogatus non adesset documento [29]). Ex tanta veri investigandi cura fides Taciti aestimari quodammodo potest. Sed Tertulliano *mendaciorum loquacissimus* dictus est, quoniam de Christianis maligne iudicaverat, et Orosius *non ei cognitionis fidem defuisse sed exprimendae fidei voluntatem* arguit. Et haec quidem inepta; sed exterorum sane res, ut Iudaicas, parum accurate descripsit, quas nullis ipse peregrinationibus cognitas haberet, obnoxius aliis scriptoribus. Quaedam ipse diverse narrat nec sibi constat. Othonis et Poppaeae necessitudines aliter Hist. I, 13. refert, aliter et verius in Ann. XIII, 46. Nimirum scientiam suam emendaverat spatio temporis. Iam vero minutis in rebus memoria vel calamo non semel lapsus est, ut Ann. VI, 12. *sociali bello* scripsit pro *civili.*

Super his quibus historici nomen meruit, de oratoribus dialogum vulgavit, invitatus a Fabio Iusto quodam, ut causas exponeret, cur eloquentia Romana defecisset. Obtemperavit autem roganti sic, ut quae olim admodum iuvenis Maternum, Afrum, Secundum eadem de quaestione disserentes audivisset, e memoria litteris se mandare profiteretur, quasi suum ipse iudicium celaturus. Et habitus quidem auditusque erat ille sermo Vespasiano principe, centesimo et vicesimo post Ciceronis interitum anno [30]). Quonam autem anno litteris mandaverit audita Tacitus et evulgarit, nullo scriptoris verbo significatur. Non ante Agricolam, opinor, quo libro nullum prius a se editum praefatione demonstrat. Ultra nihil affirmaverim.

---

tibus Taciti proprie scripserunt Meierotto Progr. Berol. 1805. et ut sero cognovi Prutzius. 29) Plin. Ep. VI, 16. 30) Dial. 17.

Verene hoc libello nihil nisi alienos sensus referat, ut ipse serio affirmat, an Platonicae dissimulationis exemplo suos sensus per alienas personas proferat, incertum est. At gravior etiam dubitatio suborta est. Ipsa enim dictio adeo discrepat a reliquis scriptis, ut bona pars hominum doctorum idem ingenium tam dispari oratione uti potuisse pernegent propterea que hunc libellum auctori annalium et historiarum prorsus abiudicent. Mihi contra videtur. Aliam orationem exigit narratio rerum, aliam disceptatio quaestionis alicuius. Boni scriptoris est utrumque genus intellectu distinguere, alterutro uti, excellentis vero, parem esse in utriusque orationis facultate. Atqui ego Tacitum excellentem dicendi artificem existimo, tam vi naturae quam arte doctrinaque. Quid mirum igitur si in dissimillimo genere dicendi sibi ipse dissimillimus fuit? Et agnoscas tamen in utroque eandem illam σεμνότητα, qua Plinius etiam orationes eiusdem conspicuas esse ait [31]), temperatam illam quidem confabulationis fortuitae imitatione et prope dissimulatam. Accedit testimonium fortuitum. Scribit Plinius Tacito Ep. IX, 10. *Itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas.* Nempe admonet amicum eorum quae is in ipso illo dialogo scripserat c. 11. *Adiice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt in nemora et lucos, id est in solitudinem recedendum est* [32]).

---

31) Plin. Ep. II, 11. 32) Accurata disquisitione hunc libellum Tacito vindicavit Eckstein Prolegomena in Taciti qui vulgo fertur dialogum de oratoribus. Halis Saxonum 1835. et ante eum Ad. Lange Verm. Schriften. Contra tamen disputavit Eichstaedt Progr. de dialogo qui inscribitur de oratoribus, Ienae 1839. Praeterea lectu digna est Strodtbeckii Commentatio: Ostenditur Materninae personae in Dialogo de orato-

Intra privatas studiorum scribendique occupationes maturior Taciti vita stetit. Romae vixit Plinio studiorum communione [33]) proximus et familiaris nonnullisque aliis non perinde nobilibus, ut Fabio Iusto et Asinio Rufo [34]) coniunctus; cum Traiano autem aliis cogitationibus distineri solito nulla ei consuetudo vel necessitudo fuit. Senectuti seposuerat principatum Nervae et imperium Traiani, si vita suppeditaret. Non suppeditavit, ut videtur. Nam neque commemoratur a quoquam tale Taciti opus, et Ammianus Marcellinus iis libris, quibus historias Taciti continuasse creditur, a Nervae principatu suam rerum gestarum narrationem exorsus est, non facturus, si Taciti de eodem principe et Traiano libri extitissent [35]). Nedum res Augustae aetatis exsecutus sit, quas Ann. III, 24. pollicitus erat, si effectis in quae tetendisset plures ad curas vitam produceret. Ac ne illud quidem divinari potest, superstesne Traiano fuerit necne.

Raro Tacitus ab iis qui post eum scripserunt nominatur, nunquam a Suetonio, Dione Cassio, Plutarcho, aliis qui eorundem res Caesarum narraverunt. Nihilominus paene certum est, notum eum illis ac

---

ribus obviae vultus ironicus. Heilbronnae 1831. Codex optimus est F, id est Farnesianus seu Neapolitanus, olim a Lipsio, postea a Niebuhrio et Schluttigio collatus. Multo deteriores sunt tres Vaticani 1518. 1862. 4498 Seorsim edidere praeter alios Dronke Confluent. 1828. Orellius Turici 1830.

33) Plin. Ep. VII, 20. ad Tacitum: *Librum tuum legi et quam diligentissime potui adnotavi, quae commutanda quae eximenda arbitrarer.* Is liber qui fuerit, prorsus ignoratur. Et extant Plinii ad Tacitum epistolae omnino novem: IV, 13. VI, 9. 16. 20. VII, 20. 33. VIII, 7. IX, 10. 14. Sidon. Ep. IV, 22. *Cum C. Cornelius C. Secundo paria suasisset* (ut ad stilum historiae epistolarum curam converteret) *ipse postmodum quod iniunxit arripuit.* 34) Dial. 1. Plin. Ep. IV, 15. 35) Walch. in Agric. p. 132.

saepe fontis vel auctoritatis loco fuisse. In honore saltem fuit, donec obmutescebant litterae Latinae. Deinde postquam eaedem resuscitari coeperunt, primus Tacitum edidit Spira, Venetiis 1470. ut credunt. Ergo Spirensis editio princeps habetur. Sed quoniam prior Annalium pars post eum annum reperta est, integra Taciti opera primus edidisse dicendus est Beroaldus Romae 1515. Sospitator Taciti audit Iustus Lipsius. Tanta enim caritate et admiratione eius scriptoris tenebatur, ut postquam legendo relegendoque ad verbum edidicerat eius scripta, ipse quasi alter Tacitus existeret et egregie plurima mendosa corrigeret, obscura illustraret; primum Antverpiae 1574. Non multo deterius meruit Pichena Lugduni Bat. 1607. adeoque homo Latini sermonis unus peritissimus, Io. Fr. Gronovius Amstelod. 1672. Multa contra Gronovium utiliter et recte monuit Theod. Ryckius Lugd. Bat. 1687. Secuta est editio Ioh. Aug. Ernestii Lips. 1752. pleraque sano ut erat iudicio recte explicantis, in eo tamen haud raro peccantis, quod Ciceroni ipse quam Tacito familiarior Taciti sermonem legibus sermonis Ciceroniani severius iusto adstrinxit. Repetiere tamen hanc editionem usui sane accommodatissimam Fr. Aug. Wolfius cum Ier. Iac. Oberlino Lips. 1801. Naudet Paris. 1819. et Im. Bekkerus Lips. 1831., ita ut sua quisque et nova animadversione vetera augerent. Qui Ernestii partes proxime exceperat, Gabr. Brotier Paris. 1771. supplementis deperditos Taciti libros exemplo Freinshemii in quantum poterat compensando, simul codicum Oxoniensium, Vaticanorum, Parisiensis scripturas promendo, laudem meruit, ceterum ad subtiliorem huius scriptoris enarrationem non satis praeparatus. Sed plurimum operae navavit Tacito Ge. Henr. Waltherus cum eo qui inchoatum opus perfecit Fr. Aug. Eckstein Hal. 1831. 1833. apta ac diligenti apparatus

critici digestione perutilis subtilique iudicio conspicuus, Mediceo, ut par est, fidelissimus. Postremo Ge. Alex. Rupertius omnes omnium notas incredibili diligentia undique collectas cum prolegomenis et indicibus complexus est quattuor voluminibus Hannoverae 1832. 1834.

Eodem fere tempore et Franc. Ritterus Taciti opera recognovit brevique adnotatione instruxit Bonnae 1834. et Nic. Bachius emendavit et scholarum in usum illustravit Lipsiae 1834. Recentissimi editores et quorum auxilio nos in enarrandis verbis uti non potuimus extitere Duebner Parisiis 1845. et Casp. Orellius Turici 1846.

Caput II.

Commentatio de Taciti sermone.

1. Tacitus novae prorsus orationis historicae inventor fuit; ac potius non repperit ipse meditando, sed dum alio quam priores animo ad res scribendas se applicat, novum etiam dicendi genus sponte natum est. Olim enim hic mos invaluerat inter rerum scriptores, ut quemadmodum matura demum aetate ita etiam tranquillo et sedato animo scriberent, diversi ab oratoribus, qui quanto concitatius maioreque cum affectu dicebant, tanto plus valere dicendo crederentur. Hinc moderata veterum historicorum et leniter fluens oratio, eorum quoque qui propria quadam gravitate a reliquis distingui se volebant.

Ab horum igitur institutis primus descivit Tacitus. Is enim ut erat ingenio non tam res gestas et casus eventusque rerum narravit, qui saepenumero fortuiti sunt, sed eo potissimum omnia direxit, ut quibus animis ii egissent qui quidque fecerant, quique eorum mores fuissent cognosceretur. Hinc maxima eius virtus in describendis hominum moribus cernitur, sive id agit ut disserendo proponat viri cuiuspiam illustris imaginem, id quod in memorando exitu plerumque facit, sive ita facta eius narrat, ut sua sponte legentes eiusdem mores aestiment.

Sed quoniam perpetua honestatis vel malitiae cogitatio plurimum valet ad affectus, concitatiore ille quam tranquilliore animi habitu scribere solet, ut ab ardore iuvenili multo propius abesse videatur quam a senili maturitate. Igitur ita affecto convenit oratio concitatior. Ea, ut verbo complectar, rapida est; semper ad eventum festinat, morae impatiens. Nec suopte tantum ingenio id fecit, sed saeculi sui auribus accommodavit modum narrandi. Nam ut corruptis moribus fieri solet, simul lassitudo et ignavia occupaverat animos, simul et aegra quaedam celeritatis caritas, dum quae mediae inter illas sunt tranquillitas animi et sanitas vigoris paucis contingunt. Ergo quod olim simplex et moderatum habebatur, tunc lentum, iners, otiosum videri par erat. Itaque simul suapte natura simul saeculi sui iudiciis Tacitus ad festinantius dicendi genus impellebatur.

Enimvero velocitas adeoque rapiditas contraria est gravitati, quae virtus a constantia et moderatione separari nequeat. Atqui gravitas cum propria antiquitus et necessaria omnium consensu esset historiis; arte quadam opus fuit ut rapiditas gravitate temperaretur. Et adhibuit pro temperamento Tacitus diligentissimam ornatae dictionis curam.

Quodsi de Taciti sermone mihi paucis disserendum est, primum exponam, quibus artibus, quin etiam quibus artificiis breve illud dicendi genus secutus sit, quod ut proprium ac peculiare huic scriptori admiramur, deinde quibus opibus effecerit ut gravis etiam et pulcra eadem habeatur oratio [1]).

2. Famosa est, inquam, Taciti *breviloquentia.* Sed invaluit apud quosdam prava opinio, tanquam ea cer-

1) Multum in hac commentatione adiutus sum G. Boetticheri prolegomenis ad Lexicon Taciteum, Berolini 1830. C. L. Rothii Excursibus ad Tac. Agricolam, Norimb. 1833.

neretur potissimum in singularum enunciationum brevitate, quae oraculorum effatis similis esset. Ac sane regnat illud scribendi genus, utpote descriptionibus accommodatissimum in libello de Germania, idque dum imitatur Ioannes Muellerus sive qui alii eandem laudem venabantur, Tacitum aemulari sibi visi sunt. Sed contra in hoc ipso summa scriptoris ars et subtile iudicium agnoscitur, quod iis locis hoc tam rarum genus seposuit, quorum natura reciperet; ceterum periodorum amantissimus fuit et artifex, Ciceronibus Liviisque haud deterior. Ipso Annalium principio festinat brevissimarum enunciationum serie ea praemonere, quae praemonenda essent, donec amplissima et prorsus magnifica periodo ipsarum rerum narrationem auspicetur, quasi diversitatem praefationis et ipsius operis subita elocutionis immutatione significaturus. Orationes narrationi intersertae pro dicentis ingenio modo concisis sententiis, modo amplis periodis constant. Et in rerum gestarum, pugnarum, disceptationum relatu variat, prout vel ipse properat ad graviora vel legentium animos aut incitare ac proripere vult aut detinere et ad tranquilliorem rerum contemplationem adducere. Ergo nusquam fatigat concisarum sententiarum ordine ultra modum continuato, quod vitium est Senecae.

Ceterum nihil omisit Tacitus quin brevitatem sermonis consectaretur. In quo non tam oracula imitari voluit quam antiquitatem Romanam. Nam ut Graecorum sermo ad *χάριτα* exprimendam quasi natus erat, ita Romanorum sermo gravitatis et brevitatis quasi imperatoriae elementa intra se gerebat. Natura sua aptus erat ad vulgatum illud exprimendum: *quot verba, tot pondera.* Articuli defectum alioquin deplorabilem in primariis illius virtutis causis ac fontibus numeraverim. Quanquam huius quaestionis altius investigandae hic non est locus. Deseruerunt autem quodammodo eam Latinae linguae indolem Cicero eiusque aequa-

les, dum Graeca comitate rigidam vim ac virtutem Romanam temperare conantur. Rursus ab hac urbanitatis parte descivere ii scriptores qui Caesarum post Tiberium aetatem illustravere, Seneca, Tacitus. Ii enim illud genus dicendi, quod prisci Romani sua natura duce et paene rudes secuti erant, arte et intellectu amplexi sunt. Vim orationis antiquam praeter cetera ita affectabant, ut et priscam rudis saeculi tetricitatem evitarent et emollitam insecutae aetatis verbositatem omitterent.

Igitur Tacitus dum id agit, ut quot verbis tot ponderibus loqui videretur, varias ac potius omnes artes adhibuit, ne minutas quidem aspernatus. Quae dum persequor, non vereor ne sinistre cuiquam iudicare videar de Taciti ingenio, tanquam angusti et pusilli animi fuerit, si eum inter tam intentam maximarum rerum commemorationem scholastica quadam cura et sollicitudine verbula elegisse arguam, ut scilicet quam brevissima haberetur oratio. Principium sane ac fons tam magnificae dictionis ingenium Taciti erat sublime atque erectum et magnitudo animi et affectuum vis vigorque. At enim constat, quam paene religiose limaverint veteres suam quisque orationem et verba, in eaque re ingenio divinoque cuidam instinctui tribuerint, quasi rem verba sponte secutura essent, multo minus quam curae et diligentiae. Miracula tam anxii circa substantiva et infinitivos delectus vel de Thucydide narrantur; iam vero Tacitus ea aetate vixit, quae praeceptis grammaticorum et rhetorum multo uberior erat, et utpote homo Romanus studiosius quam Graeci enitebatur ut quam efficacissimus esset sermo suus. Quapropter rapidam illam breviloquentiam, ad quam suapte natura ducebatur, arte etiam et consilio et doctrina, opinor, adiuvit, quaesitae affectataeque brevitatis speciem vel reprehensionem non veritus, simplicis, puri, nativi sermonis laudem plane aspernatus.

Cernitur autem illa brevitas in eo quod brevissima quaeque notionum vocabula eligit, quam plurimas voculas omittit, ipsas denique sententias coartat.

3. Ut a minutissimis ordiar, breviores vocabulorum formas plerumque praefert longioribus, aliquoties contra vulgarem usum. Simplici *ut* pauci, puto, pro *velut, tanquam* sic usi sunt ut ille Ann. II, 35. III, 9. vel pro *prout* Ann. I, 61. Hist. II, 46. *Qua* pro *quatenus*, quoniam, vel cum periculo obscuritatis, Ann. VI, 10. XI, 8. XV, 72. Hist. II, 31. Ac vellem hanc coniunctionem tribus locis restitui, Ann. I, 75. III, 71. IV, 6. quibus MS. vitiose *quo* exhibet, editores autem *quando* substituerunt. *Super* pro *insuper* Hist. II, 34. Ann. XIII, 43. Eadem de causa saepius *ne* collocavit, ubi ratio vulgaris *ut non* postulabat. Ann. II, 30. *ita moderans ne lenire neve asperare crimina videretur.* Adde XI, 15. 29. XII, 47. XVI, 4. Hist. III, 11. Codicibus si fides est, etiam *que* saepe usurpavit pro *quoque:* vid. in Ann. IV, 74. VI, 33. XII, 35. Editores quidem facili negotio *quoque* substituerunt, etiamsi et *hodieque* dubitationi eximendae sufficit et poetarum loci similes parem emendationem aspernantur, ut Catull. XXXI, 13. *Gaudete vosque Lydiae lacus undae.* Propert. III, 1, 35. *Meque inter seros laudabit sera nepotes.* Et defenderunt hunc usum Waltherus in Ann. I, 28. et C. Rothius in Agr. Exc. XXVIII.; ego nescio qua religione ductus editorum commentis et pertinaciae peperci.

Taedium saepe quoddam prae se fert Tacitus substantivorum in —*tio* exeuntium; nam praeter longitudinem etiam ieiuni aliquid et aridi habent, pariter ac nostrae terminationis — ung frequentia mirum quantum facit ad attenuandum sermonem et scholam quodammodo redolet [2]). Ergo Tacitus *aemulatus*, *dispo-*

2) Vide Richter Vorsch. der Aesthetik.

situs, *advectus* similia antetulit *aemulationi*, similibus. Hinc vindicavi *diversus* in Ann. XIII, 9. et *pulsus* Hist. IV, 18. eorum tantum iudicio audacter agens, qui unius loci testimonium pro nullo aspernantur.

Alibi primitivum etiam nomen substituere solet, ut Ann. VI, 5. Dial. 3. *fabulas* pro *confabulationibus*, vel G. 26. *fenus* pro *feneratione* vel Hist. II, 2. *audentioribus spatiis* pro *spatiationibus*. Etiam Ann. XIV, 7. *Anicetus poscit summam sceleris* coll. XIII, 38. idem est quod *consummationem*. Vid. G. 43.

His exemplis *flagitia militiae* in Ann. I, 27. addere non dubito. Intelligendae sunt *flagitationes;* illud paulo incertius mihi videtur, num genitivus *militiae* subiective pro *militum* dictus sit an obiective pro *militiae mutandae*. Eodem studio Ann. III, 51. *ambagibus* scribere voluit, non *ambiguitatibus*.

Cumque invaluisset pridem deponentium usus, et eodem actu subtraherentur sermoni totidem passiva, non dubitavit Tacitus ad antiquam talium verborum significationem reverti et passivis suo saeculo obsoletis uti, cum brevitatis emolumento simulque antiquitatis specie. Hinc *adipisci* passive usurpatum Ann. XV, 12. *opperiri* Ann. XIII, 26. *ulcisci* Ann. I, 10. et *palari* Hist. III, 80.; fortasse etiam *fateri* Dial. 25. Non revocavi *recordabunt* Agr. 32. cum praesertim de Vaticani scriptura taceat Dronkius.

4. Et latissime patet usus verborum simplicium pro compositis, quo Tacitus cum poetis certat. Ratio autem huius licentiae non alia est quam ut species substituatur generi; quemadmodum *quaerere* modo *acquirere* Ann. I, 35. modo *conquirere* Ann. IV, 1. modo *exquirere* Ann. II, 53. III, 26. modo *requirere*, desiderare, Hist. IV, 6. Ergo illa commutatio ut cum damno proprietatis, ita cum brevitatis emolumento fieri solet. Pauca ex plurimis memorabo, singularia quidem sed omnibus tolerata. Hist. I, 89. *Congestu lapidum*

stare, constare. — Ann. XIV, 21. *struere*, destruere. — Ann. XV, 14. *cernerent*, decernerent. — G. 2. *tristem cultu*, ad incolendum. — Ann. XIV, 4. *pectori haerens*, inhaerens. — Hist. III, 57. *miscebant*, immiscebant. — Ann. XI, 37. Hist. III, 25. *pulsos*, impulsos. — Hist. I, 35. *sistens*, obsistens. — Ann. XV, 50. *cepisse*, suscepisse. —

Multis et aliis locis hunc usum e MSS. restitui contra editorum desperationem. Ann. III, 1. *Brundusium quod naviganti celerrimum fidissimumque ad pulsum erat*, h. e. ad appulsum. Beroald. *appulsui.* — Agr. 5. *Sublime et rectum ingenium*, h. e. erectum c. 1. Dial. 7. — Ann. V, 10. *Quippe lapsum custodiae*, h. e. *elapsum* ut XI, 31. Curt. III, 13, 4. — Hist. IV, 20. *Omnibus portis rumpunt.* Edd. *erumpunt.* — Hist. IV, 81. *Postremo aestimari a medicis iubet*, ubi Ernestius *existimari* praetulerat. Hist. IV, 48. *Si pauca supra petiero ab initio.* Edd. *repetiero.* Ann. XIV, 20. *Quotiens praetor sederet*, h. e. praesideret ludis, ut XI, 11. Lipsius *praetores ederent* intulerat. Nec poenitet Agr. 1. *spectavissem* i. e. expectavissem proposuisse pro *petissem*, ibidemque, quoniam Vatt. *incusaturus* omisso *ni* exhibent, haud scio an scribendum sit *ni cursaturus.*

Alia quaedam ne ipse quidem ausus sum e MSS. revocare, non quo de errore librariorum certus essem, sed veritus ne obscuraretur nimio plus sententia. Ann. XII, 25. *Adoptio in Domitianum . . festinatur.* At Ma. *optio.* — Ann. XV, 36. *Dehinc edicto testificatus.* At Ma. *dicto.* — Ann. XII, 50. *In tempore rebellaturos.* At Ma. *bellaturos.* — Ann. XVI, 21. *Cum de Agrippina referretur.* At Ma. *ferretur.* — Hist. III, 52. *Ut ex eventu rerum adversa abnueret.* At Ma. *ex ventu*, ut *venire* pro *evenire* Ann. XIV, 52. — Dial. 21. *accusationes quae in Vatinium inscribuntur.* At MSS. *scribuntur.* — Ann. XIV, 31. *Et qui alii nondum ser-*

vitio *fracti* *resumere libertatem pepigerant.* At Ma. *facti*, fortasse pro *infecti*, ut XI, 16. *infectum alimonio, servitio.* — Ann. I, 65. *Per quae egeritur humus*, ut H. V, 7. At MS. *geritur.* — Hist. I, 57. *Is coloniam Agrippinensem . . ingressus.* At Ma. *gressus.* —

5. Nulla re magis attenuatur orationis Romanae magnificentia quam particularum vel pronominum vel verborum auxiliarium frequentia; intenditur rursus cum nomiua nominibus vel verbis statim excipiuntur, ut meris ponderibus constare videatur sententia. Ita enunciationes evadunt eae, quae ad nostras vel Graecorum aures nimis graviter et ponderose et tarde accidunt, nulla post singulas partes et voces quasi respiratione concessa; eaedem Romanis ac maxime Tacito pulcherrime sonabant, ut illud: *Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis vitia muliebria exuerat.* Ann. VI, 25. Et in hoc quidem exemplo quicquid inest ponderosi, sponte natum, nulla arte, nullo consilio factum est. Atqui cumulatur gravitas ac pondus, cum accedit ars et voluntas scriptoris. Quare leviores illas orationis partes studiosius et crebrius quam quisquam alius scriptor omittit Tacitus. Ac primum quidem praepositionibus abstinet, sola casus potentia contentus. Igitur *ab* vel *ex* omittitur contra vulgarem usum: Ann. I, 41. *Progrediuntur contuberniis.* Hist. V, 23. *Commeatus* *Gallia* *adventantes*, coll. III, 15. Ann. XIV, 27. *Ignoti inter se* *diversis* *manipulis . . repente in unum collecti.* Agr. 18. *Cuius* *possessione* *revocatum.* Germ. 14. *Exigunt* *principis sui* *liberalitate* *illum bellatorem equum.* Hist. I, 56. *Non tamen quisquam in modum concionis aut suggestu locutus.* III, 29. *Cum superiacta tela* *testudine* *laberentur.* Etiam cum periculo ambiguitatis Ann. XII, 38. *Ni cito* *vicis* *et* *castellis* *proximis* *subventum foret.*

Ergo restitui codicum lectionem breviorem Agr. 19. *Ut civitates proximis hibernis in remota et avia deferrent*, et Hist. III, 74. *Clamore proximis orto.* Utrobique edd. *a proximis.* Et debebam restituere Ann. XIV, 27. *Nullo nobis remedio*, ex Ma. pro *a nobis.*

Nihilo minus tamen illud *ab*, quod Graeco ὑπό respondet, pari iure omitti potuisse, non adductus sum ut crederem, quoniam pro eo ablativo in promptu fuit eodem breviloquentiae effectu dativum usurpare. Ergo Hist. IV, 26. *Ductus a Vocula exercitus* reliqui, quanquam deest *a* in Ma. Et Ann. III, 3. *Crediderim Tiberio et Augusta . . cohibitam* proposui *Augustae.* Nam c. 20. *Donec desertus suis caderet*, multisque similibus dativus est. Unde defendi Dial. 32. *Quas vobis aperiri aequum est.* Hist. III, 70. *Ne militibus interficeretur.* Ann. XV, 14. *missi posthac Paeto nuntii.* Et ambigue Ann. II, 7. *Aram Druso sitam* coll. Germ. 3. Nedum illa huc trahantur, quae postulat sermo, ut Ann. XIV, 8. *Anicetum trierarcho comitatum.* Porro *in* omittitur Ann. XIII, 21. *Cohortes urbe tentatas*, etsi c. 27. *cohortes etiam in urbe conscriptas.* Hist. V, 5. *Vitisque aurea templo reperta.* Ann. II, 31. *Appositum mensa lumen.* Hist. I, 3. *Hi discordes et rebus minoribus sibi quisque tendentes.*

Ergo delevi *in* vulgatum, quoties in MSS. deesset. H. II, 33. *Imperia ducum incerto reliquerat.* Hist. I, 68. *Ipsi* [in] *medio vagi*, ut Ann. II, 52. Et II, 59. *Appulsu litoris trucidatus.* Dial. 6. *Nam* [in] *ingenio quoque sicut in agro.* Idem fecerat Bachius Germ. 44. *Nec arma . .* [in] *promiscuo*, ex uno Tur. et ego facere debui Ann. XIII, 8. *Alisque quae* [in] *Cappadocia hiemabant.* Dubia scriptura est Hist. II, 76. *Post multos secretosque sermones iam et corona ita locutus*, nisi *coram* praestat. Hist. IV, 37. *Nec incruentati. Via disper-*

sos; nisi Lipsii emendatio vera est: *Nec incruenti. In via dispersos.* Nam Ma. *nec incruentari via* exhibet. Porro *ad* vel *in* promiscue vel additur accusativo vel omittitur, eadem libertate scribentis qua nos dicimus vel *zu Red' und Antwort stehn* vel *Rede stehn.* Mitto illa exempla quibus praepositio verbo adiuncta est, ut *advolvi genua;* quanquam vel talia offensioni fuere, ut Hist. III, 43. *Stoechadas insulas affertur;* et c. 50. *Omniaque quae agenda forent . . aderat;* nam utroque loco *ad* inculcavere edd. vett. Insolentius et quaesita brevitate merus accusativus legitur Ann. XII, 32. *Ductus inde Cangos exercitus.* Hinc recepi Agr. 27. ex Vb. *Penetrandum Caledoniam.* — Plerumque veteres editores tacite addiderant praepositionem, quam multis locis auctoritate codicum vel delevi vel delendam esse monui vel delere debui. Et vel communi usu deterreri illos fas erat in talibus. Ann. XIV, 42. [in] *deterius mutari.* Hist. III, 7. [in] *maius accipitur.* Agr. 10. [in] *universum aestimanti.* Quare etiam Germ. 6. *immensum* ex P. recepi pro *in immensum.* Magis propria Tacito haec sunt: Ann. II, 80. *Tela* [*ad*] *subitum usum properata.* Ann. VI, 34. *Ac saepe* [*in*] *modum obsidii stationibus cingebat.* Ann. XII, 25. *Habita apud senatum oratione* [*in*] *eundem quem ab liberto acceperat modum.* Hist. I, 45. *Marium Celsum . .* [*ad*] *supplicium expostulabant.* Hist. II, 36. *Macer* [ad] *exitium poscebatur.* Eundem usum agnoscere mihi visus sum in difficilioribus locis. Hist. III, 60. *Victoriam consilio et ratione profici.* Hist. II, 33. *Dubiis procliorum exemptus summam* [Put. *summae*] *rerum et imperii se ipsum reservaret.* Hinc Hist. III, 79. *Ceteri foedam fugam consternantur* emendavi pro ablativo intolerabili.

Denique Ann. I, 76. *Quod vulgus formidolosum* explicare debebam *in vulgus*, ut plenius VI, 45. Hist. I, 72. Lucan. I, 133. Nam dativo huius nominis, ubi-

que abstinere Tacitus maluit, ne aequaliter sonaret adverbio *vulgo*.

Vereor ut multis de hac Taciti licentia persuadeam: utique operae pretium fuit numerum exemplorum codicumque consensum in conspectu ponere. Et mirabilis hercle librariorum constantia foret in eodem errore toties iterato. Ex suo quisque ingenio plus minusve Tacito novandi studioso condonabit, qui plurima sola casuum ope consequatur, ad quae reliquis scriptoribus praepositiones necessariae videbantur. Ann. III, 53. *Unius invidia ab omnibus peccatur*, expectabam *cum unius invidia;* sed item Hist. II, 63. *Ne periculo principis famam clementiae affectaret;* coll. IV, 69. Hist. II, 70. *Vulgus clamore et gaudio deflectere via.* Alia ratio est Hist. III, 10. et Ann. XIV, 40. Illud in dubio ipse relinquo num etiam *de*, *περί*, omittere ausus sit. Nam Ann. XIV, 36. *certus eventu* in promptu fuit *eventus* emendare, et Ann. XIII, 21. *Nec beneficiis quasi exprobraret disseruit*, poterit utcunque *pro* ex praecc. repeti.

6. Item genitivi usus aliquando latius patet apud Tacitum, cuius ope praepositionum compendium faceret. Numquis praeter illum dixit *ius libertorum* Hist. II, 92. vel *ius militum* Ann. XI, 33. pro *in libertos*, *in milites?* Hinc Germ. 45. *omniumque tutela* coll. Ann. II, 22. *ferarum suffugium* defendi potuit adversus Turic. lectionem *omnique tutela.* Adde *procax otii* Ann. XIII, 46. ut *fallax amicitiae* Ann. XVI, 32. et innumera alia.

Eandem brevitatem Tacitus usu dativi consequitur, quem multo audacius quam veteres praepositioni *ad* cum accusativo substituere solet. Pari sensu dicit Ann. II, 58. *Neu proceres . . ad discordias traheret*, atque Agr. 12. *Per principes factionibus et studiis trahuntur.* Vel Hist. II, 45. *In lacrimas effusus*, et I, 69. *lacrimis effusus.* Vel Ann. XIV, 4. *Tacitis ad gaudia*, et

et II, 27. *Iuvenem improvidum et facilem inanibus;* unde dubito, cum in Agr. 21. MSS. exhibeant *homines . . in bello faciles*, corrigendumne sit *bello* an *in bella.* Vel Hist. IV, 5. *Ut firmior adversus fortuita*, et Agr. 35. *firmus adversis.* Utrumque copulavit Ann. XIV, 38. *Adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.*

Adiiciam aliquot locos, in quibus insolentior dativi usus fefellit interpretes raritate, vel possit fallere legentes similitudine ablativi. Ann. I, 19. *Iamque pectori usque accreverat*, ubi nuper Bezzenbergerus proposuit *pectori oribusque.* Ann. XV, 65. *Non referre dedecori*, ut Hist. I, 89. *Pacis adversa reipublicae pertinuere.* Germ. 38. *Propriis nationibus discreti*, ut Hist. II, 16. *Propriis cuneis disponit.* Hist. I, 77. *Sacerdotiis recoluit*, h. e. in sacerdotia restituit. Ann. VI, 25. *Criminationibus exarsit.* Ann. XIII, 26. *Ac verberibus manus ultro intenderent.* Ann. XIV, 31. *Nondum servitio fracti*, quae verba illustrantur Agr. 13. *iam domiti ut pareant, nondum ut serviant.* Ann. III, 55. *Studio magnificentiae prolabebantur*, ut c. 48. *Somno aut vino procumbere.* Ann. VI, 20. *Coniugio accepit*, quo exemplo Ann. XI, 10. *quis iam regno acciperetur* correxi pro corrupto *in regno.* Ann. XII, 20. *Hinc dolor iniuriarum et libido vindictae adigebat*, ut Hist. I, 55. 76. *Sacramento adigere.* Dial. 21. *Bonus sanguis implet membra et exsurgit toris*, ut Ann. I, 60. *Finibus duci.* Ultra etiam progressus dativum ponit pro *adversus* Agr. 30. *famae defendit* h. e. adversus famam. Ann. XII, 65. *Nullum principi meritum*, ut VI, 31. *Publicum sibi odium;* coll. G. 16. Sed idem interdum praepositionem praetulit vulgato dativi usui, quoties conducebat. Ann. II, 39. *Forma haud dissimili in dominum erat.* Et *in vulgus* substituit dativo *vulgo;* vid. in Hist. I, 71.

7. Non aliter coniunctionum parcus est et asyndeta amat. Multum differt asyndetorum usu Latinorum sermo a Graeco. Graeci enim quoniam coniunctionibus utuntur plerisque exilissimis et quae crebro ne syllabam quidem efficiant, ut in elisione *δέ* et *τέ*, non consueverunt sola breviloquentiae vel commoditatis gratia coniunctiones reticere, sed quoties reticent causa subest rhetorica. Aliter Latini. Eorum cum coniunctiones plenius sonent et corporum suorum ambitu verba plurima ac nomina aequent, ut *autem, quidem, igitur*, operae pretium erat ad celeritatem loquendi earum adiectione abstinere. Quapropter Latinorum libri asyndetis abundant plane inertibus et rhetorica vi carentibus. Ea libertate dum Tacitus praeter ceteros utitur, concisa plerumque habetur eius oratio et illi generi similis, quod Francogalli style coupé vocant. Eius enim natura non in eo tantum cernitur, ut comprehensionibus enunciationum longioribus abstineatur, sed etiam singularum enunciationum inter se copulatio plerumque omittatur.

Sed cum aliqua dicendi proprietate duas coniunctiones reticere solet Tacitus, primum *et*, deinde *sed*.

Copulativam *et* plerique omittere solent quoties rhetorica asyndeti figura trinae pluresque orationis partes coniunguntur, posthabita polysyndeti figura. Tacitus vero etiam bina membra eodem modo copulat, prisco quodam Romanorum usu, quem annotavit Niebuhrius [3]). Exempla passim obvia. Id tanquam non animadvertissent veterrimi editores *et* vel *que* de suo inculcabant. Tale glossema quam multis locis codicum auctoritate eiiciendum esset memoravi in praefat. T. I. p. XII. Aliis in locis deprehendendo asyndeto virgulaque interponenda difficultatis speciem sustulimus. Ann. XI, 8. *In quos ut patris, sui quoque inter-*

---

3) Röm. Gesch. T. I. p. 326. ed. tert.

fectores. Ann. XIV, 24. *Eadem, plura quam gregario milite tolerante.* Ann. XV, 26. *Adversa, inscitiam Paeti declinans.* Ann. XV, 71. *Verginius, Rufus.* Porro *sed* post negationes potissimum, cum nostro sondern respondet, reticere ex more Taciti est. Ann. IV, 35. *Non modo libertas, etiam libido impunita.* Add. III, 19. XVI, 29. Hist. II, 27. Ergo sine causa inculcavit *sed* Lipsius in Dial. 8. *Nec hoc illis alterius ter mille sestertium praestat; ipsa eloquentia,* plane ut Agr. 39. Etiam Germ. 10. *Non solum apud plebem sed apud proceres, apud sacerdotes* MSS. Hummelianus et Stuttgardensis *sed* omittunt.

Ex relativis coniunctionibus *ut* nonnunquam omittitur, *ἀσυνδέτως*, non *ἐλλειπτικῶς*. Nam in Ann. III, 10. *Petitum est, cognitionem reciperet,* non verior ellipsis inest quam in nostro: man bat, er möchte die Untersuchung übernehmen. Add. Ann. II, 26. 40. IV, 74. Hist. III, 5. IV, 20. 63. Non deterius igitur Ma. in Ann. II, 49. *Cum rediret in Syriam iuberet,* quam Hist. II, 46. *Bonum haberet animum iubebant.*

Ac saepius *ut* cum in MSS. abest, editorum opera aut per interpolationem aut per aliud correctionis genus compensatur. Ann. I, 10. *Multa Antonio tunc interfectores patris ulcisceretur . . concessisse,* ubi Muretus *dum* pro *tunc* intulit. Ann. IV, 14. *Eo virium venisse,* [*ut*] *auctoritate patrum coercendum sit.* Ann. XIII, 26. *Quid aliud laeso patrono concessum quam* [*ut*] *vicesimum ultra lapidem libertum releget,* prorsus ut Ann. I, 9. *Non aliud remedium quam* [*ut*] *ab uno regeretur.* Et Hist. III, 51. *Distulerant tanquam maiora meritum quam statim exsolverentur;* ubi MS. *quamquam* per dittographiam, edd. *quam quae.* Ann. XII, 1. *Nec minore ambitu feminae exarserant, suam quaeque nobilitatem, formam, opes contenderet ac dignam tanto matrimonio ostentaret,* ubi edd. *contendere* et *ostentare.*

Postremo ipsi Ann. XIV, 7. *Post Seneca hactenus promptius, respiceret Burrum*, aut scribendo aut cogitando *ut* addendum esse monuimus. Nec referre videbatur utrum illud *ut* finale esset ut ἵνα, an consecutivum ut ὥστε.

8. Et talia quidem hodie, postquam grammatices ratio emendari coepta est, nemo inter ellipses numerabit. Nunc ad ellipses transeo.

Verbum auxiliare omittit Tacitus, paene nullo vel temporis vel modi discrimine. Ann. XIV, 41. *Perinde ac si . . condemnatus* scil. *esset*, coll. I, 65. VI, 35. XVI, 26. In eundem modum intelligendus Agr. 16. *Ac velut pacti.* Ibid. 1. *ni incursaturus* scil. *essem.* Add. Hist. II, 42. Hist. II, 76. *quod inchoaturi* scil. *sunt*, ubi edd. *inchoatur.* Paulo duriora haec videri debebunt: Hist. IV, 7. *Satis Marcello* (sit) *quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit.* Hist. IV, 55. *Socius* (esse) *iactabat.* Hinc Ann. XIII, 55. explicui: *Quotam partem* scil. *esse*, ut XIV, 3. *Quem adeo iniquum.* Et restitui Ann. XI, 23. *Quem ultra honorem residuis nobilium* (scil. *fore*) *aut si quis pauper e Latio senator foret*, ubi edd. *senator, fore.* Vid. in Agr. 39.

Multa et alia verba reticere solet, tanto crebrius quanto cuiusque vis generalior est, ut *faciendi*, Hist. I, 36. *Omnia serviliter pro dominatione.* Ann. XVI, 19. *Quod plerique pereuntium.* Eandem ellipsin deprehendi Ann. XIV, 16. *Sapientiae doctoribus tempus impartiebat post epulas utque* (h. e. *faciebatque ut*) *contraria asseverantium discordia erueretur*, ubi I. Bekkerus *ut* intulit. Sed duplex opera Caesaris erat: et aures praebebat sapientibus et disceptationes eorum excitabat. Vel post adverbia intransitivum *agere.* Ann. IV, 38. *Melius Augustum, qui speraverit*; coll. I, 43. G. 19. H. I, 71. 74. III, 67. Vid. in Agr. 5. 42. Ann. XIV, 7. Quidni etiam *fieri* omisisset? Ita explicanda sine correctione Agr. 27. *At Britanni non virtute sed occasione et arte*

ducis (factum esse) *rati*, coll. Hist. II, 19. Innumerae ex hoc genere afferri possunt ellipses, *dicendi, putandi, verendi, eundi*, non propriae Tacito, si quidem et Cicero similia habet, ut N. D. II, 4. *Augures rem ad senatum* (tulerunt); *senatus ut abdicarent consules* (decrevit); *abdicarunt*. Multoque plura in Epistolis ad Atticum, quae et ipsae festinationis cuiusdam speciem prae se ferunt. Quare non intelligo cur quisquam adhuc Agr. 9. *Nullam ultra potestatis personam*, scil. agebat, mutari velit. Nedum c. 10. *Nihil per libertos servosque publicae rei*, recte Ernestius *agere* intruserit. Ann. XIV, 57. *Nec ultra moras*, scil. tulit, iure meo revocavi.

Sed sunt tamen huius libertatis certi denique fines, nec Ann. XII, 33. *Tunc montibus arduis* scriptor omittere potuit *castra posuit*, ut quidam statuere.

Mitto alias et tritas ellipses, ut *causa* et *potius*; una et rara fefellit interpretes Hist. III, 10. *Et ut proditionis* (scil. reum) *ira militum in Flavianum incubuit*. Quodsi similia leguntur quae exemplo carent, cautione opus est, ne inaudita continuo incredibilibus aequiparentur. Ann. XV. 52. *Prompte daturis operam* omissum est *operam* in Ma. haud scio an iure, siquidem etiam Ann. I, 7. *Dabat etiam famae* suppleri potest *operam*, non pravius quam *aliquid*.

9. Nec aposiopeseos, quae rhetorica ellipsis est, exempla desunt. Ac multa eorum ambigas an inter ellipses potius numeranda sint, ut illa Ann. I, 41. *Pergere ad Treveros et externae fidei!* scil. *committi*. Ann. XIV, 7. *Nisi quid Burrus et Seneca!* scil. *repperirent*. Vel Ann. XV, 16. *At nunc*. Hist. III, 64. *Ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem; adeo ruentibus debilitatum!* Nec multum interest, nisi quod concitatae orationi aposiopesis propria est. Ac praeter ceteros *anantapodota* adamavit, quae species aposiopeseos est, a nobis lineola significata. Addendum cogi-

tatione est, prout ratio poscit, nunc *bene* nunc *male esset* aut *fuisset*. Ann. I, 23. *Ni propere . . pernotuisset — haud multum ab exitio legati aberant*. Ann. IV, 9. *Ac si modum orationi posuisset — misericordia . . animos audientium impleverat*. Ann. IV, 71. VI, 43. XI, 17. 37. XV, 8. Hist. II, 62. Aliquot locis fugit adhuc editores haec structurae ratio, ut Ann. XIV, 20. *Quoties praetor sederet*, —. Et Hist. V, 25. *Si Vespasiano bellum navaverint — Vespasianum rerum potiri*. Agr. 23. *Ac si virtus exercituum pateretur — inventus in ipsa Britannia terminus*. Etiam Catulli XLII. verba *si pati potestis*, non protasin efficiunt sequentium *persequamur eam et reflagitemus*, sed suam apodosin habent: *vae vobis!*

10. Ellipsi simillima est breviloquentia, *βραχυλογία*. Elliptice dicta plane extrinsecus supplenda sunt; quae per brachylogiam omittuntur, in proximis verbis latent et vel ex superioribus vel ex sequentibus repeti debent. Eius figurae tria sunt genera. Quorum primum est, cum vocabulum aliquod semel positum bis est cogitandum; ut Ann. IV, 55. *Pergamenos aedem Augusti ibi sitam* (scil. *adeptos*) *satis adeptos creditum*, ubi Lipsius *aede . . sita* intulit. Add. Ann. II, 33. Hist. III, 31. *Simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii* (scil. *imaginem, speciem*) *fuisse*. Germ. 19. *Ne* (scil. *maritum*) *tanquam maritum sed tanquam matrimonium ament*. Vid. in Ann. III, 63. Hist. IV, 5. Agr. 20. Ann. III, 11. *Is* (Tiberius) *haud alias intentior* (fuit), *populus* (scil. *haud alias*) *plus sibi . . permisit*. Ita enim nunc locum paulo obscuriorem intelligo. Ann. XIII, 41. *Cuncta extra tectis* (tenus), *hactenus sole illustriora fuere*. Ita enim ex Ma. restituendum; *hactenus* non aliter additum est quam illud *sic*, quod Graeco more participio et verbo finito interseruit Virg. Aen. I, 225. Saepe etiam verba post longius intervallum denuo cogitanda sunt, etsi planitas senten-

tiae repetitionem poscebat. Ann. XIV, 40. *Iis quos memoravi* (scil. ascitis). Hist. II, 21. *Moles perfringendis* (scil. plateis et vineis), *obruendisque hostibus expediunt*, nisi concinnitatis causa *operibus* inserendum. Hist. V, 6. *Praecipuum montium Libanon erigit* scil. *Iudaea*. Agr. 10. *Dispecta est et Thule*, *quam hactenus* (scil. *invenit domuitque*).

Alterum brachylogiae genus est, cum in vocabulo aliquo simile vocabulum eadem radice ortum latet, ita ut casus ex casu, modus ex modo, nomen ex verbo et vicissim, denique ὁμογενῆ ἐξ ὁμογενῶν mutuanda sint ad supplendam sententiam. Hist. III, 9. *In Vitellium ut inimici* (scil. inimica) *praesumpsere*. Ann. II, 10. *Exin diversi* (scil. *diversa*) *ordiuntur*, ut apud Virgilium: *intentique* (intenta) *ora tenebant*. Germ. 20. *Pares* (paribus) *validaeque* (validis) *miscentur*. Add. Dial. 8. Ann. XV, 21. *Maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi* scil. *potentia*, *facultas*, quo loco quomodo *bellandi* in Agr. 35. defendere potuerit Waltherus non video. Ann. XIII, 13. *Contegendis quae prima aetas et summa fortuna* (scil. contegi) *expeteret*. Ann. II, 24. *Visa sive ex metu* (scil. videri) *credita*. Ann. XIV, 6. *Solum insidiarum remedium* (scil. *intellexit*) *si non intelligerentur*. Ann. IV, 38. *Satis memoriae meae tribuent* (scil. *tribuentes*), *ut maioribus meis dignum credant*. Hist. I, 37. *Plus rapuit Icelus quam quod Polycliti . .* (scil. *rapientes* vel *praedati*) *perierunt*. Ann. XIII, 57. *Neque extingui poterat . . non si fluvialibus aquis aut quo alio humore* scil. *extinguerent*, ubi Ernestio *si* suspectum fuit. Hist. I, 32. *Tradito more quemcunque principem adulandi licentia acclamationum* scil. *adulabantur*. Hist. IV, 24. *Flaccus lectos . . legato tradit ut quam maximis per ripam itineribus celeraret*, *ipse* (scil. *celeraturus*) *invalidus corpore*, *invisus militibus*. Ann. XIV, 61. *Deosque tandem* (scil. *venerandos* utpote exoratos) *veneran-*

tur. Ann. XI, 4. *Eaque imagine gravitatem annonae* (scil. *dici* vel *praedici*) *dixisset.* Dial. 8. *Eprium et Vibium . . non minus esse* (scil. *natos*) *in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur.* Agr. 44. *Nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce . .* (scil. *solatium fert prioris miseriae*) *ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus.* Ann. XV, 38. *Quidam amissis omnibus fortunis diurni quoque victus* (scil. *amissione*), *alii caritate suorum interiere.* Ann. VI, 29. *Male administratae provinciae aliorumque criminum* (scil. *criminatione* coll. Hist. IV, 43.) *urgebantur.* Ann. XIV, 62. *Ille insita vecordia et facilitate priorum flagitiorum* scil. *vecors.* Ann. II, 43. *Plancinam Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi* (scil. *monitu*), coll. XV, 5. 21. Et brachylogia latet in Ann. III, 19. *dum alii quoquo modo audire pro compertis habent.* Corrige: *audiere*, et ex hoc verbo participium *audita*, quod nunc vulgo legitur, ad supplendam structuram repete.

Etiam simplicia ex compositis, composita ex compositis repetuntur. Ann. I, 17. *Hinc . . tentoria* (scil. emi) *hinc vacationes munerum redimi.* Ann. XI, 36. *Ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos* (scil. famae) *novissima voluptas est.* Vid. XII, 64. XIII, 56. et in Hist. I, 8. Talium exemplo in Agr. 28. probabile est quod emendavi: *Mox ad aquam* (egressi) *atque cum plerisque proelio congressi.*

Ad eandem formam illa referenda: Ann. I, 36. *Germanicus ferrum elatum deferebat in pectus,* (scil. *delaturus* vel *et detulisset*) *ni proximi prensam dextram vi attinuissent.* Cf. I, 65. III, 14. 16. 28. IV, 30. VI, 3. 36. XI, 10. 33. *Offerebantur communes liberi — nisi Narcissus* etc. [4]). Ann. II, 22. *Mox bellum in Angri-*

---

4) Annotandum, quoniam ne minima quidem dissimulare solet philologorum ἀκρίβεια, in altera Annalium parte usquequaque *nisi* praetulisse scriptorem: XIII, 2. XV, 55. XVI, 14. 32.

varios Stertinio mandat (scil. *bellaturo*), *ni deditionem properavissent;* coll. II, 45. 46. Hist. III, 46. Agr. 13. 37. Ann. III, 28. *Multorumque status excisi et terror omnibus intentabatur* (et plures excisi essent) *ni* etc. Ann. II, 17. *Incubueratque sagittariis illa rupturus* (et rupisset), *ni . . cohortes signa obiecissent.* Ann. VI, 7. *Contremuerantque patres* (et porro tremuissent), *ni Celsus . . exemisset.* Add. Hist. II, 68. Agr. 4. *Se studium philosophiae acrius . . . hausisse* (et porro haustorum fuisse), *ni prudentia matris coercuisset.* Talia qui breviter simul ac dilucide nostrum in sermonem translaturi sunt, hypotheticae enunciationi substituere debebunt aber cum indicativo. Tertio denique brachylogiae genere contraria vocabuli alicuius proximi notio cogitatione addenda est. Hist. II, 30. *Hinc aemulatio ducibus: Caecina* (scil. *Valentem*) *ut foedum et maculosum, ille* (scil. *Caecinam*) *ut tumidum et vanum irridebant.* Hist. II, 74. *Esse privatis cogitationibus progressum* (scil. *et regressum*) *et prout velint plus minusve sumi ex fortuna.* Vid. in Ann. I, 55. Hist. II, 87. IV, 80.

11. Proxime a brachylogia abest zeugmatis licentia. Exempla haec sunt: Hist. II, 80. *Caesarem* (vocare) *et omnia principatus vocabula cumulare.* Ann. XIV, 16. *Tristi voce vultuque spectari.* Ann. VI, 24. *Sicuti nurum nepotemque* (cecidisset) *domumque omnem caedibus complevisset.* Ann. I, 72. *Si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus* (corrupisset), *denique male gesta republica maiestatem reipublicae minuisset.* Ann. VI, 4. *Erumpere ausos ferro* (domuit), *ceteros siti ad deditionem coegit.* Vid. C. Rothius in Agr. Exc. XXXII.

Eiusdem zeugmatis species quaedam ille mos est nostris auribus mirabilis, nostro sermoni vix imitabilis, ut idem verbum vel vocabulum alio sensu cum una, alio cum altera sententiae parte coniungatur. Praeivit

Pindarus: *ἕλεν δ' Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον, necavit Oenomaum virginemque in matrimonium duxit;* itemque Soph. Trach. 353. Similiter Ann. II, 48. *Quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit.* Ann. I, 50. *Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque scindit.* Hist. I, 17. *Plus sanguinis ac praedae Caecina hausit.* Hist. II, 32. *Britannicum militem hoste et mari distineri.* Agr. 25. *Silvarum et montium profunda.* Agr. 45. *Nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit.*

12. Aliud breviloquentiae adminiculum illa figura grammatica est, quam hodie praegnantiam appellare coepimus, vocabulo recens propemodum invento, substantivo barbaro, sed tamen idoneo ac prorsus necessario, cui substituant severiores si volent *praegnantis structurae* appellationem. Saepenumero enim latet vel in nomine aliquo vel in verbo alia notio, invisitata quidem sed spirans ut fetus in utero, ac saepe etiam efficax. Vellem aliquis ex principibus grammaticorum ambitum et fines huius figurae propria commentatione circumscripsisset, ut haberem quem sequerer; nunc vago et incerto paene vocabulo pro suo quisque ingenio uti solet; quod et ipse ius mihi assero. Et nomina et verba, et adeo adverbia, praegnanter ponuntur. Ita *cupidinem* dicit pro *pecuniae cupidine* Ann. XII, 57. Hist. I, 66. et vicissim *pecunia* eodem sensu Hist. III, 41. Ex eodem genere haec sunt: Ann. II, 61. *tabes* pro *tabe sanguinis* apud Liv. XXX, 34. Hist. I, 85. *Occulto habitu* scil. *animi;* nec enim debet de vestitu falso assumpto intelligi. Hist. I, 19. *Cumulos* scil. *corporum.* Hist. IV, 86. *Modestiae imagine in altitudinem* (scil. *silentii*) *conditus.* Hist. IV, 71. *Stare integram sedem* scil. belli. Dial. 36. *Publica* scil. *iudicia. Ingenium*, commentum ingenii, Hist. III, 28. *Gaudio fungi*, gaudii significatione vel gratulatione, Hist. II,

55. *Ad principem distulerant*, ad principis praesentiam, Ann. III, 52. *Reposcentibus prospera*, i. e. prosperorum rationem, Hist. III, 13. extr. *Qui naves, qui classem, qui mare expectabant*, Agr. 18. i. e. aggressionem per mare apertum ac non per fretum. Talia memineram cum Agr. 33. defendebam *Quando dabitur animus?* h. e. animo obsequi. Idem de verbis: Hist. I, 76. *manere* scil. in fide, Agr. 42. *perfudit* scil. horrore, Agr. 25. *amplecti* scil. bello, ut Hist. I, 36. Agr. 18. *praesumere* scil. spe, Dial. 5. *complecti* scil. patrocinio, Ann. II, 82. *rapere* scil. ad supplicium, VI, 33. *accipere* scil. in societatem. Paulo diversa haec sunt: Agr. 42. *Eo laudis excedere quo plerique . . ambitiosa morte inclaruerunt*, h. e. inclarescentes pervenerunt. G. 13. *non prius quam civitas suffecturum probaverit*, i. e. probando declaraverit.

Crebro etiam adverbia vel ablativi, accusativi, dativi adverbiis similes attributivum aliquod, sive adiectivum sive participium in se quasi occultatum gestant. Plane hic mos contrarius est Ciceroni, qui quod nos breviter dicimus das Werk von den Pflichten *libros de officiis scriptos* vocare mavult quam sine participio. Iam vero Tacitus prae festinatione narrandi, quoties de supplemento errari non posse existimaret, talia legentibus reliquit; sicut apud unum nostratium et bonum hercle scriptorem memini me legere: An den Pocken und Rötheln (scil. krank) bin ich herumgegangen. En exempla: Ann. III, 62. *Altius* (repetita) *Hierocaesarienses exposuere.* Ann. III, 36. *Exin promptum quod multorum intimis questibus* (agitatum) *tegebatur.* Ann. XIII, 13. *Nec defuere qui in deterius* (mutata) *referrent.* Ann. VI, 10. *Apud principem* (accusati) *ad mortem aguntur,* plane ut Ann. XVI, 17. *Eodem agmine cecidere.* Hist. I, 31. *Longinum exarmant, quia non ordine militiae* (superior) *sed e Galbae amicis . . erat.* Hist. III, 83. *Vi-*

telliani sola desperatione (adiuti) *ruebant.* Hist. IV, 84. *Plurimi Ditem patrem insignibus, quae in ipso manifesta aut per ambages* (significata), *coniectant.* Hist. V, 5. *Iudaei mente sola* (visibile) *unumque numen intelligunt.* Ann. XVI, 1. *Magna vis auri non in formam pecuniae* scil. *excusa.* Ann. I, 57. *Incessitque itineri et proelio* scil. *compositus*, quod additum XIII, 40. Ann. XI, 9. *Vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua* scil. *idonei;* ut Hist. III, 49. 70. Ann. XIV, 3. Hist. I, 80. *Pessimus quisque in occasionem praedae* scil. *intentus.* Agr. 30. *Spem in nostris manibus* (scil. *positam*) *habebant.* Hist. III, 62. *Exercitus immane quantum* (scil. *aucto*) *animo exitium Valentis ut finem belli accepit.* Hist. I, 83. *Pietas vestra acrius quam considerate* (scil. *demonstrata*) *excitavit.*

Pauca ex his exemplis fefellerunt interpretes; alia oblivione huius libertatis prave intellecta sunt. Agr. 5. *Electus quem contubernio* (scil. *dignum*) *existimaret.* Hist. III, 33. *Defossa eruere, faces in manibus* (scil. *gerentes*), nostrum ad morem Fackeln in der Hand; editores ante *faces* plene distinxerunt, eodem errore quo adhuc Simonid. Mull. 73. obscuratur: *αἴσχιστα μὲν πρόσωπα* (scil. *ἔχουσα*) *τοιαύτη γυνή εἶσιν δι' ἄστεος πᾶσιν ἀνθρώποις γέλως;* nam quod vulgatur colon post *πρόσωπα* ferri non potest. Et videndum an etiam Ann. I, 41. ita distinguendum sit: *feminas illustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti* (scil. *habentes*) *pergere ad Treveros.* Nec durum videri debet Hist. I, 31. *Alexandriam praemissos atque inde rursus* (scil. *revocatos*) *refovebat.*

Frequens etiam illud praegnantiae genus est, cui novum nomen structurae contractae imponere ausim, cuiusque notissima exempla feruntur *Olympia vincere*, vel *pontem iungere.* Apud Tacitum invenio *navare bellum*, h. e. operam navare bello. Hist. IV,

37. *ad liberandum obsidium.* Hist. II, 60. *Fidem absolvit.* Hist. V, 11. *Proelia serebant*, i. e. manus conserebant proeliis. Hist. II, 34. *Ne miles segne otium tereret*, i. e. segni otio tempus. Ann. XVI, 2. *Nova ubertate provenire terram.* Et nonnunquam idem fit vel sine brevitatis emolumento. Hist. III, 56. *Ut nube atra diem obtenderent* a vulgari: *ut nubem atram diei obtenderent* non diversius est quam *urbem muris circumdare* ab illo *urbi muros.* Vid. Hist. II, 2. *Formam deae paucis disserere.* Eundem usum agnoscere debebant editores in his: Hist. III, 3. *Huc illuc tracturus interpretationem*, h. e. res interpretatione. Dial. 9. *Nec utilitates alunt.* Ann. XIII, 43. *Principi paruisse defendebat*, in eundem modum dictum quo *morbum excusare.*

Eodem refero talia: Ann. XII, 37. *Vinclis* (exsoluti et iudicio) *absoluti.* Hist. I, 42. *In utrumque latus transverberatus.* Et si vere emendavimus Agr. 36. *e gradu* (pugnantes et in gradu) *stantes.*

13. Attractione non quidem brevitas adiuvatur, at celeritas, non verborum numerus minuitur at pausarum, dum artius inter se copulantur orationis membra. Attrahuntur nomina ab ipsorum appositione, ut in adiectivorum dignationem detrudantur. Hist. I, 65. *Uno amne discretis*, i. e. *una re*, *amne.* Hist. IV, 56. *Ceterum vulgus*, i. e. ceteri, vulgus. Add. Ann. III, 42. Hist. III, 41. *Aderant vis et pecunia et ruentis fortunae novissima libido.* Ann. XVI, 11. *Ne vitam . . novissimo servitio foedaret.* Ann. XIII, 21. *Novissimam suscipiendae accusationis operam anni rependunt.* Ad idem genus pertinent: Agr. 17. *Cum Cerialis quidem alterius successoris curam . . obruisset*, vel Germ. 15. *Cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur.* Ibi qui attractionem tollere voluerit, commate inserendo, nostris is auribus structuram accommodasse non tamen ex sententia veterum fecisse dicendus erit. Non alia

ratione legimus Hist. II, 27. *quam altiore ab initio repetam*, h. e. *altius*, *ab initio*.

Simili attractioni debentur nominativi cum infinitivis, exemplo Graecorum et poetarum Latinorum. Hist. IV, 54. *Socius* (esse) *iactabat*. Hist. IV, 40. *Cognitus est confugisse*. Ann. XVI, 17. *Additur codicillis tanquam de iniquitate exilii querens ita scripsisse*. Hist. II, 74. *Legiones secuturae sperabantur*. Hist. IV, 23. *Vis et arma satis placebant*, h. e. vim et arma satis fore placebat. Et II, 76. *Ipse qui suadet considerandus est adiiciatne* etc. Et iure restitutum est Agr. 44. *Momenta ipsa deficientis . . nunciata constabant*. Hist. I, 84. *Muta ista et inanima intercidere ac reparari promisca sunt*. Restituendum etiam ex Ma. Ann. XIII, 19. *Nemo adire praeter paucas feminas amore an odio incertas*, coll. XI, 9. ubi edd. *incertum*.

Eiusdem generis illud est Tacito frequentissimum: Ann. I, 8. *Cum occisus Caesar . . aliis pulcherrimum facinus videretur*, h. e. *occisum esse Caesarem*. Hist. II, 82. *Sufficere videbatur . . pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen et nihil arduum fatis*, h. e. et quod nihil arduum esset fatis. Hist. V, 21. *Obstitit formido et remiges per alia militiae munia dispersi*. Ann. III, 9. *Fuit inter irritamenta invidiae domus foro imminens . . et celebritate loci nihil occultum*. Haec structura latet Hist. II, 4. *Tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli*, si mecum *labor* deleveris. Et Ann. XIV, 43. retineri poterit Ma. scriptura: *cum praefectus urbis non profuerit*; nam *praefectum urbis esse* idem est quod *praefectura*. Non aliter Schillerus noster: Doch davor schützt Sie der Königssohn.

14. Ea hactenus recensui brevitatis adminicula, quae ad certos grammaticae locos possent referri. Alia exempla grammatico nomine illustrari queunt nullo. Aliquando enim tam praeceps properat narratio, ut duas ac diversas res gestas una enunciatione conclu-

dat. Ann. XVI, 13. *Qui dum assident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur.* Hist. I, 46. *Laco praefectus tanquam in insulam seponeretur ab evocato quem ad caedem eius Otho praemiserat confossus.* Nempe hoc loco *profectionis*, illo *aegrotationis* actio, quae media fuit, silentio praetermissa est. Adde Hist. III, 29. Etiam Hist. II, 68. tali more obscuratus est: *Ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam Vitellio* (MS. *bello*) *auxisset.* Nam quae primaria notio est, *ni numerus caesorum magnus fuisset*, in uno nomine quasi delitescit. Neque ita raro dedignatus est Tacitus ea, quorum scientia ad rerum ordinem perspiciendum opus fuit, commemorare, si modo legentes satis attenti sagacesque suopte ingenio et coniectando idem assequi possent. Quodsi Hist. I, 77. narratur Othonem Vopisco consulatum destinasse, *quod plerique Viennensium honori datum interpretabantur*, eius rei ratio perspici non potest, nisi statuas Viennensem fuisse Vopiscum. Atqui id nusquam memoratur. Simile exemplum ad Hist. II, 71. notavimus. Sed insignius novi nullum quam quo Agr. 24. obscurabantur verba *nave prima transgressus*, donec repertum est, Agricolam dissimulante Tacito ex Britannia profectum fuisse in continentem vel adeo Romam. Vid. in Ann. I, 81.

15. Tale igitur brevitatis studium cum soluti aliquid nonnunquam habere et rerum copiae potius quam orationis decori inservire videatur, compensat Tacitus intento ornatus studio, ne eloquentiae laude orbetur.

Ex vetustis rerum auctoribus Caesar pure et venuste et detracto omni ornatu scripserat, ut nec recederet a communi sermone, et quotidiani sermonis sordes artificiosa compositione verborum declinaret. Sallustius quaesita antiquitatis specie gravitatem quandam affectaverat; simplicitatis tamen retinens. Livius ornatum dictioni suae adhibuerat et facundiae laudem quae-

siverat. Iam vero Tacitus magnificentiam quandam et sublimitatem orationis proprie convenire historiarum dignitati credidit. Et in hoc quidem Thucydidi similis fuit, qui et ipse suam orationem longo intervallo a communi reliquorum scriptorum facundia separaverat, non infirmitate ingenii aut litterarum inscitia, ut quidam putant, sed iudicio et intellectu, ne nimirum ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα suppeditasse videretur oblectandi cupidis. Ceteris in rebus diversitas horum scriptorum prope maior est quam similitudo [5]). Nam Graecus scriptor in disserendo et in orationibus maxime proprius est et creber et audax, sed philosophantium austeritati propior quam poetarum decori, in narrando fusus et perquam dilucidus; Tacitus contra narrationi potius formam ingenii sui reddidit, poetarum vigorem et audaciam aemulando; idem quoties orationes intexeret, communibus eloquentiae legibus obtemperare satis habuit. Denique ipsius inter et poetarum sermonem nihil prorsus interest, et prave increduli sunt qui ullius vocabuli vel structurae usum Tacito invident, dum poetis eundem condonant. Ac raro quidem, ut in re tam ardua ac lubrica, dum brevis esse laborat, obscurus fit; et cum videtur fieri, librariorum id frequentius vitio accidit quam ipsius; saepius autem cum grandia profitetur, non quidem turgere sed longius iusto a simplicitate dicendi recedere creditur.

16. Ac primum quidem tersus, politus, accuratus est Taciti sermo. Rara pro ceterorum idiomatum crebritate a n a c o l u t h a deprehenduntur, quorum usus apud reliquos scriptores nunc gratam negligentiam nunc in-

---

5) Egregie de utroque scriptore disseruit *Fried. Roth* Vergleichende Betrachtungen über Thucydides und Tacitus, München 1812.

iniucundam oscitantiam prae se fert. Aliquot annotavimus in Ann. XII, 52. XIII, 41. XV, 43. Hist. III, 60. IV, 12. Dial. 7. 21. 23.

Nam illud anacoluthi genus quod restituimus Ann. XVI, 1. *Ceterum ut coniectura demonstrat, Dido Phoenissam . . illas opes abdidisse,* pridem idiotismi Latini speciem induerat. Iam vero synesis veterum aures adeo non offendebat, ut eam structuram naturae, rationi, elegantiae propiorem esse iudicarent quam negligentiae.

Quodsi interdum verba ita composuit, ut diversas structuras negligenter commiscuisse videatur, non sine consilio id fecisse putandus est. Ann. III, 5. *Perferre non toleravit,* ut Dial. 3. *Maturare editionem festino,* vel G. 30. *Initium inchoare.* Fortius quiddam hoc ei sonare visum est quam cumulatio illa vulgaris *pertulit ac toleravit,* qualem Cicero praeoptat; tanquam haec ratio numerum verborum augeret, sua illa autem pondus.

Concursus genitivorum, molestos illos ubicunque leguntur, diligenter evitavit adhibendo ἓνὶ διὰ δυοῖν, cuius de formae ratione et utilitate docte et sagaciter disseruit *Car. Rothius.*

17. Porro ornatui hoc tribuit, ut ne propria ideoque usu trita rerum vocabula usurparet, maxime quos dicunt terminos technicos, vel cum damno brevitatis. Nam κυριολογίας laus humilioribus dicendi generibus convenit. Quapropter per ambages quasdam Hist. III, 62. *ludicrum iuvenum* scribere maluit quam *Iuvenalia.* In ipso Dial. 32. *ius civitatis* paene obscure dixit pro *iure civili;* unde fides accrescit Bachii coniecturae in Hist. IV, 4. *de bello civium* emendanti pro corrupto *civilium* et vulgari correctione *civili.* Fortasse recte Ma. Hist. II, 88. *ponte Mulvi,* ubi edd. Mulvio; quoniam etiam Ann. I, 8. III, 4. *campum Martis* vocat. Ann. XIII,

41. *fulgoribus discretum* revocandum, ubi proprium et triviale nomen *fulguribus* substituere editores.

Denique iis qui discrimina synonymorum Latinorum scrutantur, suspectior esse debet Taciti auctoritas quam poetarum. Ille enim, in oppositionibus praesertim, proprietatem vocabulorum aspernatur et fugit.

Abavus Augustus fuerat Neronis. At illud nomen quoniam non minus abhorrebat ab elatiore dictione quam nostrum Urgrossvater a poetica, pessumdata veritate *atavum* dixit Ann. XIV, 53.

Cognatus huic mori est aspernatio peregrinitatis, Graecorum maxime vocabulorum, etiamsi Latitatis civitate donatorum. Nusquam praeterquam in dialogo *philosophos* appellat; *sapientes* vocat, quanquam dispar notio sit. Raro *poetas* nominat, plerumque *vates* ut Ann. IV, 43. XIV, 21. In Ann. III, 36. *subsidium* dicit, spreto *asylo*. Insigne est huius instituti exemplum Ann. XV, 71. *Milichus praemiis ditatus Conservatoris sibi nomen Graeco eius rei vocabulo assumpsit.* Non tamen rigidam putidamve in hac re constantiam sequitur, ut quicquid peregrinitatem sonet, cane peius et angue fugiat ac non *tropaea*, *asylum*, *chlamys*, *catapulta*, *acinaces* admittat.

18. Prisca vocabula formasve vocabulorum et urbanitate sermonis Ciceroniani et saeculo Augusto damnata non dubitavit revocare, ipsi antiquitatis sapori plurimum splendoris inesse ratus. Et dativos quidem *senatu*, *nuru* retinuere editores, non minus *Persi* Ann. IV, 54. pro *Persei;* sed iidem multas et antiquas formas expulerunt, ne nimirum Tacitus Ciceroni nimis dispar videretur. In Ann. IV, 32. codex Med. *compossivere* exhibet, non *composuere*, et Ann. XIII, 40. Hist. III, 22. *cornum*, non *cornu*. Facile sane factu est talia ad praecepta et morem Ciceroniani sermonis corrigere et eorum superstitionem scilicet incusare vel irridere, qui iudicium suum ex unius codicis auctori-

tate suspendunt. Sed si veritatem etiam in tantillis minutiis anxie sequi, si non sensus modo magnorum ingeniorum sed litterulas etiam pie venerari fas est, haud ego in iis, quae rationis humanae legibus nullis perpendi, nullo iudicii acumine diiudicari queunt, quidquam habebo cui potius credam quam vel uni codici. Quare videndum an ut G. 24. nullo altero exemplo *iuvenior* habetur, ita Ann. VI, 17. *venditio et emitio* retinendum sit, pro quo nunc *emtio* legitur; et Ann. IV, 66. corruptum *telerant* malui in *tetulerant* mutare quam in *tulerant*. Alia etiam quae pridem exoleverant, retinuere editores, ut Hist. I, 31. *necdum* pro *nondum* vel Ann. III, 2. *munera fungi*. Quin etiam genitivus *vis* vicit ut conservaretur Dial. 26. Non insolentiora sunt Ann. XIV, 7. *expergens*, vel Ann. I, 1. *falsc*, vel Ann. II, 14. singularis *sacri* pro *hostiae*, vel Hist. I, 53. *decori iuventa*, non eandem indulgentiam experta. Anceps hercle sedulitas est talia invidere ei scriptori, qui sibi uni se similem esse voluit et ne imitatorem quidem nactus est, cuius comparatione quid illi placuisset, quid non placuisset, aestimare quisquam posset.

Nova autem vocabula Tacitus procudit ut opinor pauca, contra eorum consuetudinem, qui novitate dictionis exsplendescere cupiunt; nisi forte omnia quae nusquam praeter ipsum unum reperiuntur continuo ab eo conficta putes. Ceterum maxime lubricum est diiudicare, numquod vocabulum primus usurpaverit Tacitus an nos primum apud Tacitum legamus. Quoties omnibus vocabulorum fingendorum legibus respondet, utique parcendum existimo in eo scriptore, quem novandi crimen minime perhorruisse constat. *Irreverentia, improsper* novitatem sane redolent ut Ciceronis *invidentia*, sed condonantur Tacito ab omnibus. Sed etiam *coercitationibus* Ann. III, 26. retinerem, si constaret syllabam *ta* a Beroaldo demum punctis notatam

esse. Nec dubitavi ad Hist. II, 21. emendatione inauditum frequentativum *retortant* offerre. Num *propollucere* etiam Ann. III, 66. comparatione similis compositionis *provivere* Ann. VI, 25. vindicari possit adhuc dubito. Et *compedes* analogia nixus sola vindicavi Ann. XII, 48. tanquam idem esset quod *compeditus*. Iam vero si quis scriptor proximorum saeculorum eodem vocabulo usus est, libidinis fuerit extrudere. Ann. XVI, 21. *expectabilis* satis defenditur auctoritate Tertulliani, nec nos poenitet, Ann. XV, 3. *confestinantius* et Hist. V, 13. *exapertae* commendavisse, vel Hist. III, 44. *indictus favor* vindicavisse. Alia corrupta sunt aperte, ut *praeiuvare* Hist. III, 65. Et illa quidem multo minus miranda sunt quam quod novam et inauditam noto vocabulo *repens* induit potestatem, haud aliter ac si calami lapsu sic scripserit pro *recens;* ut Ann. VI, 7. *Quid repens aut vetustate obscurum*, cum praesertim ipsum illud *recens* alibi passim usurpaverit. Atqui quinquies idem fecit, Ann. XI, 24. XV, 68. Hist. II, 49. IV, 25. Huic simillimum est quod *percellere* eo sensu dicit quo reliqui *perpellere*. Correxere quidem Ann. XI, 30. hunc usum, sed reliquere eundem XII, 29. Etiam *promptus* mireris ita usurpatum tanquam non differret a *prono*, Ann. IV, 60. XII, 1. Multis semel dictis, immo potius semel lectis recte pepercerunt editores, ut generibus *foetum* Ann. XII, 64. vel *exemplares* Hist. IV, 25. Cur ergo dubitarem Hist. V, 13. singularem *ambages* e MSS. revocare?[6])

19. Sed in struendis verbis novator uberrimus fuit, ita ut gauderet insolitis tanquam ornatu, etiamsi nihil proficeret vel ad brevitatem vel ad venustatem orationis, quasi meminisset Horatiani praecepti:

---

6) Plura id genus ac nimis multa congessit Boetticher. Lex. Tac. p. XLIII. sqq.

Dixeris egregie, notum si callida verbum reddiderit iunctura novum. Non novi qui *utilis pro nobis* dixerit praeter ipsum Agr. 12. Pluribus exemplis abstineo, utpote passim obviis. Quapropter vereor ne Ann. XV, 60. *canere per tibias doctus* retinendum sit pro communi *tibiis*, quod ex uno Guelf. hodie vulgatur. Nec enim ratio praepositionis *per* obstat.

Etiam infinitivi historici usu a ceteris scriptoribus differt transferendo ad res praesentes et durantis consuetudinis narrationem. Non credidissem, nisi tres loci conspirarent editorum pervicacia immutati, qui dum singulos tractant, alterorum non meminissent. Sunt illi Germ. 7. *audiri* Agr. 34. *ruere*, et Dial. 30. *insumere.* Quibus haud scio an quartus addendus sit, Ann. III, 54. *Tot a maioribus repertae leges . . contemptu abolitae securiorem luxum facere*, ubi edd. *fecere;* ut taceam de illis locis, quibus usitatos infinitivos ex MSS. revocavi, Ann. I, 20. II, 2. 38. VI, 18. Hist. IV, 20. quibus addere debebam Hist. II, 95. *Facem Augustales subdere*, et III, 17. *Quo pudore haud plures quam centum equites resistere*, et V, 10. *Pace per Italiam parta et externae curae redire,* ubi edd. *subdidere* et *restitere* et *rediere.* Nulla enim sermonis Latini proprietas gratior esse debebat Tacito, nulla ipsius orationi convenientior potest fingi, ut non mirer, si in ea usurpanda aliquando exspatiari ausus sit. Audax fuerit ac paene violentus; sed maioris etiam audaciae et impotentiae foret si nos, tot saeculis post nati, adversus tam multa exempla codicum auctoritate munita, et quae ne linguae quidem ratio vitii coargueret, sola reliquorum scriptorum comparatione, quibus hic scriptor dissimilem se esse voluit, libertatem scribentis vi coercere statueremus.

Nec Graecis structuris abstinet vel a paucis vel ab ipso solo ascitis. Nam Graecismos ab ineunte

litteraturae Graecolatinae aetate multos Latino sermoni intulerant veteres scriptores, quorum plerosque posterior aetas ita omisit, ut alios eorum loco asclsceret. Agr. 34. *Ceterorum Britannorum fugacissimi*, quod praeierat Plinius maior. Etiam Hist. IV, 28. *Id nomen appellantur*, vel Dial. 18. *Pro Catone magis* Graeci aliquid sonant. Iam vero Ann. XV, 53. *Ut quisque audentiae habuisset* pro *quantum audentiae* ut in ὡς ὀργῆς ἔχω, coll. c. 20. *Ceteris criminibus ut solent praevalidi provincialium*, prorsus Graecum est.

20. Porro concinnitati praecipuam operam navavit Tacitus, ut et raro eam omitteret et quosdam locos quaesita arte hoc virtutis oratoriae genere illustraret, Ann. XIII, 35. *Corbulo cultu levi capite intecto in agmine, in laboribus frequens adesse, laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere.* Vel cum chiasmo: Ann. XIII, 39. *Tantus ardor exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta ascensu munimenta, omnesque puberes trucidati sint.* Etiam superflua adiecit, dummodo consuleret concinnitati, ut Hist. II, 72. *Quidam militum errore veri seu turbarum studio certatim aggregabantur.* Vel rationem grammaticam posthabet ei studio. Ann. IV, 3. *Ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit*, cum consortii notio ex *spem* suspendere deberet. Et pervertitur concinnitas, si emendatur Ann. XV, 38. *Fessa* [aetate] *ac rudis pueritiae aetas.* Utinam meminisset Tacitus secuturi *aetas* et scripsisset *fessa senio!* Nunc haesitamus utram in partem delictum esse dicamus, in variationem et euphoniam an in concinnitatem. Et restitui egregium concinnitatis exemplum Agr. 15. *Alterius manus, centuriones alterius*, (*utriusque*) *servos vim et contumelias miscere.*

Etiam clausulis periodorum arte quadam consulebat, unde illa a grammaticis legibus abhorrentia.

Ann. XIV, 16. *Species carminum . . non uno fluens*; et Germ. 5. *Pecorum fecunda sed plerumque improcera.* Vid. in Hist. I, 87.

Deinde variationis legem sollicitudine quadam observavit nunc ut euphoniae inserviret, ut Ann. I, 20. *quibus — quis*, nunc ne penuriam quandam prae se ferret. Quo studio nonnunquam legentium iudicia turbavit. Ann. XV, 71. *Verginium Rufum claritudo nominis expulit; nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat.* Vid. in l. l. et Hist. II, 74. coll. III, 12. Idem illud est artificium, quo Hist. II, 87. utitur: *Catonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis;* utroque enim nomine utrique continentur. Et maxime quidem structuras variat Ann. VI, 35. *cum Parthus distraheret turmas, Sarmatae contis gladiisque ruerent.* Ann. XIII, 38. *Adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.* Hist. II, 79. *Illa Syriae, hoc Iudaeae caput est.* Agr. 33. ut decorum *in frontem*, item *fugientibus* periculosissima. Quinimmo ultra quam satis erat ac paene contra naturam hanc virtutem sectatus est; ut Ann. VI, 44. *Nihil omissum quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur;* XIII, 54. *Quasi impetus antiqui et bona aemulatione.*

Saepius etiam constantiam structurae huic studio condonat, ut ab activa ad passivam et vicissim transeatur. Vid. in Ann. XI, 32. Hist. IV, 77. Germ. 29. Quare restituendum Ann. XIII, 8. *Corbulo . . corpore ingens, verbis magnificis*, pro quo *magnificus* intulerunt. Et Hist. III, 56. *Ignarus militiae, improvidus consiliis,* ubi edd. *consilii.* Contra cavimus ne Ann. XIV, 48. *Eo privatim miseriorem et publicae clementiae maximum exemplum futurum,* concinnitatem prae variatione requirentes *publice* scribi iuberemus.

Ac saepe ita variat structuras, tanquam ubertatem patrii sermonis ostentare vellet ac demonstrare, quam nulla legum grammaticarum tetricitate coartaretur Latine scribentium libertas. Ann. I, 18. *Plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes.* Ann. XV, 59. *Nomen mulieris Atria Galla, priori marito Domitius Silus.* Hist. IV, 76. *Neque aliud excusandum habeo quam quod vos Gallici foederis oblitos praedixerim, memoriam Romani sacramenti tenere credidi.* Plurima collegit et explicuit C. Rothius in Agr. Exc. XIII.

Etiam de figuris rhetoricis multas frequentavit, ut luminosam redderet orationem; maxime antithesin. Hist. I, 36. *Omnia serviliter pro dominatione.* Ann. II, 52. *Spe victoriae inducti sunt ut vincerentur.* Hist. I, 65. *Uno amne discretis connexum odium.*

Deinde allitterationem, ad quam linguae Latinae natura quodammodo ductos scriptores Latinos demonstravit Naekius. Ann. I, 58. *Si poenitentiam quam perniciem maluerit.* Ann. XIV, 21. *Laetitiae magis quam lasciviae dari noctes.*

Iam vero creberrimae sunt quas barbare vocamus allusiones. Nemo ignorat ad quas ineptias frequenter enarratorum sedulitas delapsa sit, dum quoties aliqua verba verbis prioris cuiuspiam scriptoris similia deprehenderant, statim imitationem clamant. Sed Tacitus saepe alios, poetas maxime, non tam imitatus est quam ita respexit, ut locum aliquem vel sensus vel locutionis proprietate illustrem cum iucunda legentium recordatione iteraverit, suisque scriptis intexuerit. In qua re illud quidem saepe ambiguum est, consultone an insciens id fecerit. Nemo autem poetarum notior et celebratior fuit illi saeculo quam *Virgilius*, cuius verba *Haec ubi dicta dedit* iam olim Livius alicubi narrationi suae inserere non dubitaverat. Eiusdem innumeras locutiones agnoscas apud Tacitum,

passim comparatas. Rarius *Horatii*, ut Ann. XV, 37. *Ex illo contaminatorum grege*, coll. Carm. I, 37, 9. non enim spadones communi sermone *contaminatorum* vocabulo venisse credo; nusquam quod sciam *Ovidii*, scriptoris ingenio et oratione dissimillimi, memor fuit; nec enim verba Agr. 44. tanquam expressa ex Ovid. Met. II, 857. comparavimus. Sed ne sui quidem temporis poetis eum honorem invidit. *Silii Italici* exemplo, opinor, oculum *honorem* dixit Germ. 6. *Valerium Flaccum* Hist. III, 74. expressit. Ex pedestribus saepissime *Sallustii* memor fuit. *Livii* comparatione ductus Trillerus egregie emendavit Hist. II, 80. Circa finem Agricolae unumquemque legentium meminisse voluit pulcherrimum *Ciceronis* de oratore locum; *Senecae* dictum aliquod immutatum repetiit, si vere emendavi Agr. 42. Etiam cum Thucydide, Platone, Demosthene conferre quaedam in promptu fuit, et Homerici versus agnoscuntur Hist. I, 80. et Agr. 34.

Et hactenus quidem de sermone Taciti. Quodsi librum potius quam commentationem de Tacito scribere suscepissem, multi adhuc restarent loci ad exponendum, de ingenio scriptoris et quid de rebus civilibus ac divinis persuasum habuerit, de doctrina eiusdem et fide et arte. Nunc autem quoniam nihil nisi praefandum, sero sane, editioni nostrae erat, illas quaestiones partim brevi absolvimus, partim prorsus reliquimus, eas praesertim quae rectius plane omittuntur quam breviter ideoque leviter tractantur. Ac talia requirentes consultius fuit ad illos libros relegare, quibus, non paucis illis hercle, excellentium ingeniorum sensus subtiliter et copiose explicati sunt. De sermone autem ideo paulo fusius disputavimus, ut notarum nostrarum raritatem et brevitatem suppleremus; simul ut, si quid audacius vel exposuisse vel emendavisse videremur, id defenderetur, cum dispersa

exempla sub uno conspectu posuissem. Hoc enim praecipue sectatus sum, non illud magnificentius et speciosius, ut imaginem quandam sermonis Tacitei proponerem. Id qui susceperit, non paucos habebit qui occinent Goethianum illud:

Noscituro, descripturo, quod animo et vita viget,
hoc tibi providendum est, animum et vitam ut evites
prius;
proinde partes exanimatas facili tractabis manu.

C. COR-

C. CORNELII TACITI

HISTORIAE.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Orditur, et quae in Historiarum toto opere dicenda carptim proponit, statum item tunc rei Romanae, Galbae ingenium, mores, gubernationem. Qui audito motu Germanico Pisonem Caesarem adoptat. Id Othonem offendit, qui spe sua lapsus animum ad utriusque caedem appulit. et perficit conciliatis sibi praetorianis. Galba et Piso trucidantur, item Titus Vinius. Otho in imperii sede est, cui tamen aemulus statim et hostis Vitellius exortus. De causis motae Germaniae et in ea legionum. Vitellium principem sumunt, et iter in Italiam, duobus ducibus, Valente Fabio et Alieno Caecina. Otho copias item ducesque parat. Recensio provinciarum quae penes utrumque principem. Interea Roxolani Sarmatae Moesiam irrupere, sed repulsi aut caesi. Seditio Romae et tumultus praetorianorum ingens exortus; qui senatum universum ad caedem deposcunt ut Othoni infidum. Otho aegre eos coercet, et donativo mox placat. Idem classem instruit mittitque in Galliam contra Vitellium. Denique ipse omissa urbe in eum it.

Gesta haec paucis mensibus, imperatore Servio Galba et Tito Vinio consulibus.

1. Initium mihi operis Servius Galba iterum, Titus (a. u. 822.) Vinius consules erunt. Nam post conditam urbem (a. C. 69.) octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores

C. 1. *octingentos .. prioris aevi*] Intelligendum est omne tempus ab urbe condita ad Serv. Galbam iterum et T. Vinium coss. exactum, quod Vocula eodem annorum numero complectitur IV, 58. *Te Iuppiter optime maxime, quem per octingentos et viginti annos . . . coluimus.* In seqq. multi illi auctores qui DCCCXX. annos priores rettulerunt, secundum diversa tempora distinguuntur; qui res *populi Romani*, id est liberae reipublicae, memorassent, eos Tacitus dicit pari eloquentia ac libertate rettulisse;

69. rettulerunt; dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate; postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere; simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine assentandi aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile adverseris; obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati

C. 2. *omnem potentiam* ex Ma. revocavi. At B. *omnium potestatem*. Illud verius: nam *imperium* quoque delatum est Augusto iuxta *principatum;* id autem *potentiae* nomine rectius continetur quam *potestatis*, quoniam opponuntur plerumque imperia potestatibus. Pariter Ann. I, 1. *Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem cessit.* Nec multum interest si sic accipias: Quae antea *populi Romani* fuerat potentia ac maiestas, ea deinceps *unius principis* esse coepit. Vid. c. 13. Doed.

infensos edd. At Ma. *fensos*, quod lenius mutares in *offensos* (ut c. 47. idem codex *fensas* exhibet pro *offensas*), nisi fortius nomen *infensos* flagitaret sententia.

adverseris MSS. h. e. adverso animo impugnes et refutes; id quod lectoris non minus quam scriptoris est. Muretus *averseris*, h. e. contemnas, abominere.

post pugnam *apud Actium*, sive aetate Caesarum ac principum, magna illa ingenia cessisse. Ita demum partic. *nam* quid velit intelligitur. Prius aevum propterea omittit, quod liberae reip. res satis vere iam sint ab aliis conscriptae, Caesarum autem res ideo componere non vult, quod eae a quoquam satis vere scribi vix possint, ob corruptam monumentorum et fontium naturam. Mox mutavit sane consilium Tacitus ac nihilo secius ad Annales Caesarum conscribendos se accinxit. Beroaldus, *septingentos et viginti annos* in textum intulerat.

C. 1. *ut alienae*] Tanquam publica res Caesaribus solis, civibus autem nil nisi suae cuique privatae res curae esse deberent. Ergo non *Romana* respublica reipublicae *alienae* opponitur, sed *publica* res rei *privatae*, ut IV, 38. *Vulgus . . cui una e re publica annonae cura.* Aliter Ernestius: „Cum homines suam remp. non aliter aut melius nossent quam alienam, propterea quod eius incuriosi essent, cum ad eam accedere non amplius liceret, sed unius omnia nutu et arbitrio gererentur.“ Doed.

inter infensos vel obnoxios] H. e. quoniam vel infensi vel obnoxii erant, ut Agr. 32. *Inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia.* Hist. I, 34. *Credula fama inter gaudentes et incuriosos*, coll. c. 50.

Sed ambitionem] Lenis adulationis significatio, ut Agr. 1.

falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est. Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis et quae sentias dicere licet. 69.

2. Opus aggredior opimum casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom. Quattuor principes ferro interempti; trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. Prosperae in Oriente, adversae in Occidente res. turbatum Illyricum; Galliae nutantes; perdomita Britannia et statim missa;

C. 2. *opimum* edd. ex ACK. At Ma. *opibus*.

Domitiano] Eo enim principe et quindecimvir et praetor fuit, ut ipse testatur Ann. XI, 11. Lips.

sine odio] Cogitatione addendum *quivis*, quod latet in *quisquam*. Vid. II, 52.

principatum Nervae, qui pace et civili prudentia usus sit, nomine distinguit ab *imperio* Traiani, qui imperatoria virtute et bellis inclaruerit. Ceterum uterque et principis et imperatoris nomen gessit.

securioremque quomodo sit accipiendum, ostendit Liv. praef. *Ut me a conspectu malorum quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe dum prisca illa tota mente repeto avertam, omnis expers curae, quae scribentis animum etsi non flectere a vero, solicitum tamen efficere possit.* Kiessl. Item Dial. 3. *Ut emitteres Catonem non quidem meliorem, sed tamen securiorem*, i. e. magis vacuum ab offensarum periculo ac metu. Bene comparat Pabstius Hor. C. II, 1, 6. *periculosae plenum opus aleae.* Et Trebell. Poll. Gallien. 1. *Quaedam etiam studiose praetermisi, ne eius posteri multis rebus laederentur.*

rara . . felicitate] In his *rara* non ut plerique intelligunt, praedicatum sed epitheton: *quoniam felicitas temporum, rara illa quidem, obtigit.*

C. 2. *Trina bella*] Sunt primum Othonis et Vitellii, secundum Vitellii et Vespasiani, tertium L. Antonii in Domitianum, de quo Suet. Dom. 6. Dio LXVII, 11.

permixta] Ut bellum Civilis, de quo III, 69. *Batavorum cohortes . . in Germaniam remissae, principium externo simul internoque bello parantibus fatis.* Et IV, 22. *Mixta belli civilis externique specie.* Dord.

Illyricum] Vid. c. 76. II, 85. IV, 3. — *Galliae*] Vid. IV, 49.

perdomita Britannia] Vid.

69. coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes; nobilitatus cladibus mutuis Dacus; mota prope etiam Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. Iam vero Italia novis cladibus vel post longam saeculorum seriem repetitis afflicta. haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae ora. et Urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso. Pollutae caerimoniae, magna adulteria. plenum exiliis mare, infecti caedibus scopuli. Atrocius in Urbe saevitum. nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium. nec minus praemia delatorum invisa quam scelera, cum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, agerent verterent cuncta odio et terrore. corrupti in

Agr. 10. Et *missa* h. e. *omissa*, ita neglecta, ut non instaretur eventibus Agricolae.

Sarmatarum] Vid. I, 79. III, 5. IV, 4. 54.

Suevorum] Non illi sunt qui in ipsa Germania et qui vulgo noti, sed qui trans Istrum assiti Sarmatis; illi ipsi quibus Vannius a Druso rex datus quique inter Marisum et Cusum fluvios locati, et hinc militia plerumque sociati cum illis, ut etiamnunc bello hoc in Domitianum. Vid. Ann. XII, 29. Suet. Dom. 6. Xiphilin. LXVII, 5. *ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σουήβοις τισὶ πολεμηθέντες πρέσβεις ἔπεμψαν αἰτοῦντες συμμαχίαν παρὰ Δομιτιανὸν καὶ ἔλαβον. ἀγανακτήσαντες δὲ ἐπὶ τούτῳ οἱ Σούηβοι προσπαρέλαβον Ἰάζυγας καὶ προσπαρεσκευάζοντο, ὡς καὶ μετ᾽ αὐτῶν τὸν Ἴστρον διαβησόμενοι.* Lips.

Dacus] Vid. III, 46. IV, 54. Agr. 41. Suet. Dom. 6. Stat. Silv. I, 1, 27. Theb. I, 20.

falsi Neronis] Suet. Ner. 57. *Denique cum post viginti annos adolescente me extitisset quidam conditionis incertae, qui se Neronem esse diceret, tam favorabile nomen eius apud Parthos fuit, ut vehementer adiutus et vix redditus sit.* Vid. in II, 8. Zonar. XI, 5. Xiphilin. LXIV, 9. Lactant. Persecut. 2.

Haustae . . urbes] Vid. Plin. Ep. VI, 16.

Capitolio] Vid. III, 67. 71.

pollutae caerimoniae, stupris Vestalium. Suet. Dom. 8. 22. Plin. Ep. IV, 11. Iuven. II, 29.

omissi . . honores pro crimine] Domitianus Herennium Senecionem interfecit, *ὅτι οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ᾐτήκει*, Walch. in Agr. p. 116.

consulatus ut spolia] Vid. IV, 42.

interiorem potentiam] H. e. aulicam, maxime *intra Albanam arcem*, ut Messalinus Agr. 45.

agerent . . terrore] Chiastice haec ordinata sunt. Iunge *agerent terrore* et *verterent odio*; h. s. cum omnia vel raperent, freti terrore potentiae suae; vel adeo ut quemque oderant, de-

dominos servi, in patronos liberti; et quibus deerat ini- 69.
micus, per amicos oppressi. 3. Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges; propinqui audentes, constantes generi; contumax etiam adversus tormenta servorum fides; supremae clarorum virorum necessitates, ipsa necessitas fortiter tolerata, et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Praeter multiplices rerum humanarum casus caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta, tristia, ambigua, manifesta. nec enim unquam atrocioribus populi Romani

tristia edd. At Ma. *tristilia.*

lationibus, accusationibus everterent. Nam *agere* eodem sensu dictum quo alibi plenior locutio: Dial. 8. *Nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta.* Et *vertere* pro composito, ut III, 54. *Civitatem verti,* coll. XII, 45. Doed.

C. 3. *secutae . . coniuges*] Ut Fannia Helvidii uxor, Thraseae filia, de qua Plin. Ep. VII, 19. *Bis maritum secuta in exilium est, tertio ipsa propter maritum relegata.* Doed.

constantes generi] Ut Helvidius Priscus, Thraseae gener. Vid. IV, 5.

servorum fides] Unum exemplum narratur IV, 50. Deinde *supremae necessitates* summas miserias significant, quas clarissimi saepe viri perpessi sunt, ut vitae discrimina, egestatem, exilia; *ipsa necessitas* autem *necem.* Pariter differt pluralis Ann. XI, 37. *Supremis eius necessitatibus ad miseriam victa est*, coll. Hist. II, 4. ab singulari, Hist. I, 72. *Accepto supremae necessitatis nuntio;* coll. Ann. XV, 61. Similiter distinguit Aesch. Eum. 15. *βαρύ, τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν.* Verba *fortiter tolerata* commune utriusque substantivi *ἀσυνδέτως* copulati praedicatum est, posterioris tantum numero accommodatum, ut Ann. III, 5. II, 69. *Carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum.* Et hoc quidem de iis dictum, qui principum saevitia ac pro libertate perierunt; contra quod statim commemorantur *exitus*, ad illos referendum videtur qui caede voluntaria mortem oppetierunt, ad *Othonem* maxime, cuius exitus si non causa, at constantia *Catoni Uticensi*, ex *antiquis* uni, perquam similis narratur. Sunt qui *pares exitus* ad viros militares in proeliis fortiter defunctos referant, ad exemplum, credo, antiquorum ducum, Deciorum, Paulorum. Et obiit sane in talem fortasse modum Fonteius Agrippa a Sarmatis occisus, de quo Ioseph. B. Iud. IV, 7, 3. Hoc si voluit, haud scio an *ducum* excidisse putandum sit. Sic II, 5. *Vespasianus . . antiquis ducibus par.* Ann. IV, 33. *Clari ducum exitus retinent animum.* Doed.

69. cladibus magisve iustis indiciis approbatum est, non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

4. Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit: ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur. Finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque civerat, evolgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. Sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem; primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exulum in spem erecti; plebs

C. 4. *laeti*, *usurpata* edd. At Ma. *laetius usurpatam.* Ex his posset utcunque retineri saltem *laetius* scil. agebant quam ceteri, ut II, 12. *corruptius* Ann. XIV, 1. *hactenus promptius*, ni statim sequeretur *licentius.*

C. 4. *ut non modo .. causaeque noscantur*] Sensus est: De animorum habitu disseram, ut non modo res sed etiam prudentia et voluntates agentium noscantur. Nam initia rerum sola penes homines sunt, successus autem et prosperi improsperive exitus penes fortunam. Pauca de verbis addam: *validum* et *aegrum* non de suapte vi vel imbecillitate dictum, sed prout utrumvis adversus Romam *fidum* vel *discors* fuit; ut II, 86. *Quidquid usquam aegrum foret aggrediuntur;* coll. Agr. 32. Porro *casus eventusque* contraria sunt, prosperae improsperaeque res; ut Ann. II, 26. *Satis iam eventuum, satis casuum.* Deinde *plerumque* imminuta apud Tacitum vi non plus est quam *persaepe*, ut Ann. XIII, 27. *Plurimis equitum, plerisque senatorum*; coll. Dial. 31. Hist. IV, 84. Denique *ratio causaeque* non ut synonyma iunguntur ut Cic. Caec. 1. Divin. II, 20. *Causam rationemque*, sed *ratio* ad *artem et prudentiam* eorum qui res gerunt pertinet, *causae* contra ad eorundem *voluntates et consilia:* ut Agr. 18. *Ratio et constantia ducis transvexit;* coll. c. 4. Doed.

alibi quam Romae] Nam Galba in Hispania a legionibus princeps factus erat; vid. V, 16. Add. Liv. XXVI, 2.

integra] Scil. *opibus* vel *fortunis* oppos. iis *qui adesis bonis.* Plene Sallust. Orat. Cott. *Fama et fortunis integer.* Aliter Lipsius: *integra*, sincera et lascivia temporum non corrupta.

sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi ser- 69.
vorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maesti et rumorum avidi. 5. Miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus, et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativom sub nomine Galbae promissum, neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum, praeventamque gratiam intelligit apud principem a legionibus factum, pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini praefecti imperium sibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: sed quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia; nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone assuefactos, ut haud minus vitia principum amarent quam olim virtutes verebantur. Accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. nec enim ad hanc formam cetera erant. 6. Invalidum senem Titus Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum contemptu inertiae destruebant. Tardum Galbae iter et cruentum, interfectis Cingonio Varrone consule designato et Petronio Tur-

C. 5. *sed quamvis* Rhenanus. At MSS. *et quamvis.*

C. 5. *Nymphidii*] Suet. G. 11. Plutarch. Galb. 8.

verebantur] Pro *reverebantur.*

pro republica honesta] H. e. reipublicae decora seu quod ad rempublicam attinet, ut III, 7. *Decorum pro causa.* Talia ne forte tanquam *ἀσυνδέτως* iuncta dirimere velimus, deterret Agr. 15. *Nec aliud pro nobis utilius.* Doed.

C. 6. *deterrimus mortalium,* et qui Galbam suorum flagitiorum odio oneraret, Vinius fuit vid. c. 48.; *ignavissimus* et qui Galbam contemptu inertiae suae destrueret, Laco fuit: vid. c. 26.

Tardum . . iter] Galba videtur iter ingressus circa Iulii initium et Romam circa Septembrem pervenisse, tardo itinere via longa et impedimentis gravi. Ex Savil.

69. piliano consulari: ille ut Nymphidii socius, hic ut dux Neronis inauditi atque indefensi tanquam innocentes perierant. Introitus in urbem trucidatis tot milibus inermium militum infaustus omine, atque ipsis etiam qui occiderant formidolosus. Inducta legione Hispana, remanente ea quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu insolito. multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata. 7. Forte congruerat, ut Clodii Macri et Fonteii Capitonis caedes nuntiarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantem Trebonius Garutianus procurator iussu Galbae, Capitonem in Germania cum similia coeptaret Cornelius Aquinus et Fabius Valens legati legionum interfecerant, antequam iuberentur. Fuere qui crederent Capitonem ut avaritia et libidine foedum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse; sed a legatis bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint, crimen ac

tanquam innocentes] Plin. Ep. IV, 11. *Cornelia Vestalis* . . *ad supplicium nescio an innocens, certe tanquam innocens ducta est*. Nam hanc pariter *absentem inauditamque* damnaverat incesti Domitianus.

trucidatis] H. e. supplicio affectis. Suet. Galb. 12. *Cum classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, recusantes atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes non modo immisso equite disiecit, sed decimavit etiam.*

numeri] Sunt cohortes, manipuli, vexilla, ut c. 87. II, 69.

Caspiarum] Suet. Ner. 19. *Parabat et ad Caspias portas expeditionem.* Sunt hae angustiae Tauri montis haud procul a Caspio mari.

Vindicis coeptis] C. Iulius Vindex qui Galliam pro praetore regebat, contra Neronem a. 821. rebellavit, non ut ipse principatum obtineret, sed ut Galbae Hispaniae Tarraconensis octavum annum praesidi traderet. Adversus eum Verginius Rufus, qui Germaniae praeerat, arma movit. Vindex superatus sua sibi manu mortem conscivit. Post Vindicis obitum Verginio Rufo principatum milites obtulerunt. Frustra. Dio LXIII, 22—25. Suet. Galb. 9. Plutarch. Galb. 4—6. Kiessl.

C. 7. *foedum ac maculosum*] Vid. in II, 30.

Crimen refertur ad crimen

dolum ultro compositum; et Galbam mobilitate ingenii, 69.
an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque caedes sinistre accepta; et inviso semel principe seu bene seu male facta premunt. Iam afferebant venalia cuncta praepotentes liberti; servorum manus subitis avidae et tanquam apud senem festinantes; eademque novae aulae mala, aeque gravia, non aeque excusata. Ipsa aetas Galbae irrisui ac fastidio erat assuetis iuventae Neronis et imperatores forma ac decore corporis, ut est mos volgi, comparantibus. 8. Et hic quidem Romae, tanquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit. E provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. Galliae super memoriam Vindicis obligatae recenti dono Romanae civitatis et in posterum tributi levamento. Proximae tamen Germanis exercitibus Galliarum civitates non eodem honore habitae, quaedam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac suas iniurias metieban-

C. 7. *principe . . premunt* edd. ex BG. quod explicant: cum semel invisus princeps est, quaelibet eius facta eum premunt, vel in deterius trahuntur. Enimvero leges grammaticae et accusativos requirunt et ut in generali sententia pluralem. Ergo suspicor cum Heinsio: *et invisos semel principes . . premunt.* At Ma. *principi . . praeminuit*, quod retinuit Waltherus h. s. Utraque illa caedes obscuravit omnia quae Galba adhuc, semel ille invisus, seu bene seu male fecerat; nam si quid bene fecisset, haec caedes tanto peior videbatur, ut culpa laudem praemineret; at quae male fecisset, eorum crimen hoc novo facinore multo exsuperari credebatur.

C. 8. *dono*] Plutarch. Galb. 18. At Ma. *domino.*

quod imputarent, *dolum* pertinet ad fraudem caedis. Walth.

Iam afferebant] H. e. *Iam vero*, *vollends.* quoniam graviores nunc invidiae causae memorantur. Non male quidam *offerebant* commendaverunt.

subitis ablativus causae est, ut c. 69. *Animum mutabilem avidis*, non dativus ex *avidae* aptus. Explica: quia subito atque ex improviso tanta iis felicitas obtigerat, ut principis haberentur familia.

apud senem festinantes] Statius: *Non parcit populis regnum breve.*

C. 8. *tanquam*, pro *ut* restrictivo.

pacis artibus] Ut Ann. XVI, 18. *Habebatur . . erudito luxu.* Perperam faciunt qui intelligunt *expertus* ex seq. voc. *inexpertus.*

69. tur. Germani exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis victoriae, et metu tanquam alias partes fovissent. tarde a Nerone desciverant; nec statim pro Galba Verginius. an imperare voluisset, dubium: delatum ei a milite imperium conveniebat. Fonteium Capitonem occisum etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. dux deerat, abducto Verginio per simulationem amicitiae; quem non remitti atque etiam reum esse tanquam suum crimen accipiebant. 9. Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate; ne quieto quidem milite regimen: adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae Aulus Vitellius aderat, censoris Vitellii ac ter consulis filius: id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum: non sane aliae legiones per omnes civilium bellorum motus innocentius egerunt, seu quia procul et Oceano divisae, seu crebris expeditionibus doctae hostem potius odisse. Quies et Illyrico, quanquam excitae a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. Sed longis spa-

et metu Put. et MS. G. At Ma. *et metus*, quod cum damno elegantiae potest utcunque retineri.

et irati superbia.] Suet. Galb. 16. *Sed maxime fremebat superioris Germaniae exercitus, fraudari se praemiis navatae adversus Gallos et Vindicem operae.*

Verginius, Rufus.] Is inscribi tumulo suo voluerat: *Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam imperium asseruit non sibi sed patriae.* Plin. Ep. VI, 10. coll. II, 1.

Capitonem occisum] Occiderat eum Valens, *corruptum seu quia corrumpere nequiverat*; Vid. III, 62.

censoris Vitellii] Ann. XII, 4. *Vitellius nomine censoris serviles fallacias obtegens.*

ac ter consulis] Vid. Ann. XIV, 56.

id satis videbatur] Scil. Galbae. Perstringitur Galba, quod talem hominem parem iudicaverit tantae militum ferociae compescendae et in fide retinendae; nam virtus, non nobilitas spectanda erat in legato eligendo. Ceterum ingeniose Lipsius *fatis* coniecit, nisi quod sermo *ita* posceret, non *id*.

tiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad con- 69.
tinendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur. 10. Oriens adhuc immotus. Syriam et quattuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque iuxta famosus. insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat; mox attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae repositus tam prope ab exule fuit quam postea a principe. luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus. nimiae voluptates, cum vacaret: quotiens expedierat, magnae virtutes. palam laudares: secreta male audiebant. sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens, et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere. Bellum Iudaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus: quippe Titum filium ad venerationem cultumque eius miserat, ut suo loco memorabimus. Occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium post fortunam credidimus. 11. Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum: ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, su-

C. 10. *Occulta lege* edd. ex G. At Ma. *lege* omittit. Suspicor: *Occulto fati*, ut Ann. I, 61. *Humido paludum*. Vid. Roth. in Agr. p. 189.

C. 10. *repositus*] Acidalius suspicatur *sepositus* ut c. 13. 88. Ann. IV, 44. *Hunc seposuit Augustus in civitatem Massiliensem.*

quotiens expedierat] Scil. se ad bellum, ut c. 88. ac plene II, 99.

palam adiectivi vice fungitur, ut Ann. XVI, 5. *Multis palam et pluribus occultis.*

apud collegas] Finitimarum provinciarum rectores intelligit, ut Agr. 9.

suo loco memorabimus] Vid. II, 1.

post fortunam] Postquam coepit imperare, ut III, 43. *Vespasiano ante fortunam amicus.* Aut: postquam evenit, τύχην, ut Ann. I, 31. *Fortunam seditionis alienae speculabantur.*

C. 11. *annonae fecundam*] Genitivus est ut Ann. VI, 27. pro

69. perstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, domi retinere. regebat tum Tiberius Alexander, eiusdem nationis. Africa ac legiones in ea interfecto Clodio Macro contenta qualicunque principe post experimentum domini minoris. Duae Mauritaniae, Raetia, Noricum, Thracia et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinae, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciae atque ipsa in primis Italia, cuicunque servitio exposita, in pretium belli cessurae erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum Servius Galba iterum, Titus Vinius consules inchoavere annum sibi ultimum, rei publicae prope supremum.

12. Paucis post calendas Ianuarias diebus Pompeii Propinqui procuratoris e Belgica litterae afferuntur, superioris Germaniae legiones rupta sacramenti reverentia imperatorem alium flagitare, et senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere, quo seditio

frumenti. Quoniam civitas Romana commeatibus ex Aegypto advehendis nutriebatur, in sua potestate eam frumenti copiam esse Caesar voluit, ut Romanam annonam levare posset ipse pro arbitrio, neu forte turbis illic ortis et retento frumento fames Romanis oriretur.

lascivia discordem] Audi Iuvenal. XV.

insciam ad doctrinam pertinet, *ignaram* ad experientiam. Vid. Synon. Lat. V. p. 266.

domi retinere eodem sensu quo Ann. II, 59. *Seposuit Aegyptum* h. e. Caesaream provinciam esse voluit, in quam ipse pro arbitrio procuratorem mitteret, non publicam, quae a proconsulibus vel propraetoribus arbitrio senatus regeretur.

Tiberius Alexander] De eo vid. Rudorff. in Niebuhrii Mus. Rhen. T. II, P. 2. p. 157.

ac legiones in ea] At una tantum legio auxiliaque in Africa tum agebant; vid. IV, 48. coll. II, 97. Propterea Rittero haec verba videntur supposita, cum praesertim provinciales soli, non legiones etiam *contenti qualicunque principe* apte dici possint.

domini minoris] Int. Clodii Macri, cuius saevitiam testatur Plut. Galb. 6. Opponitur dominus *minor*, qui praeses provinciae ut dominum se gesserat, *maiori*, scil. Caesari. WALTH.

Duae Mauritaniae] Caesariensis s. Bocchiana ab urbe Caesarea antea Iol dicta, hodie *Algier*; et Tingitana s. Bogudiana, ab urbe Tingi, hodie *Tanger*. KIESSL. Vid. II, 58.

Inermes provinciae] Quae nullo exercitu Romano obtinebantur.

mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbae 69. iam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat, primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa iam aetate Galbae. Paucis iudicium aut rei publicae amor: multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in Titi Vinii odium, qui in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat. quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat, cum apud infirmnm et credulum minore metu et maiore praemio peccaretur. 13. Potentia principatus divisa in Titum Vinium consulem, Cornelium Laconem praetorii praefectum. nec minor gratia Icelo Galbae liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant. Hi discordes, et rebus minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro Marco Othone; Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant quam alium. Neque erat Gal-

C. 12. *multi stulta* Waltherus. *militis tulta* Ma.
C. 13. *Cornelium* ex Ma. At edd. *et Cornelium*.

ambitiosis Lipsius et A.: *ambitionis* Ma. cum ceteris. *ambitiosi rumores* sunt, quibus qui eos spargebant gratiam amicorum vel patronorum, quos ad summum fastigium destinarent, sibi quaererent. Illi igitur cum nullo iudicio vel indignissimos homines adoptandos designarent, *stultam spem* suam satis declarabant. RITTER.

in odium] Ut odio satisfieret, ut Ann. XV, 44. *in saevitiam unius*. Ovid. Met. XIV, 71. *In Circes odium sociis spoliavit Ulixem*. Iul. Capitol. Clod. Alb. 12. *A senatu amatus est in odium speciatim Severi*. Madvig. Opp. acadd. I, p. 169.

eodem actu] H. e. item, pariter; ut Virg. Aen. XII, 687. *Fertur in abruptum magno mons improbus actu*. Lucan. IX, 30. 471. Quamquam fateor *potentiam* parum apte numerari in *actibus*. Suspicor cum Lectio: *eodem auctu*. Et ingeniose quidem Fr. G. Otto in Progr. Giss. 1843: *eodem factus invisior erat*. Sic Fr. Caton. *Post ubi irata facta est*. Contra Rothius Exc. ad Agr. p. 195. separat ablativos h. l. tanto invisior actu rerum erat; coll. Suet. Aug. 32. Ner. 17.

C. 13. *Potentia* emphaticum est, oppos. nomini principatus, quod penes Galbam erat.

anulis] Insigni dignitatis equestris; vid. II, 57. Suet. Vit. 12.

69. bae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur. Credo et rei publicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur. namque Otho pueritiam incuriose, adulescentiam petulanter egerat, gratus Neroni aemulatione luxus. eoque iam Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur. mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho comiter administrata provincia primus in partes transgressus, nec segnis et, donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam acrius in diem rapiebat, faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis ut similem. **14.** Sed Galba post nuntios Germanicae seditionis, quanquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius, quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit; adhibitoque super Vinium ac Laconem Mario Celso consule designato ac Ducennio Gemino praefecto urbis, pauca praefatus de sua senectute, Pisonem Licinianum accersi iubet, seu propria electione sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum

in diem ex Ma. revocavi, ut Plin. H. N. V, 15. *In diem ex aequo convenarum turba renascitur.* At edd. *in dies*, ut c. 19.
C. 14. *accersi* Muret. At MSS. *accersiri.* Ea forma defensa in Synon. Lat. III. p. 282. si prorsus intolerabilis esset, suspicarer: *accersere*, ut c. 38. *Aperire armamentarium iussit.* Et 40. *Occupare pericula iubet.* Doed.

eoque iam] Referendum *iam* ad *antequam uxorem amoliretur*, quae sententia latet in seqq. *donec . . amoliretur.* Doed.

Poppaeam] Aliter et haud dubie emendatius Tacitus haec narrat in Ann. XIII, 45. 46. Erat enim Poppaea uxor Othonis eique marito abducta a Nerone.

C. 14. *comitia imperii* nove nec sine ironia quadam, opinor, Tacitus concilium vocat ad eligendum imperatorem convocatum, assimilans comitiis reipublicae, quibus magistratus creabantur.

cum Pisone amicitia; sed callide ut ignotum fovebat, 69.
et prospera de Pisone fama consilio eius fidem addiderat. Piso Marco Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrinque, voltu habituque moris antiqui et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. ea pars morum eius quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat. 15. Igitur Galba apprehensa Pisonis manu in hunc modum locutus fertur. „Si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Cnaei Pompeii et Marci Crassi subolem in penates meos adsciscere, et tibi insigne Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adiecisse; nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum praeclara indoles tua et amor patriae impulit, ut principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus quiescenti offeram, exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit. Sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in

C. Pompeii Freinsh. At MSS. *nunc Pompeii.*

tristior] H. e. tristis potius quam severus.

adoptanti] Suppl. *eo magis.*

C. 15. *lege curiata*] Antiquo tempore si quis in aliam familiam vel gentem transiret, id lege a *curiis* accipienda sanciebatur, eaque lex *curiata* appellata est vel *populi rogatio.* Sed cum dignitas et munera curiarum post legem Maeniam latam (U. 468.) paulatim exolescerent, pontifices earum in adoptandis liberis munia exsequebantur, quorum adoptionis cuiuspiam approbatio etiamtum *lex curiata* appellabatur. Cf. Gellius V, 19. *Arrogantur ii, qui, cum sui iuris sunt* (Piso talis erat, non filius familias), *in alienam sese potestatem tradunt, eiusque rei ipsi auctores fiunt. Sed arrogationes non temere nec inexplorate committuntur: nam comitia arbitris pontificibus praebentur, quae* c u r i a t a *appellantur.* Princeps Galba pontifex maximus erat, itaque solus arrogare Pisonem imperiique comitia transigere poterat. Contra Augustus tanquam privatus nepotem Agrippam privignumque Tiberium adoptavit in foro *lege curiata*, h. e. auctoribus pontificibus. Conf. Sueton. Octav. 65. Ritter.

Sulpiciae et Lutatiae] Scil. gentis. Nam Galba fuit e gente Sulpicia, mater eius, Mummia Achaica, neptis Lutatii Catuli.

69. re publica: non quia propinquos aut socios belli non habeam, sed neque ipse imperium ambitione accepi, et iudicii mei documentum sint non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae. Est tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea aetas tua, quae cupiditates adulescentiae iam effugerit; ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, praecipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis, sed alii per obsequium imminuent. irrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas. Et iam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur: ceteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris: assentatio erga quemcunque principem sine affectu peragitur. 16. Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo res publica inciperet: nunc eo necessitatis iam pridem ven-

documentum sint Lipsius ex Vat. At Ma. *documentum sit*, quod defendit Petersenius.

Et iam h. l. ineptum habetur. Bekkerus omisit ac transtulit post quartum versum *Etiamsi immensum* cum Oberlino scribendo, prorsus contra sensum eius periodi hypotheticae. Leniore transpositione suspicor: *Irrumpet adulatio*, *blanditiae*, *iam pessimum veri affectus venenum*, *sua cuique utilitas. Et ego ac tu* etc. Vid. ad Ann. I, 41. Doed. Transpositio vereor ne vim notionum sibi iunctissimarum aliquantum imminuat. Nec placet sententiam *Ego ac tu ... loquimur* copulari praegressis, non opponi. Sed obscuravit compendium *tam* formulam exquisitam *et tamen*, si quidem restituendum videtur: *et tamen ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur.* H. e. nos saltem, quamvis ceteri fidem exuerint, in simplicitate perseveramus. Bernh.

frater] De quo infra IV, 39.

sine affectu] Sine vero amoris favorisque sensu. Ritter. Immo *ἀδιαφόρως* accipiendum: sine ullo animi affectu, torpida mente, *gedanken- und gefühllos*, ut IV, 31. *militia sine affectu.* Ita demum constat oppositio post *multi laboris.*

C. 16. *a quo respublica in-*

tum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Ro- 69.
mano posset quam bonum successorem, nec tua plus iuventa quam bonum principem. Sub Tiberio et Gaio et Claudio unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit quod eligi coepimus. Et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari et nasci a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum; et si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem longa Caesarum serie tumentem non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulerunt; neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello et ab aestimantibus adsciti cum invidia, quamvis egregii, erimus. Ne tamen territus fueris, si duae legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt. ne ipse quidem ad securas res accessi; et audita adoptione desinam videri senex, quod nunc mihi unum obiicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius neque temporis huius, et

C. 16. *depulerunt* edd. At Ma. *depulereunt*. Suspiceris: *depulere*, cui vulgaris forma *unt* primum supra scripta dein adhaeserit. Nam raro longior forma apud Tacitum legitur: C. Roth. in Agr. p. 82. Vid. in IV, 70.

ciperet] H. e. qui libertatem reipublicae primus restituerem; ut Ann. IV, 9. *Tiberius ad vana revolutus, de reddenda re publica.*

si velis eligere] Dummodo decretum tibi sit non unum aliquem sed optimum et maxime idoneum eligere. Ita enim differt *eligere* a *deligendo*.

una legione] Suet. Gab. 10. *E plebe provinciae legiones et auxilia conscripsit super exercitum veterem legionis unius duarumque alarum et cohortium trium.* Erat haec legio sexta: V, 16.

territus fueris] Diligenti electione haec verbi forma, quamvis periphrastica et brevitati adversa, locum obtinet. Est enim aoristus coniunctivi, ut μὴ ταραχθῇς, h. e. *cave ne terreare.* Ita admonere solemus eum quem nondum territum putamus. Contra *ne terreare* ut μὴ ταράσσου significaret: *desine terreri*, tanquam Piso metum iam concepisset.

69. impletum est omne consilium, si te bene elegi. Utilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est cogitare, quid aut volueris sub alio principe aut nolueris. Neque enim hic, ut gentibus quae regnantur, certa dominorum domus et ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem." Et Galba quidem haec ac talia, tanquam principem faceret, ceteri tanquam cum facto loquebantur. **17.** Pisonem ferunt, statim intuentibus et mox coniectis in eum omnium oculis, nullum turbati aut exultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus; nihil in voltu habituque mutatum, quasi imperare posset magis quam vellet. Consultatum inde, pro rostris an in senatu an in castris adoptio nuncuparetur. Iri in castra placuit: honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione et ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud spernendum. Circumsteterat interim palatium publica expectatio, magni secreti impatiens; et male coercitam famam supprimentes augebant. **18.** Quartum idus Ianuarias, foedum imbribus diem, tonitrua et fulgura et caelestes minae ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret, contemptorem talium ut fortuitorum, seu quae fato manent, quamvis significata, non vitantur. Apud frequentem militum concionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem more divi Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. ac

utilissimus idem edd. At Ma. *bonorum* interserit, per dittographiam.

C. 18. *comitiis dirimendis*] Aptum est ex omisso *idoneum*. Sensus est: Id, quod antiquitus cum observabatur, ad dirimenda comitia valebat, non terruit Galbam.

quo vir virum legeret] Liv. IX, 39. *Etrusci lege sacrata coacto exercitu, cum vir virum legisset, quantis nunquam alias ante simul copiis simul animis dimicarunt;* coll. X, 38. *Primoribus Samnitium . . decem nominatis ab imperatore iis di-*

ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro asse- 69.
verat quartam et duoetvicesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse, et brevi in officio fore. nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. Tribuni tamen centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros maestitia ac silentium, tanquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. Constat potuisse conciliari animos quantulacunque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus. 19. Inde apud senatum non comptior Galbae, non longior quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. et patrum favor aderat: multi voluntate effusius; qui noluerant, medie, ac plurimi obvio obsequio, privatas spes agitantes sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo, quod medium inter adoptionem et caedem fuit, dictum a Piso-

C. 18. *duoetvicesimam* Bekkerus. At Ma. *duodevicesimam;* perperam; „nam idem liber infra c. 55. 56. II, 100. III, 22. IV, 24. 37. eandem hanc legionem *duoetvicesimam* totiens constanter nominat, quodque statui utique nequit et *duodevicesimam* et *duoetvicesimam* legiones pro ripa Rheni compositas fuisse. Omnem enim Germaniam cisrhenanam inde ab Augusto octo legiones cohibebant (conf. A. IV, 5.); quarum hoc tempore quattuor in Germania inferiore agebant, *prima* et *quinta* et *quinta decuma* ac *sexta decuma*. Vide H. I, 55. Eodem loco superioris exercitus legiones nominantur *quarta* ac *duoetvicesima*, reliquamque eiusdem exercitus legionem fuisse *unetvicesimam* ex H. I, 61. edocemur. Hac enim aetate septem legiones Rhenum iuxta in hibernis locatae erant, cum *quartam decumam*, Augusti Tiberiique aevo ad ripam Rheni agentem (cf. A. I, 70.) Claudius in Britanniam tramisisset. Vide A. XIV, 34. H. II, 11. Legio *duodevicesima* neque Tiberio neque Galba imperante in Germania fuit. Ritter.

ctum ut vir virum legeret, donec sexdecim millium numerum confecissent. Erat is mos, ut sibi quisque miles legeret qui proximus sibi esset in acie, externus, a delectus Romani more alienus. Quo magis refutanda Ferreti coniectura: *exemplo D. Augusti et more militari*.

grata auditu] Aut respondentium verba sunt, scil. *esse*, aut narrantis: quae grata auditu erant, faustas voces edendo. Ad sensum nil interest. At Ma. *audito*.

C. 19. *medie*] H. e. moderate. Plin. IX, 13, 17. *Tum Satrius Rufus medio ambiguoque sermone*. Vid. Hist. IV, 8. III, 40.

69. ne in publico factumve. Crebrioribus in dies Germanicae defectionis nuntiis, et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. Agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, maiore praetextu, illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus. Placebat et Laconem praetorii praefectum simul mitti: is consilio intercessit. Legati quoque (nam senatus electionem Galbae permiserat) foeda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes impulerat. 20. Proxima pecuniae cura; et cuncta scrutantibus iustissimum visum est inde repeti, ubi inopiae causa erat. Bis et vicies milies sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. at illis vix decumae super portiones erant, isdem erga aliena sumptibus quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites Romani praepositi, novum officii genus et ambitu ac numero onerosum. ubique hasta et sector, et inquieta urbs auctionibus. ac tamen grande gaudium, quod tam pauperes forent quibus donasset Nero quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, e praetorio Antonius Taurus et Antonius Naso, ex ur-

C. 20. *milies* Lipsius; *mile* MSS.

praetextu] Specie rei, splendore, ut c. 76. *Erat grande momentum in nomine urbis et praetexto senatus.*

super ... erant] Per tmesin ut Virg. A. II, 567. *Iamque adeo super unus eram.*

instrumenta vitiorum] Intellige villas, balnea, scorta, alia, quae per se vitia ac nullis nisi luxuriosis usui erant.

onerosum] Scil. civitati, non ipsis, qui administrabant; quando quidem nova ambitus necessitas proponebatur omnibus, qui aliquo nomine arcessi poterant, et insuper erga triginta.

e praetorio] H. e. de cohortibus praetoriis; mox *e vigiliis* h. e. de cohortibus vigilum. Perizon. de praetor. p. 139.

banis cohortibus Aemilius Pacensis, e vigiliis Iulius 69.
Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium, tanquam per artem et formidinem singuli pellerentur omnibus suspectis.

21. Interea Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. Fingebat et metum, quo magis concupisceret: praegravem se Neroni fuisse, nec Lusitaniam rursus et alterius exilii honorem expectandum. suspectum semper invisumque dominantibus qui proximus destinaretur. nocuisse id sibi apud senem principem; magis nociturum apud iuvenem ingenio trucem et longo exilio efferatum. occidi Othonem posse. proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. opportunos magnis conatibus transitus rerum; nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies quam temeritas. mortem omnibus ex natura aequalem, oblivione apud posteros vel gloria distingui. ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse merito perire. 22. Non erat Othonis mollis et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque, corruptius quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobrabant, urgentibus etiam mathematicis, dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum affirmant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax,

C. 21. *metum*] H. e. periculum.

occidi] Non *relegari* solum ut antea.

C. 22. *adulteria*] Quae cum qualibet aliena uxore posset exercere; *matrimonia*, quae quotiescunque vellet mutare novaque inire liceret; *libidines*, scortorum copiam.

ut aliena] H. e. tanquam si ipse per ignaviam nollet, ab aliis occuparentur.

69. quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. Multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant; e quibus Ptolemaeus Othoni in Hispania comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat fore, ut in imperium adscisceretur. Sed Otho tanquam peritia et monitu fatorum praedicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi. 23. Nec deerat Ptolemaeus, iam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab eiusmodi voto transitur. Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat, in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando; alios agnoscere, quosdam requirere, et pecunia aut gratia iuvare, inserendo saepius querelas et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta volgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur, cum Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus adire soliti Pyrenaeum et Alpes et immensa viarum spatia aegre sub armis eniterentur. 24. Flagrantibus iam militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens, e

credendi Pichena; *credi* MSS.

Ptolemaeus] Hunc *Seleucum* nominat Suet. Oth. 4. et 6. Eo autem nomine Tacitus Vespasiani mathematicum introducit H. II, 78. Uter erraverit in incerto est; cum Tacito facit Plutarch. Galba.

C. 23. *in itinere*] Dum iter faciunt; *in agmine*, dum ambulant, exercendi causa. Synon. Lat. T. IV. p. 68.

cum Campaniae lacus] Nequeo Tacitum purgare a confusionis crimine: „Qui Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus adire solebant, *praetoriani* erant milites; illi ad quos Otho orationem habuit, erant Hispaniae *legionarii*, in montium transitu, qui Neroni in Achaiam comites esse non potuerant.“ SAVILIUS. Ergo Tacitus bona malaque utrisque tribuit, cum tamen alteri mala, alteri bona experti essent.

C. 24. *velut faces addiderat*] Ut Cic. Orat. II, 51, 205. *Neque*

proximis Tigellini. is mobilissimum quemque ingenio 69.
aut pecuniae indigum et in novas cupiditates praecipitem alliciendo, eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret; quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat, adeo animosus corruptor ut Cocceio Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dederit; per socordiam praefecti, quem nota pariter et occulta fallebant.

25. Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum tesserarium speculatorum et Veturium optionem eorundem perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti. suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant, primores militum per beneficia Nymphidii ut suspectos, volgus et ceteros

parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces. III, 1, 4. *Cum homini vehementi .. quasi quasdam verborum faces admovisset.*

in novas cupiditates] In novarum rerum cupiditates, ut Ann. XIV, 58. *Ad spes novas transisse.*

per socordiam] Arte coniungendum cum *adeo animosus corruptor.* Erat autem praefectus Cornelius Laco *ignavissimus mortalium*, c. 6.

C. 25. *tesserarium*] Plutarch. Galb. 24. *ἐν δὲ τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος· οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες.* Immo haec postrema de *universis*, potius speculatoribus dicenda erant, qui deni in singulis legionibus mandata tribunorum perferebant, *Ordonnanzen.* Uni autem ex his proprium munus erat, ut tesseram militarem a tribuno acciperet. In Gloss. Labb.: *γραμματεύς. scriba, tesserarius.*

optionem] Festus: *In re militari appellatur is quem decurio aut centurio optat sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius obeat publica officia.* Et Veget. II, 7. *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus aegritudine praepeditis hi tanquam adoptati eorum atque vicarii solent universa curare.* Sed fortasse non ab *optando* nomen habet, sed a Graeco vocabulo *ὀπηδέων, ὀπαδός.* Doed.

69. ira et desperatione dilati totiens donativi. erant quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet. in commune omnes metu mutandae militiae terrebantur. 26. Infecit ea tabes legionum quoque et auxiliorum motas iam mentes, postquam volgatum erat labare Germanici exercitus fidem. adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero iduum redeuntem a cena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent, non rei publicae cura, quam foedare principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus, et adversus peritos pervicax. 27. Octavo decimo calendas Februarias sacrificanti pro aede Apollinis Galbae haruspex Umbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit, audiente Othone (nam proximus astiterat) idque ut laetum e contrario et suis cogitationibus prosperum interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat expectari eum ab architecto et redemptoribus; quae significatio coeuntium iam militum et paratae coniurationis convenerat. Otho, causam digressus requirentibus, cum emi sibi praedia vetustate suspecta eoque prius exploranda finxisset, in-

C. 25. *In commune* Rhenanus. At MSS. *In communi.*

C. 26. *iduum* edd. *iduum dierum* Ma. BV. *iduum die* AG.

C. 26. *rapturi fuerint*] Scil. in castra praetoriana, ut ibi imperator salutaretur; cf. c. 29.

C. 27. *pro aede Apollinis*] Ante aedem Apollinis Palatini.

nixus liberto per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad miliarium aureum sub aedem Saturni pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem, ac paucitate salutantium trepidum, et sellae festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt. totidem ferme milites in itinere aggregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore et gladiis, pars silentio, animum ex eventu sumpturi. **28.** Stationem in castris agebat Iulius Martialis tribunus. is magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque suspicionem conscientiae. anteposuere ceteri quoque tribuni centurionesque praesentia dubiis et honestis. isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

69.

29. Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni iam imperii deos, cum affertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse

C. 29. *incertum quem* AE. At Ma. *incertumque.*

per Tiberianam domum] Quae Augusti domui a Tiberio fuerat addita in occidentali montis Palatini parte. Pariter Suet. Oth. 6. *Proripuit se postica parte palatii;* nempe ubi erat aedes Apollinis.

Velabrum] Vicus inter forum Romanum, Tiberim et Aventinum montem ad circum maximum porrectus. Nomen duxit non a vehendo ut Varro L. L. V, 5. ait, sed ab *ἀλεῖφαρ*, quoniam oleariorum illic erat habitatio.

miliarium aureum] Fecit Augustus. Dio LIV, 8. Plutarcho Galb. 24. dicitur *χρυσοῦς κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν.* Plin. H. N. III, 5. In capite Romani fori statutum. Walth.

aedem Saturni] Ea erat in imo clivo Capitolino.

gladiis] Scil. *concussis*, in gaudii et alacritatis documentum; nam non apud Germanos solos *honoratissimum assensus genus erat armis laudare* (Germ. 11. Hist. V, 17.), Romani milites eundem morem naturae maxime congruum saepe usurpant apud Livium et Polybium. Pichena *gaudio* substituit (coll. 11, 70. IV, 79.), Faernus *gaudiis*, ut Ann. XIV, 4. Cic. Cat. I, 10. Doed.

C. 28. *magnitudine subiti sceleris*] Scil. *perculsus;* id enim participium ex seq. *metuens* iure zeugmatis mutuandum est. Non conscius fuit Martialis iudice Tacito, sed aut amens aut ignavus. Plut. Galb. 25. *Μαρτιάλιος ὥς φασι, μὴ συνειδώς, ἐκπλαγεὶς δὲ τῷ ἀπροσδοκήτῳ καὶ φοβηθεὶς ἀφῆκεν εἰσελθεῖν.*

69. qui raperetur; simul ex tota urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidine augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit pertentari animum cohortis quae in palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remediis servabatur. Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est. „Sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen sive timendum erat, Caesar adscitus sum; quo domus nostrae aut rei publicae fato, in vestra manu positum est. Non quia meo nomine tristiorem casum paveam, ut qui adversas res expertus cum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere: patris et senatus et ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est aut, quod aeque apud bonos miserum est, occidere. Solatium proximi motus habebamus incruentam urbem et res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. 30. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiae. neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret. Habitune et in-

fato Puteol. ut Cic. Phil. II, 1. *Quonam meo fato fieri dicam.* At MSS. *fatum.*

discam Freinsh. *dicam* MSS.

C. 29. *obvias fuerat*] Scil. Othoni ac seditionis auctoribus.

alii . . augentes] Expectares post *affertur* ablativos *aliis augentibus;* sed assimilati sunt nominativis relativae enunciationis, attractionis lege. Obiectum participii est *rumorem;* id qui non intellexerant, *formidinem* intulerunt. Doed.

non quia] Verbum ex seqq. repetendum, *doleo.* Quare puncto haec a praecc. diremi cum edd. vett. Eadem verbi dilatio in Othonis oratione c. 83.

proximi motus] Quo Nero detrusus est imperio.

C. 30. *nobilitatis*] H. l. non de *loco et origine* intelligo; ea enim inter *virtutes* vix recte numeraretur; sed de *ingenii* praestantia, ut Ann. I, 29. *Drusus quamquam rudis dicendi nobilitate ingenita incusat priora*, h. e. *Geist*, *Geistreichthum.* Vid. in Agr. 1. Doed.

imperatoris, Neronis.

cessu an illo muliebri ornatu mereretur imperium? fal- 69.
luntur quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc et comissationes et feminarum coetus volvit animo: haec principatus praemia putat; quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. nemo enim unquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba consentientibus vobis Caesarem dixit. Si res publica et senatus et populus vana nomina sunt, vestra, commilitones, interest, ne imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversum duces suos audita est aliquando: vestra fides famaque illaesa ad hunc diem mansit. et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. Minus triginta transfugae et desertores, quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret, imperium assignabunt? admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen facitis? transcendet haec licentia in provincias; et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec est plus quod pro caede principis quam quod innocentibus datur, sed perinde a nobis donativom ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis." 31. Dilapsis speculatoribus, cetera cohors

specie Rhenanus ut Plin. Ep. II, 6. *Ne tibi optimae indolis iuveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat.* At MSS. *speciem.* Suspicor: *fallunt quibus luxuria speciem liberalitatis imponit*, ut Liv. IX, 11, 7. *Semper aliquam fraudi speciem iuris imponitis.* Eodem mendo c. 74. *offerebantur* pro *offerebant* scriptum erat. Doed.

vana edd. ex CG. At Ma. *vacua*, eodem sensu, ut Petron. 101. *Sine causa spiritum tanquam rem vacuam impendere ne vos quidem velle existimo.* De synonymo *inanis* scil. re et veritate, notus est usus. Tac. IV, 14. *Inania legionum nomina.* Synon. Lat. I, p. 96.

Perdere] H. e. profundere.

Si respublica] Sensus est: Si vere interiit prisca reip. liberae forma, qua penes senatum populumque erat imperatores facere, ac si nunc postquam Caesaribus paremus, ad militem id ius transiit, hoc saltem curate ne pessimi militum id ius usurpent.

non vos Neronem] Nam praetoriani paene ad extremum fideliter affuerant Neroni. Xiphil. LXIII, 27.

69. non aspernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio parat signa quam, quod postea creditum est, insidiis et simulatione. Missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus Vipsania in porticu tendentes. Praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino primipilaribus, ut Germanicos milites e Libertatis atrio accerserent. Legioni classicae diffidebat, infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cetrium adorti milites minis, Longinum manibus coercent exarmantque, quia non ordine militiae, sed e Galbae amicis, fidus principi suo et desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi Celsum ingestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc corporibus et placatis animis, quod eos a Nerone Alexandriam praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros im-

C. 22. *evenit forte* Pichena, *eventior te* Ma.

et nullo edd. At Ma. *et nonnullo*: negatione superioris versus male repetita. Ritterus *et non ullo* proposuit; at latinitas *nec ullo* flagitat.

necdum] Prisce pro *nondum*, ut Plin. Paneg. 56. *Quo fit ut prope in immensum diffundatur oratio mea, et necdum de biennio loquor;* coll. Cic. Legg. III, 3, 4. I. H. Voss. in Virg. Ecl. IX, 5. Ex Petersen.

C. 31. *Celsus Marius*] Hic ad eos missus videtur, quia notus illis et legatus legionis quintaedecimae in Pannonia fuisse videtur; vid. Ann. XV, 25. Lips.

Vipsania in porticu] In campo Martio; eadem quae Hor. Ep. I, 6, 25. *porticus Agrippae*, alibi *Neptuni et Argonautarum* vocatur.

Libertatis atrio] In monte Aventino.

non ordine militiae] Scil. praeditus ideoque ex disciplina militari venerabilis, quam respectabant, quantumvis Galbam despectarent.

inde rursus] Scil. revocatos. Vid. Germ. 38. Sin hoc durius, suspicari licebit: *inde reversos* vel *revorsos*. Doed.

pensiore cura Galba refovebat. 32. Universa iam plebs 69.
palatium implebat, mixtis servitiis et dissono clamore caedem Othonis et coniuratorum exitium poscentium, ut si in circo ac theatro ludicrum aliquod postularent: neque illis iudicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed tradito more quemcunque principem adulandi licentia acclamationum et studiis inanibus. Interim Galbam duae sententiae distinebant. Titus Vinius manendum intra domum, opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos censebat. daret malorum poenitentiae, daret bonorum consensui spatium. scelera impetu, bona consilia mora valescere. denique eundi ultro, si ratio sit, eandem mox facultatem; regressus, si poeniteat, in aliena potestate. 33. Festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum. trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros illatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari principem discat. non expectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. proinde intuta quae indecora. vel si cadere necesse sit, occur-

exitium Acidalius, *exilium* MSS. ut c. 45.

C. 32. *sed tradito more*] Verbum ex seq. genitivo *adulandi* repetendum est, *adulabantur*. Aut *agere*, *agebant* supplendum; quod ad idem fere redit.

regressus] Genitivus est ex *facultatem* (id enim cogitatione repetendum) aptus; plurali enim non idoneus hic locus fuerit.

C. 33. *Capitolium adeat*] De more, ut auspicaturus imperium et grates diis acturus sacrificet. Ern.

ianua . . tenus] Nempe qui fortes domum claudunt, ii corporibus cingunt et obsistendo defendunt; ignavi contra satis habent ianuam claudere et foribus pessulisque defendi. Plerumque *tenus* significat *sogar bis;* nonnunquam *nur bis*, ut h. l. et Liv. XLIV, 40. *Per aquam ferme genu tenus altam;* et in *hactenus.*

Vel si] Etiamsi. Et emphasin habet *necesse*, non *cadere.* Sensus est: Incertum sane est

69. rendum discrimini: id Othoni invidiosius et ipsis honestum. Repugnantem huic sententiae Vinium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo, privati odii pertinacia in publicum exitium. **34.** Nec diutius Galba cunctatus speciosiora suadentibus accessit. Praemissus tamen in castra Piso ut iuvenis, magno nomine, recenti favore, et infensus Tito Vinio, seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur. Vixdum egresso Pisone occisum in castris Othonem vagus primum et incertus rumor; mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse affirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. multi arbitrabantur compositum auctumque rumorem mixtis iam Othonianis, qui ad evocandum Galbam laeta falso volgaverant. **35.** Tum vero non populus tantum et imperita plebs in plausus et immodica studia, sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare, praereptam sibi ultionem querentes, ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces; nemo scire et omnes affirmare, donec inopia veri et consensu errantium victus sumpto thorace Galba, irruenti turbae neque aetate neque corpore sistens, sella levaretur. Obvius in palatio Iulius At-

vincamus an cadamus, sed vel si necessarium ac certum foret cadere, tamen occurrendum potius quam expectandum.

minaciter] Cum gloriosae simulataeque audaciae notione: vid. Peerlkamp. in Hor. C. II, 7, 11.

C. 34. *iuvenis* et *magno nomine*] Commate diremi; nam ipsa Pisonis iuventa prima mittendi causa erat.

irati] Intellige Laconem et Icelum, non milites.

credula] Passive dictum.

neque aetate neque corpore] Nam *καὶ γέρων καὶ ἀσθενὴς τὰ νεῦρα* erat: Xiphil. LXIV, 3.

sistens] Pro *resistens*, *obsistens*, ut Virg. Aen. XI, 240. *Nec quisquam instantes Teucros .. sustentare valet telis aut sistere contra.* Similiter Propert. IV, 11, 4. *Cum semel infernas intrarunt funera leges, non exorato stant adamante viae*, hoc est *obstant*. Similiter Soph. Oed. Col. 404. *σοῖς ὅταν σ τ ῶ σ ι ν τάφοις* dictum puto pro *ἐνστῶσιν*, adversabuntur; h. s. quando bellum gerent cum eo populo, cu-

Atticus speculator, cruentum gladium ostentans, occisum a se Othonem exclamavit; et Galba „commilito" inquit, „quis iussit?" insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus. 69.

36. Haud dubiae iam in castris omnium mentes, tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non tanquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque affluentium militum aspexerant, pressare manibus, complecti armis, collocare iuxta, praeire sacramentum, modo imperatorem militibus modo milites imperatori commendare. Nec deerat Otho, protendens manus adorare volgus, iacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus, et quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita coepit. 37. „Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum, quia nec privatum me vocare sustineo princeps a vobis nominatus, nec principem alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis. auditisne, ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur? adeo manifestum est neque

C. 36. *pressare* ex Ma. AC. ut Ann. XIV, 70. Edd. ex B. *prensare*.

ius intra fines tuum habebitur sepulcrum. Doed.

C. 36. *complecti armis*] Ex Virg. Aen. XII, 430. *Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est, Ascanium fusis circum complectitur armis*, h. e. brachiis, ut Lucan. IX, 829. *Invaditque manum quam protinus ille relecto ense ferit totoque suo demittit ab armo.*

69. perire nos neque salvos esse nisi una posse; et cuius lenitatis est Galba, iam fortasse promisit, ut qui nullo exposcente tot milia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum et hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. his auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata, aut ut ipse praedicat, emendata et correcta? nam quae alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus severitatem pro saevitia, parcimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras disciplinam appellat. Septem a Neronis fine menses sunt, et iam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti et Vatinii et Aegialii perierunt.

C. 37. *Obultronii Sabini* Lipsius ex Ann. XIII, 28. At Ma. *Obultroniis Albini.*

quae castra edd. At Ma. *quae in castris* per dittographiam ex versu superiori.

C. 37. *decumari*] Suet. Galb. 12. *cum classiarios quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat redire ad pristinum statum cogeret, recusantes atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes non modo immisso milite disiecit, sed decumavit etiam.* Xiphil. LXIV, 3.

Cornelii Marcelli] Vid. Ann. XVI, 8. Suet. Galb. 9. 12.

Fonteii Capitonis . . Clodii Macri] Vid. c. 7. — *Cingonii* Varronis et Petronii *Turpiliani*] Vid. c. 6.

Polycliti, ex libertis Neronis, Ann. XIV, 39. — *Vatinii*, qui inter foedissima Neronianae aulae ostenta fuerat, Ann. XV, 34. — *Aegialii*, qui non aliunde notus.

quam quod . . perierunt] Per brachylogiam copulatum. Ex praec. *rapuit* repetendum participium unde pendeat *quod.* Plene: *quam quod Polycliti rapientes* vel *potiti perierunt;* sive mavis: *quam quod Polycliti rapuerant, cuiusque causa perierunt.* Accedit ista brachylogia ad illam structuram, quae turbas movit in Agr. 38. *Unde proximo latere lecto redierat.* Acerbior haec sententia quam si transitivum verbum substituas. Hoc dicit Otho: Multum sane rapuere Polycliti, ac periere Galbae iussu; multo plus etiam brevissimo

Minore avaritia ac licentia grassatus esset Titus Vi- 69.
nius, si ipse imperasset: nunc et subiectos nos habuit tanquam suos, et viles ut alienos. una illa domus sufficit donativo, quod vobis nunquam datur et cotidie exprobratur. 38. Ac ne qua saltem in successore Galbae spes esset, accersit ab exilio quem tristitia et avaritia sui simillimum iudicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem aversantes. Idem senatus, idem populi Romani animus est. Vestra virtus expectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, et sine quibus quamvis egregia invalida sunt. Non ad bellum vos nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. cum vos aspexerit, cum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum." Aperire deinde armamentarium iussit. Rapta statim arma, sine more et ordine militiae, ut praetorianus aut legionarius insigni-

temporis spatio Icelus rapuit, ac dominatus eiusdem Galbae autoritate. Nam is plurimos ex potentissimis Neronis libertis supplicio affecerat. Xiphil. LXIII, 3. Suet. Galb. 15. Sin corruptum est *perierunt*, suspicabor *potuerunt* scil. *rapere*. Lipsius ex G. *paraverunt*, Ritterus *petierunt* h. e. appetierunt; quamquam in his omnibus plusquamperfectum desidero, in *perierunt* non item. DOED.

una illa domus] Namque praedives Vinius erat; vid. c. 48.

exprobratur] Tanquam immodeste a milite flagitatum.

C. 38. *cohors togata*] Appellat ita velut elevans et infirmans, quia moris ut illa cohors, quae more militiae excubabat, id ipsum faceret sine armis, gladiis tantum lanceisque contenta. Itaque et togis induti erant, non sagis. Modestiae causa id institutum videtur, et ne Mars palam habitare videretur in sua urbe. Ideo Martial. VI, 76. de Tusco praefecto praetorii: *Ille sacri lateris custos Martisque togati, credita cui summi castra fuere ducis.* Ex LIPS.

signum meum] Quale fuerit, c. 41. demonstratur, cum Atilius Vergilio *dereptam Galbae imaginem solo afflixit*. DOED.

quis . . imputet] Dictum exquisitius consequens pro antecedente. Sensus est: quis pro me acrius contendendo efficiat ut ei plus debeam. ERN.

sine more . . ut] Structura non prorsus legitima; coaluit potius ex: *non more, ut*, et ex: *sine more ita ut non distingueretur*. Ceterum *praetorianus*

69. bus suis distingueretur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque; nullo tribunorum centurionumve adhortante, sibi quisque dux et instigator, et praecipuum pessimorum incitamentum, quod boni maerebant.

39. Iam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis et vocibus in urbem usque resonantibus egressum interim Galbam et foro appropinquantem assecutus erat, iam Marius Celsus haud laeta rettulerat: cum alii in palatium redire, alii Capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur quorum tempus effugerat. Agitasse Laco ignaro Galba de occidendo Tito Vinio dicitur, sive ut poena eius animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio; haesitationem attulit tempus ac locus, quia initio caedis orto difficilis modus. et turbavere consilium trepidi nuntii ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis, qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant. **40.** Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis impulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu. neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti voltus et conversae ad omnia aures. non tumultus, non quies; quale magni metus et magnae irae silentium est. Othoni tamen armari plebem nuntiabatur. ire praecipites et

C. 39. *quorum* edd. *morum* Ma.

ad postremum Rhenanus, *ad posterum* MSS.

lanceam proprie gerebat, *legionarius* pila, *auxiliaris* galeam scutumque.

miscentur] Sensus est: immiscentur praetorianis legionariisque alteris alterorum insignia gestantibus quidam adeo auxiliarium armis instructi, ita ut vel Romanae militiae honorem dissimularent. Doed.

C. 39. *exterritus*] A consilio adeundorum castrorum deterritus, ut Ann. XIII, 37. *Plura fama quam pugna exterrere.* Et I, 57. *Fuerat animus Cheruscis iuvare Cattos; sed exterruit Caecina.* Alibi significat *ex quiete excitare terrore.* Doed.

occupare pericula iubet. Igitur milites Romani, quasi 69.
Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidi equis forum irrumpunt. Nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio et priores et futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cuius ultor est quisquis successit. 41. Viso comminus armatorum agmine, vexillarius comitatae Galbam cohortis (Atilium Tergilionem fuisse tradunt) dereptam Galbae imaginem solo afflixit. Eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Iuxta Curtii lacum trepidatione ferentium Galba proiectus e sella ac provolutus est. Extremam eius vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset; paucos dies exsolvendo donativo deprecatum. plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac feririent, si ita e re publica videretur. non interfuit occidentium quid diceret. De percussore non satis constat. quidam Terentium evocatum, alii Lecanium; crebrior fama tradidit Camurium quintae decumae legionis militem impresso gladio iugulum eius hausisse. ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur) foede laniavere; pleraque volnera feritate et saevitia trunco iam corpori adiecta. 42. Titum inde Vinium invasere.

C. 41. *e republica* edd. At Ma. *republica.*

C. 40. *cuius ultor est*] Et fuit Vitellius: vid. c. 44.

C. 41. *Curtii lacum*] In medio foro Romano.

evocatum] Suet. Galb. 10. *Delegit et equestris ordinis iuvenes, qui manente annulorum aureorum usu evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.* Ex his fuerit Terentius an ex illis qui vulgo *evocati* vocantur, ut Ann. II, 68. ambiguum est.

iugulum . . hausisse] Ut Virg. A. X, 314. *Huic gladio latus hausit apertum.* Liv. VII, 10. *Uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit.*

pectus tegebatur] Nam *sumpto thorace* exierat, c. 35.

69. de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum, ut occideretur. quod seu finxit formidine seu conscientia coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cuius causa erat. Ante aedem divi Iulii iacuit primo ictu in poplitem, mox ab Iulio Caro legionario milite in utrumque latus transverberatus. **43.** Insignem illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit. centurio is praetoriae cohortis, a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans, ac modo manu modo voce vertendo in se percussores, quanquam volnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus, non religione nec caerimoniis sed latebra imminens exitium differebat, cum advenere missu Othonis, nominatim in caedem eius ardentes, Sulpicius Florus e Britannicis

C. 42. *conscientia* ex Ma. restitui. Ritterum deterruit ab hac lectione verbum *confessus est*; non *confessionem* enim fuisse sed *proclamationem* vel certe *professionem*, quapropter Acidalii coniecturam *conscientiam* ascivit. Non persuasit. Nam Vinius dum illud clamat, suum ipse dedecus, perfidiam et proditionem confessus est, extremo metu, propemodum invitus. Doed.

C. 43. *a Galba custodiae Pisonis additus* Lipsius. At Ma. *a Galbae custodiaet a Pisonis addictus.* Certa emendatio, nisi quod lenius corriges *custodiae tum Pisonis*, h. e. tum cum in castra mittebatur. Vid. c. 34. Doed.

ardentes] Suspicor cum Heinsio *ardentis.* Nam si percussores propria in Pisonem ira arsissent, causam irae haud dubie commemorasset Tacitus, cum praesertim alter beneficio Galbae, civitatis donatione, ultro obstrictus esset. Doed.

C. 42. *ut . . fuerit*] H. e. ut fuisse credatur. Vid. in Ann. XVI, 16. *Ne oderim tam segniter pereuntes.*

in utrumque] In utrumque latus verberatus et ita transverberatus ut Ann. XII, 37. *Vinclis* (exsoluti et iudicio) *absoluti.* I. Fr. Gronovius praepositionem delevit.

C. 43. *in aedem Vestae*] Sita erat Capitolium inter et palatium Hor. Sat. I, 9, 35. Cic. Divin. I, 45.

contubernio] H. e. habitatione, ut III, 74. *Disiecto aeditui contubernio.*

non religione . . differebat] Nempe ipsa perfugii sanctitate sponte deterreri debebant percus-

cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius 69.
Murcus speculator; a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur. **44.** Nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Vinio quamvis immitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat. Praefixa contis capita gestabantur, inter signa cohortium, iuxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus; qui occiderant, qui interfuerant, qui vere, qui falso, ut pulchrum et memorabile facinus iactabant. Plures quam centum et viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit; omnesque conquiri et interfici iussit, non honore Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem.

45. Alium crederes senatum, alium populum, ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum; quantoque magis falsa erant quae fiebant, tanto plura facere. Nec aspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum voce voltuque temperans. Marium Celsum consulem designatum et Galbae usque in extremas res amicum fidumque ad supplicium expostulabant, indu-

C. 45. *ad supplicium* edd. At Ma. *supplicium* ut II, 36. *Macer exitium poscebatur.*

sores; nunc solis latebris paulisper remorati sunt invite.

C. 44. *legionis*] Scil. Hispanae.

manus; qui] Haec diremi; nam qui interfuerant tantum, cruentas manus non ostentabant. Mox *qui falso* scil. occiderant. Doed.

munimentum . . ultionem] Suspicor cum Acidalio: *ultionem ad praesens, in posterum munimentum.* Nam ante omnia novus princeps superiorem ulciscitur, quasi honoris causa; deinde

69. striae eius innocentiaeque quasi malis artibus infensi. Caedis et praedarum initium et optimo cuique perniciem quaeri apparebat. Sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: iubere iam poterat. ita simulatione irae vinciri iussum et maiores poenas daturum affirmans praesenti exitio subtraxit. 46. Omnia deinde arbitrio militum acta. Praetorii praefectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum e manipularibus quondam, tum vigilibus praepositum et incolumi adhuc Galba partes Othonis secutum. Adiungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, suspectus consilia eius fovisse. Urbi Flavium Sabinum praefecere, iudicium Neronis secuti, sub quo eandem curam obtinuerat, plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum ut vacationes praestari centurionibus solitae remitterentur. namque gregarius miles ut tributum annuum pendebat. quarta pars manipuli sparsa per commeatus aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolveret; neque modum oneris quisquam neque genus quaestus pensi habebat. per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. tum locupletissimus quisque miles labore

C. 46. *tum locupletissimus*] Loco motum videtur *tum* et sequenti potius enunciationi addendum: *Tum ubi sumptibus exhaustus*.

eodem actu deterrere vult quemlibet a tali exemplo, quo ipsius imperium *munitius sit in posterum* persuasione hominum, nullam ullius principis caedem inultam relinqui. Doed.

C. 45. *simulatione irae*] Ad praeceptum Senecae, Ir. III, 39. *Quem non audet lenire, fallet; simulabit iram ut tanquam adiutor et doloris comes plus auctoritatis in consiliis habeat; moras nectet, et dum maiorem quaerit poenam, praesentem differet*. Similiter Hist. III, 10.

et maiores] I. e. maiores etiam, ut excruciatus necaretur. Aliter Madvig. in Cic. Finn. p. 817. „Expectabatur aut *iubens et affirmans*, aut: *iussum affirmans subtraxit*, sine *et*.“

C. 46. *vacationes*] Pretia vacationum, ut c. 58. *Vitellius vacationes centurionibus ex fisco numerat*, coll. Ann. I, 17. Munera castrensia his pretiis redimebant gregarii a centurionibus, ut pabuli, lignorum, materiae aggestus.

dum mercedem] H. e. dummodo.

ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret. ubi 69.
sumptibus exhaustus socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo in manipulum redibat; ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditiones et discordias et ad extremum bella civilia ruebant. Sed Otho ne volgi largitione centurionum animos averteret, fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit, rem haud dubie utilem et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam. Laco praefectus, tanquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus; in Marcianum Icelum ut in libertum palam animadversum.

47. Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit laetitia. Vocat senatum praetor urbanus; certant adulationibus ceteri magistratus; accurrunt patres; decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores, annitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quae promisce iacta haesisse animo eius nemo sensit. omisisset offensas an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho, cruento

C. 47. *omisisset offensas* edd. At Ma. *Omisisse aut fensas.* Suspicor: *Omisisset autem offensas.* Rhenanus: *tot offensas.* Doed.

ad extremum] Ut Agr. 28.

volgi largitione] Largitione in vulgus vel gregarios collata.

perpetuitate disciplinae] Sensus est: Quod Otho tempori obediens *in tempus* et quamdiu ipse imperaret instituerat, id boni principes, Vespasianus, Titus, Nerva, Traianus *perpetua disciplinae militaris lege* sanxerunt.

tanquam .. seponeretur] Sensus est: Laco tanquam in insulam seponeretur, *Roma deportatus est*, sed in itinere vel dum navem conscendit, ab evocato ad hoc praemisso confossus. Id participium *deportatus* vel *avectus* omisit Tacitus, satis dilucide significari ratus verbo *praemiserat.* Doed.

libertum] Ernestius poscebat *libertinum.*

C. 47. *praetor urbanus*] Uterque enim consul caesus erat. Atque tali casu aut alioquin illis absentibus ius vocandi senatus pertinebat ad praetorem urbanum. Cic. Fam. X, 12. *Placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbanum litteras deferremus, qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum.* Savil.

69. adhuc foro, per stragem iacentium in Capitolium atque inde in palatium vectus concedi corpora sepulturae cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, Titum Vinium Crispina filia composuere, quaesitis redemptisque capitibus, quae venalia interfectores servaverant. **48.** Piso unum et tricesimum aetatis annum explebat, fama meliore quam fortuna. fratres eius Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant. ipse diu exul, quatriduo Caesar, properata adoptione ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur. Titus Vinius septem et quinquaginta annos variis moribus egit. pater *illi* praetoria familia, maternus avus e proscriptis. prima militia infamis; legatum Calvisium Sabinum habuerat, cuius uxor mala cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias et cetera militiae munia eadem lascivia temerasset, in ipsis principiis stuprum ausa; et criminis huius reus Titus Vinius arguebatur. Igitur iussu Gai Caesaris oneratus catenis, mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso legioni post praeturam praepositus probatusque, servili deinceps probro respersus est, tanquam scyphum

C. 48. *temerasset* Rhenanus; nam castrorum et disciplinae militaris castitas et sanctitas feminae praesentia et intercursu pollui videbatur. At MSS. *temperasset*, tuente Walthero, tanquam sit i. q. *moderata esset*, *rexisset*, circuitorum more; coll. Dion. LIX, 18. *φυλακάς τε ἐφοδεύσασα*, Polyb. Mil. Rom. 5. Veget. III, 8. Tribunus enim haud dubie erat Vinius; tribunorum autem erat, circuitores qui vigilias circumirent eligere. Is igitur secreti introitus conscius elegerat mulierem, mulieri vero tam virilis habitus et constantia erat, ut cum iusti circuitoris strenuitate certaret. Puteol. *temptasset*.

C. 48. *explebat*] H. e. nondum expleverat.

Crassum Nero] Accusante Regulo. Huc enim illa Plinii faciunt Ep. I, 5. *Quid tibi cum mortuis? Numquid ego aut Crasso aut Camerino molestus sum, quos ille* (Regulus) *sub Nerone accusaverat?* Lips.

praetoria] Ut c. 52. *Virginium equestri familia.* IV, 13. *Civilis regia stirpe.* All. ex G. *e praetoria*, ut Ann. XII, 1. XV, 22.

cuius uxor] Narrat Dio LIX, 18.

in ipsis principiis] Quae sacra, quia in iis aquilae et signa, dii militares. Lips.

stuprum ausa] Scil. pati.

aureum in convivio Claudii furatus; et Claudius postera 69.
die soli omnium Vinio fictilibus ministrari iussit. sed Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit, mox Galbae amicitia in abruptum tractus; audax, callidus, promptus et, prout animum intendisset, pravus aut industrius, eadem vi. Testamentum Titi Vinii magnitudine opum irritum; Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit. 49. Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis eius hortis contexit. caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. famae nec incuriosus nec venditator; pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus; amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus, sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut

callidus edd. At Ma. *calidus*.

C. 49. *licentia tenebrarum*] Haec verba suo loco mota esse intellexit Iacobus. In tanta enim Galbae invidia noctis velamento non iis qui vexare Galbae corpus volebant, sed illis opus esse videbatur qui contegere et sepelire. Plut. Galb. 28. ἔθαψε δὲ νυκτὸς Ἀργεῖος ἀπελεύθερος. Ergo corrigendum videtur: *Galbae corpus diu neglectum et plurimis ludibriis vexatum licentia tenebrarum dispensator Argius . . . contexit.*

C. 49. *e prioribus servis*] Quibus dominus Galba fuerat ante imperium, adhuc privatus. GRUTER.

patiens] Plin. Ep. VI, 31, 5. *Maritum non sine aliqua reprehensione patientiae amor uxoris retardabat.* Contrarium est *pertinax* vel *obstinatus*.

obtentui] Sic edd. ex RBA, h. s. Mediocris quidem ingenio erat Galba, sed velabatur eius mediocritas temporibus. Cum enim sub Nerone claritas natalium, si ac-

69. quod segnitia erat sapientia vocaretur. dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit, maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

50. Trepidam urbem, ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem, novus insuper de Vitellio nuntius exterruit, ante caedem Galbae suppressus, ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur. Tum duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura rei publicae, sed volgus quoque palam maerere. Nec iam recentia saevae pacis exempla, sed repetita bellorum civilium

cederent magnae virtutes, exitiosa esse soleret, simulare tantum mediocritatem ad exemplum Iunii Bruti credebatur Galba et industriae gloriam metui temporum condonare; itaque factum est ut quod revera segnitia erat, sapientia vocaretur. Pariter egit Agricola *gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit.* Agr. 6. Suet. G. 7. *Caede Gaii nuntiata multis ad occasionem stimulantibus, quietem praetulit, per hoc gratissimus Claudio.* Et c. 9. *Paulatim in desidiam segnitiemque conversus est, ne quid materiae praeberet Neroni.* Eodem sensu H II, 14. *Obscurum noctis obtentui fugientibus.* Porro Plin. Ep. V, 1. 7. *Transigere cupiebant non diffidentia causae sed metu temporum*, i. e. ob atrocitatem temporum, coll. IX, 13. VII, 19. — Quid legatur in Ma. incertum est, nam Ryckius *obtentui* vidit, Victorius *obtinui.* Alii ex HG. ediderunt *obtinuit*, verbo fortiore quam pro huius loci ingenio; tanquam Galbae adversus refragantes ac renitentes illud obtinuerit. Doed.

apud Germanias] Dio C. LX, 8. *τούτῳ τῷ ἔτει ὁ Γάλβας .. Χάττους ἐκράτησε*: a. u. 794.

Africam] Suet. Galb. 6. *Africam pro consule biennium obtinuit*, Claudio imperante. Et c. 7. *In oppido Fundis moranti Hispania Tarraconensis oblata est;* a Nerone.

C. 50. *capax imperii*] Supple participium hypotheticum, *futurus*, *ὢν ἄν.*

fataliter electos] A suis utrumque partibus, fato instigante; non ut Walthero videtur a fato et ex omnibus mortalibus.

pars et cura] Distinguuntur opulenti suaeque incolumitatis provisores ab amantibus patriae. Nam *quibus pars reipublicae* idem fere est quod alibi, *qui partes reipublicae sunt*, dicitur; non ii soli qui res publicas administrabant ut videtur Kiesslingio, sed quicunque vere cives sunt.

memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae, direptiones provinciarum, Pharsaliam, 69. Philippos et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. prope eversum orbem etiam cum de principatu inter bonos certaretur. sed mansisse Gaio Iulio, mansisse Caesare Augusto victore imperium; mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam; nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? utrasque impias preces, utraque detestanda vota, inter duos quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset. Erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur. et ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clades horrebant. et ambigua de Vespasiano fama; solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

51. Nunc initia causasque motus Vitelliani expediam. Caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice, ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat. diu infructuosam et asperam militiam toleraverant ingenio loci caelique et severitate disciplinae; quam in pace inexorabilem discordiae civium resolvunt, paratis utrinque corruptoribus et perfidia impunita. viri, arma, equi ad usum et ad decus supererant. Sed ante bellum centu-

inter duos] Vid. in I, 1.

arma Orientis] Scil. motum iri.

C. 51. *Caeso . . Vindice*] Vid. c. 6. Suet. G. 9. Plut. G. 5.

ditissimi belli causative, exemplo Tibulli I, 10, 7. *Divitis hoc vitium est auri.*

et aciem scil. *volebat*, *cupiebat*, quod per zeugma ex *malebat* mutuandum: alioqui *praemiaque* scripsisset. Roth. in Agr. p. 273. Aut sensus est: praemia expeditionis et aciei extraordinaria quam ordinaria stipendia malebat. Neutiquam *et aciem* cum Oberlino in *quam otium* vel cum Fr. G. Ottone in *quam pacem* mutandum. Doed.

ad decus edd. ex G., i. e. non ad necessitatem modo suppetebant sed et ad ornatum. Tale est quod iisdem infra tribuit, *balteos et faleras insigniaque armorum argento decora.* Lips. Demosth. Cor. p. 300. C. *δίς τε παραταξάμενοι τὰς πρώτας μάχας οὐκ ἀμέμπτους μόνον ὑμᾶς αὐτούς, ἀλλὰ καὶ θαυμαστοὺς ἐδείξατε τῷ κόσμῳ, ταῖς παρασκευαῖς, τῇ προ-*

69. rias tantum suas turmasque noverant; exercitus finibus provinciarum discernebantur. tum adversus Vindicem contractae legiones seque et Gallias expertae quaerere rursus arma novasque discordias, nec socios, ut olim, sed hostes et victos vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quae Rhenum accolit, easdem partes secuta, ac tum acerrima instigatrix adversus Galbianos: hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Aeduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi expugnatione urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo, super avaritiam et arrogantiam, praecipua validiorum vitia, contumacia Gallorum irritati; qui remissam sibi a Galba quartam tributorum partem et publice donatos in ignominiam exercitus iactabant. Accessit callide volgatum, temere creditum, decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti. Undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama; infensa Lugdunensis colonia et pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio, metu, et ubi vires suas respexerant, securitate. 52. Sub ipsas superioris anni calendas Decembres Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus hiberna legionum cum cura adierat. Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatae notae, plura am-

θυμίᾳ. Ann. II, 6. Naves . . *augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem;* coll. Agr. 35. At Ma. *ad dedecus*, quod recepit Ritterus, contorte interpretatus „*ad usum* est ad hostes cohibendos, *ad dedecus*, ad cives trucidandos.“ DOED.

deinde, i. q. deinceps.

raptus] Pro *direptiones* domorum. Mox *hauserunt animo* ut Cic. Phil. XI, 5. *Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis?* KIESSL.

pro Nerone] Is enim *cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps*, Ann. XVI, 13.

C. 52. *cum cura*] H. e. cum imperio, ut Ann. XII, 42. *Praetoriarum cohortium cura exsolvi*, coll. H. II, 57.

allevatae notae] I. e. exemptae, sublatae. Cic. Inv. I, 42. *Reprehensio est per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut infirmatur aut allevatur.*

bitione, quaedam iudicio, in quibus sordem et avaritiam Fonteii Capitonis adimendis assignandisve militiae ordinibus integre mutaverat. Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur: et ut Vitellius apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes vocabant quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena, simul aviditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Multi in utroque exercitu, sicut modesti quietique, ita mali et strenui: sed profusa cupidine et insigni temeritate legati legionum Alienus Caecina et Fabius Valens; e quibus Valens infensus Galbae tanquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium, ardorem militum ostentans. Ipsum celebri ubique fama, nullam in Flacco Hordeonio moram; affore Britanniam, secutura Germanorum auxilia; male fidas provincias, precarium seni imperium et brevi transiturum. panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret. merito dubitasse Verginium equestri familia, ignoto patre, imparem, si recepisset imperium, tutum, si recusasset. Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Caesaris 69.

C. 52. *ostentans* edd. At Ma. *obtentans*.

et ut Vitellius Rhenanus; *et Vitellius* MSS. Verbum ex seq. activo passivum mutuandum, *vocabatur* ex *vocabant*. Porro *comitas* respondet humilitati, quae praecessit, contra *bonitas* sequenti largitioni.

donaret sua, tanquam privatus homo; *largiretur aliena*, ut publica persona. Vid. Synon. Lat. T. IV. p. 147. Doed.

ingrate tulisset] Est a se accepisset, sibi deberet, nec tamen praemio digno se affecisset. Ern. Immo simplex pro composito *rettulisset*, ut Ann. XVI, 21. et apud iurisconsultos *acceptum ferre* pro *referre* h. e. rependisset vel tanquam pro detecta cunctatione gratiam non rettulisset.

panderet . . sinum, scil. togae, ad accipienda Fortunae dona. Alii de velorum sinu intelligunt coll. Iuven. I, 150. *Totos pande sinus*.

Verginium] Plin. Ep. II, 1.

collegium Caesaris] Suet. Vit. 2. *Ex consulatu Syriae praepositus . . . mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios consulatus censuramque gessit. Curam quoque imperii sustinuit absente eo expeditione Britannica.*

69. et imponere iampridem imperatoris dignationem et auferre privati securitatem. Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis quam ut speraret. **53.** At in superiore Germania Caecina decori iuventa, corpore ingens, animi immodicus, scito sermone, erecto incessu studia militum illexerat. hunc iuvenem Galba quaestorem in Baetica impigre in partes suas transgressum legioni praeposuit, mox compertum publicam pecuniam avertisse ut peculatorem flagitari iussit. Caecina aegre passus miscere cuncta et privata volnera rei publicae malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus affuerat, nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam, atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat. Et Treveri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur; unde seditiosa colloquia, et inter paganos corruptior miles, et in Verginium favor cuicunque alii profuturus. **54.** Miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legio-

C. 53. *decori iuventa* Ma. antique, ut praeter Naevium Sallust. Fr. ap. Prisc. VI, 9, 48. *Equis et armis decoribus cultus;* et: *Dedecores . . caedebantur.* Et *indecorem.* Virg. XI, 845. At edd. *decora iuventa.* Doed.

C. 53. *scito sermone* Lipsius, ut Cic. N. D. I, 33. *Scito illa quidem sermone et Attico*, h. e. urbano. At enim ea sermonis virtus minus apta est ad concilianda talium militum, quales illi erant studia. At MSS. *cito sermone*, eodem sensu quo Iuven. III, 73. *Ingenium velox, audacia perdita, sermo promptus et Isaeo torrentior.* Is in linguae volubilitate positus est, Caecinae ingenio multo congruentior et apud milites multo validior; vid. II, 30. Item Kiesslingius: „citum sermonem Cicero Or. I, 20, 90. *celeritatem eloquendi* vocat. Eupolis ap. Schol. Aristophan. Acharn. 529. ταχὺς λέγειν μέν, πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν." Adde Cic. Orat. II, 83, 340. *Nullo autem loco plus facetiae prosunt et celeritas et breve aliquod dictum* scil. quam *apud multitudinem*, quanquam speciose Schuetzius *hilaritas* substitui iubet. Doed.

flagitari] Postulari ad iudicium.

damno finium] Ut I, 8. *Finibus ademptis.*

gionibus, dextras, hospitii insigne. legati eorum in 69.
squalorem maestitiamque compositi, per principia, per contubernia modo suas iniurias modo vicinarum civitatium praemia, et ubi pronis militum auribus accipiebantur, ipsius exercitus pericula et contumelias conquerentes, accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus abire legatos, utque occultior digressus esset, nocte castris excedere iubet. Inde atrox rumor, affirmantibus plerisque interfectos, ac nisi ipsi consulerent, fore ut acerrimi militum et praesentia conquesti per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur. obstringuntur inter se tacito foedere legiones. adsciscitur auxiliorum miles, primo suspectus tanquam circumdatis cohortibus alisque impetus in legiones pararetur, mox eadem acrius volvens, faciliore inter malos consensu ad bellum quam in pace ad concordiam. **55.** Inferioris tamen Germaniae legiones sollenni calendarum Ianuariarum sacramento pro Galba adactae, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus, ceteri silentio proximi cuiusque audaciam expectantes, insita mortalibus natura propere sequi quae piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum. Primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbae imagines iecerint; quinta decuma ac sexta decuma legiones nihil ultra fremitum et minas ausae initium erumpendi circumspectabant. At in

C. 54. *dextras*] Coniicere possumus fuisse aliquod signum duas dextras simul iunctas referens idque argenteum, ut cetera plerumque militaria signa, quod dono invicem mitterentur tanquam symbolum hospitii aut fidei aut concordiae. PICHENA. Vid. II, 8. Xenoph. Anab. II, 4, 1. *δεξιὰς παρὰ βασιλέως ἔφερον.*

C. 55. *sacramento . . adactae*] Dativus est ut infra, *sacramento advocabant*, et c. 76. eodem sensu quo II, 14. *Provincia Narbonensis in verba Vitellii adacta.* De re Dio XLVII, 18. *ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν καὶ τοὺς ἄλλους ὥρκωσαν βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου γενόμενα.*

insita . . natura] Ut II, 20. *Insita mortalium natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere.* Lipsius *insito* coniecerat.

69. superiori exercitu quarta ac duoetvicesima legiones, isdem hibernis tendentes, ipso calendarum Ianuariarum die dirumpunt imagines Galbae, quarta legio promptius, duoetvicesima cunctanter, mox consensu. Ac ne reverentiam imperii exuere viderentur, senatus populique Romani oblitterata iam nomina, sacramento advocabant, nullo legatorum tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quisquam in modum concionis aut suggestu locutus. neque enim erat adhuc cui imputaretur. 56. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus consularis legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed segnis, pavidus et socordia innocens. Quattuor centuriones duoetvicesimae legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbae imagines, impetu militum abrepti vinctique. Nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.

Nocte, quae calendas Ianuarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartae legionis epulanti Vitellio nuntiat quartam et duoetvicesimam legiones proiectis Galbae imaginibus in senatus ac populi

suggestu pro *e suggestu* ut Ann. XII, 38. *ni cito vicis et castellis proximis subventum foret*, coll. H. III, 15. V, 23. Et III, 29. *Cum superiacta tela testudine laberentur.* Nec abundat *aut suggestu*, nam duas ac diversas res factas esse negat Tacitus; primum a nemine iustam orationem vel *concionem* habitam esse, quod vel e plano aut super humeris proximorum fieri potuisset (ut a Vibuleno Ann. I, 22.); deinde non *suggestum* exstructum esse, unde aliquis vel brevibus verbis turbidos alloqueretur, id quod paraverant Ann. I, 19. Doed.

imputaretur] I. e. cui beneficii collocati loco poneretur, pro quo gratia posset postulari. Kiessl. V. in c. 71.

C. 56. *socordia innocens*] Ut Ann. XIV, 51. *Segnem innocentiam.* Nihil contra Galbam agendo fidem suam testari satis habebat, non, ut debebat, agendo pro Galba et compescendo.

prioris sacramenti] Quod Galbae dixerant, urgente Verginio post mortem Neronis.

Romani verba iurasse. Id sacramentum inane visum: 69.
occupari nutantem Fortunam et offerri principem placuit. Missi a Vitellio ad legiones legatosque qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut, si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem; et minore discrimine sumi principem quam quaeri. 57. Proxima legionis primae hiberna erant, et promptissimus e legatis Fabius Valens. Is die proximo coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus imperatorem Vitellium consulatavit. Secutae ingenti certamine eiusdem provinciae legiones; et superior exercitus, speciosis senatus populique Romani nominibus relictis, tertium nonas Ianuarias Vitellio accessit. scires illum priore biduo non penes rem publicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones aequabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, ut quisque corpore, opibus, ingenio validus. Nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus praesentia ex affluenti et parta victoria magnae spes: sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora, loco pecuniae tradebant, instinctu

C. 57. *ingressus* edd. At Ma. *gressus*, haud scio an recte.

inane] Nec pro Galba nec pro novo aliquo imperatore, quem volebant; rem esse adhuc integram et nutare h. e. incertam animi esse Fortunam; ut II, 76. *His pavoribus nutantem*.

C. 57. *Scires illum*] Superiorem exercitum. Is enim biduo proximo, dum in senatus populique verba iurat, publici exercitus (sive ut Ann. I, 2. legitur *publicorum armorum*) personam induerat, tanquam leges solas ac reipublicae autoritatem revereretur; tum autem patuit id nil nisi speciem fuisse. Sic *penes* c. 76. *Longinquae provinciae penes Othonem manebant*. Doed.

ingenio validus] De ingenii solertia cogitandum, quam homines provinciales rebus qualibuscunque attulerunt, ut ardorem exercituum aequarent. Ex Bach. Nempe *facundia validus*, ad accendenda popularium ac municipum suorum studia et comportanda quae usui essent. Doed.

instinctu legatorum, tribunorum, centurionum, ut c. 70. *instinctu decurionum*, coll. Ann. XIV, 16; *impetu* proprio; *avaritia* quod crederent se quod da-

69. et impetu et avaritia. **58.** Igitur laudata militum alacritate Vitellius ministeria principatus per libertos agi solita in equites Romanos disponit; vacationes centurionibus ex fisco numerat; saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius approbat, partim simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus procurator Belgicae statim interfectus. Iulium Burdonem Germanicae classis praefectum astu subtraxit. exarserat in eum iracundia exercitus, tanquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset. grata erat memoria Capitonis; et apud saevientes occidere palam, ignoscere nonnisi fallendo licebat. ita in custodia habitus, et post victoriam demum stratis iam militum odiis dimissus est. Interim ut piaculum obiicitur centurio Crispinus: sanguine Capitonis se cruentaverat, eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit. **59.** Iulius deinde Civilis periculo exemptus, praepotens inter Batavos, ne supplicio eius ferox gens alienaretur. et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartae decumae legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressae, prout inclinassent grande momentum sociae aut adversae. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium centuriones, de quibus supra rettulimus, occidi iussit, damnatos fi-

C. 58. *partim* Lipsius. At Ma. *paro:* BGH. *pari.* Suspicor: *raro* vel *perraro*, ut Ann. XIII, 2. ubi idem mendum. DOED.

rent cum ingenti lucro recepturos. FREINSH.

C. 58. *stratis* edd. ex ceteris MSS. ducta metaphora a locutione *sternere fluctus*, ut Stat. Silv. II, 5, 1. *Quid tibi constrata mansuescere profuit ira.* Thuc. VI, 18. *ἵνα Πελοποννησίων στορέσωμεν τὸ φρόνημα.* At Ma. *statis;* unde possis et aliud suspicari: *sedatis iam militum odiis* ut Liv. XXI, 20. *Sedato tandem fremitu responsum legatis est.* Plaut. Merc. V, 4, 1. *Ad patrem ibo ut matris iram sedatam esse sciat.* Sed probum est quod vulgatur. DOED.

manifestior] Scil. delicti, ut plene Ann. II, 15.

C. 59. *sociae aut adversae* artissime cum *prout* iungendum; quare comma sustuli post *inclinassent.*

supra rettulimus] Vid. c. 56.

fidei crimine] Quia fidem Galbae servaverunt et proditores esse noluerant. PICH. Vid. c. 71.

dei crimine, gravissimo inter desciscentes. Accessere 69.
partibus Valerius Asiaticus Belgicae provinciae legatus, quem mox Vitellius generum adscivit, et Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae rector, cum Italica legione et ala Taurina Lugduni tendentibus. Nec in Raeticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur. 60. Ne in Britannia quidem dubitatum. Praeerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. accendebat odium eius Roscius Caelius legatus vicesimae legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat, cum interim foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta eoque discordiae ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus et aggregantibus se Caelio cohortibus alisque desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. Quies provinciae quanquam remoto consulari mansit: rexere legati legionum, pares iure, Caelius audendo potentior.

61. Adiuncto Britannico exercitu ingens viribus opibusque Vitellius duos duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens allicere vel, si abnuerent, vastare Gallias et Cottianis Alpibus Italiam irrumpere, Caecina propiore transitu Peninis iugis degredi iussus. Valenti inferioris exercitus electi cum aquila quintae legionis et cohortibus alisque ad quadraginta milia armatorum data; triginta milia Caecina e superiore Ger-

C. 61. *Peninis* Lipsius. At Ma. *Paennis.*

ala Taurina] Dicta a Taurinis (Plin. III, 17.), quorum urbs princeps Augusta Taurinorum II, 66. nunc *Turin.* Brot.

C. 60. *Trebellius Maximus*] Aliter quam hic de eiusdem viri ingenio ac moribus iudicat scriptor Agr. 16.

C. 61. *Cottianis Alpibus*] Eae interiectae inter Galliam et Italiam initium capiunt a monte Vesulo (*Viso*) et terminantur monte Cenisio (*Cenis*), qui dirimit Sabandiam et Pedemontium. Alpes *Peninae* a monte Iovis (*St. Bernhard*) ad montem Adulam (*St. Gotthard*) porriguntur. Liv. XXI, 38. Kiessl.

69. mania ducebat, quorum robur legio una, primaetvicesima, fuit. Addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus. 62. Mira inter exercitum imperatoremque diversitas. Instare miles, arma poscere, dum Galliae trepident, dum Hispaniae cunctentur. non obstare hiemem, neque ignavae pacis moras! invadendam Italiam, occupandam urbem. Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto opus esset. Torpebat Vitellius, et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat, medio die temulentus et sagina gravis, cum tamen ardor et vis militum ultro ducis munia implebat, ut si adesset imperator et strenuis vel ignavis spem metumque adderet. Instructi intentique signum profectionis exposcunt, nomine Germanici Vitellio statim addito: Caesarem se appellari etiam victor prohibuit. Laetum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit; longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis fuit, ut haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperet. 63. Et Treveros quidem, ut so-

C. 62. *leni* Acidalius, ut Suet. Vit. 9. *Aquila . . ingressos viam sensim antecessit.* At MSS. *levi* haud scio an recte, nam *laeviter* volant qui alas in volando laevant, non attollunt neque agitant, ut labi potius secure quam cum labore corpus movere videantur. Illud fiduciae, hoc anxietatis speciem praebet. Similiter *laevare vultum.* Doed.

acciperetur] *acciperet* revocavi ex Ma. scil. Valens. Eius enim utpote ducis erat, *omen* et *capere* et *accipere.* Si quid esset mutandum, praeferrem *acciperent* scil. milites. Doed.

tota mole] Ann. VI, 36. *Artabanus tota mole regni ultum it,* h. e. omnibus viribus.

C. 62. *ignavae pacis moras!* scil. ferendas esse, ut Ann. XIV, 57. *Nec ultra moras!* Soph. Ant. 573. *μὴ τριβὰς ἔτι!* Plenum in narrando praefert Hist. IV, 55. *Nec tulere moras consultandi.* Vulgo *obstare* putatur *ἀπὸ κοινοῦ* dictum esse. Doed.

facto .. consulto] Sallust. Cat. 1. *Priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris mature facto opus est.*

cios, securi adiere; Divoduri (Mediomatricorum id op- 69.
pidum est) quanquam omni comitate exceptos subitus pavor terruit, raptis derepente armis ad caedem innoxiae civitatis, non ob praedam aut spoliandi cupidine sed furore et rabie et causis incertis, eoque difficilioribus remediis, donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere. caesa tamen ad quattuor milia hominum. isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universae civitates cum magistratibus et precibus occurrerent, stratis per vias feminis puerisque, quaeque alia placamenta hostilis irae, non quidem in bello sed pro pace, tendebantur. **64.** Nuntium de caede Galbae et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta, et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. benigne excepti modestia certavere. Sed brevis laetitia fuit cohortium intemperie, quas a legione quarta decuma, ut supra memora-

C. 64. *quarta decuma* edd. At Ma. *quatuordecima*, ut II, 100. forma inaudita, non prorsus incredibili, nam et *primaet-*

C. 63. *Divoduri Mediomatricorum*] Hodie *Metz*.

ob praedam . . cupidine] Non bis idem dixit, sed hoc vult: non quasi vel urbs dignam et egregiam praedam monstraverit vel ipsi cupidine spoliandi accensi fuerint. Doed.

et furore restitui placet ex Ma. At edd. *sed*, quod supplendum potius cogitatione. Nec synonyma sunt, quae copulantur; *furor* ad incitatos animos ideoque ad errores falsasque suspiciones promptos pertinet, *rabies* ad eorundem saevitiam et naturalem sanguinis sitim, *incertae causae* ad instinctum ipsis incertum, tanquam divinitus ad caedem instigarentur. Doed.

stratis, scil. humi ad pedes incedentium et genua amplectentibus.

placamenta] Eadem quae mox Viennenses c. 66. *velamenta et infulas*, fortasse etiam commeatus et dona.

tendebantur pro *praetendebantur* ut Virg. G. IV, 534. *Tu munera supplex tende petens pacem*, coll. Aen. VIII, 116. *paciferaeque manu ramum praetendit olivae*, h. e. porrigit.

C. 64. *Leucorum*] Prope *Toul*; vid. Caes. B. G. II, 14. At Ma. *Leuclirorum*.

ut supra] Vid. c. 59.

69. vimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adiunxerat. iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum aggregantur, prope in praelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Aeduos quaesita belli causa: iussi pecuniam atque arma deferre gratuitos insuper commeatus praebuere. Quod Aedui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica et ala Taurina abductae: cohortem duodevicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens legatus Italicae legionis, quanquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. secretis eum criminationibus infamaverat Fabius, ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum.

65. Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat. multae in vicem clades, crebrius infestiusque quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. et Galba reditus Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat; multus contra in Viennenses honor. unde aemulatio et invidia et uno amne discretis connexum odium. Igitur

vicesima quae dicitur c. 61. eadem II, 43. *unaetvicesima* vocatur. Doed.

deferre edd. At Ma. *deferret.* Suspicor cum ed. Spir. *deferrent.* Vid. in Ann. XII, 49. Doed.

C. 65. *Viennensesque* omittit Ma.

iurgia intra verba et altercationem stant; in *rixa* etiam manus conseruntur vel saltem intentantur: Synonym. Lat. T. V. p. 277. Doed.

abductae] Lugduno ubi tendebant; c. 59.

C. 65. *crebrius infestiusque*, scil. editae.

pugnaretur] Pro *pugnari crederes.*

uno amne] H. e. nullo spatio nisi amne, Rhodano, discretis.

connexum odium] Quamvis invicem perosi, tamen connexe habitare cogebantur, unde alebatur odium, tam perpetuo prospectu quam crebris offensionum occasionibus. Enallagen dixeris, pro *connexis.* Aliter Ernestius: Quanquam amne discreti a natura erant, tamen odiis incensi quasi tollebant fines naturae et coniungebant disiuncta. Doed.

Lugdunenses exstimulare singulos militum et in ever- 69.
sionem Viennensium impellere, obsessam ab illis coloniam suam, adiutos Vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in praesidium Galbae referendo. et ubi causas odiorum praetenderant, magnitudinem praedae ostendebant. nec iam secreta exhortatio sed publicae preces: irent ultores, exscinderent sedem Gallici belli. cuncta illic externa et hostilia: se coloniam Romanam et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios. si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur. 66. His et pluribus in eundem modum perpulerant, ut ne legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur, cum haud ignari discriminis sui Viennenses, velamenta et infulas praeferentes, ubi agmen incesserat, arma, genua, vestigia prensando flexere militum animos. addidit Valens trecenos singulis militibus sestertios. tum vetu-

contra daret edd. ut Ann. XVI, 13. *Quotiens fortuna contra daret*. At Ma. *cāraderet*.

se coloniam Romanam] Vienna itidem colonia Romana erat, sed Lugdunenses incolis sibi invisis obtrectant. Veterani Viennam olim deducti aut emortui erant aut posteri eorum Gallicos mores assumpserant, ac propterea *cuncta illic externa et hostilia* esse inimici fremunt. Non bene Lipsius ex his verbis coniecit Viennenses donatos colonico iure, etsi militibus aut civibus Romanis non deductis. Nam qui ita donabantur, iis nonnisi *Latium* sive *ius Latii* concessum est, quae sane dignitas non ita magni momenti erat. Conf. Niebuhrius histor. Rom. T. II. p. 91. Id iuris iampridem ante Claudium omnes Galliae Comatae civitates assecutae erant, ut earum *primores* foedera quidem et civitatem Romanam acciperent, iure autem adipiscendorum in urbe honorum carerent. Conf. A. XI, 23. At vero Vienna iam ante Claudium ut colonia senatorum in urbe ius habuit, quod ostendit Claudii Caesaris oratio Lugduni marmori incisa: *Ornatissima ecce valentissimaque colonia Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert.* Quibus si adiungimus quae Tacitus paulo post c. 66. de Vienna dicit, *tum vetustas dignitasque coloniae valuit*, eam urbem veram coloniam fuisse haud dubitabimus. Ritter.

C. 66. *vestigia*] Dum aversantes et surdis auribus discedentes milites sequuntur provoluti.

Tum . . valuit] Cum ironia (ut c. 82. III, 12.): tum demum, postquam pecunia corrupti erant, vetustatem coloniae valere aliquid iactabant; ante pecuniam

69. stas dignitasque coloniae valuit, et verba Fabii salutem incolumitatemque Viennensium commendantis aequis auribus accepta. publice tamen armis multati privatis et promiscuis copiis iuvere militem. Sed fama constans fuit ipsum Valentem magna pecunia emptum. is diu sordidus, repente dives mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus, et inopi iuventa senex prodigus. Lento deinde agmine per fines Allobrogum et Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce, foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. sic ad Alpes perventum.

67. Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit. Irritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de caede Galbae ignari et Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicesimae legionis. rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. aegre id passi Helvetii, interceptis epistolis quae nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Caecina belli avidus proximam

C. 67. *Caecina* edd. At Ma. *prae Caecina*, per dittographiam praec. *praedae*.

eius rei memoriam dissimulaverant. Doed.

salutem ad vitam Viennensium, *incolumitas* ad bona eorundem referendum est.

armis multati] H. e. *entwaffnet.*

promiscuis copiis, variis et quibus quisque volebat; ut G. 5. *Promiscua et vilia mercantibus.*

Luco] Plin. H. N. III, 4. *Vocontiorum civitatis foederatae duo capita*, *Vasio et Lucus Augusti.* Hodie *le Luc.*

C. 67. *hausit*] Duplici sensu, *percepit* et *effudit*; ut *distineri* II, 32.

quamque culpam, antequam paeniteret, ultum ibat. 69.
Mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii exstructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens, missi ad Raetica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios a tergo aggrederentur. 68. Illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quanquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. exitiosum adversus veteranos praelium, intuta obsidio dilapsis vetustate moenibus. hinc Caecina cum valido exercitu, inde Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum iuventus, sueta armis et more militiae exercita; undique populatio et caedes; ipsi medio. vagi, abiectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. ac statim immissa cohorte Thracum depulsi, et consectantibus Germanis Raetisque per silvas atque in ipsis latebris trucidati. Multa hominum milia caesa, multa sub corona venundata. cumque dirutis omnibus Aventicum gentis caput iusto agmine peteretur, missi qui dederent civitatem; et deditio accepta. In Iulium Alpinum e principibus ut concitorem belli Caecina animadvertit: ceteros veniae vel saevitiae Vitellii reliquit. 69. Haud facile dictu est, legati Helvetiorum minus placabilem im-

C. 68. *ipsi medio* ex Ma. ut Ann. I, 64. *Medio montium et paludum.* Agr. 24. Hist. III, 19. At edd. *in medio.* Ceterum distinctionem mutavi post *medio* demum plene interpungendo, non post *caedes.* Doed.

C. 69. *placabilem*] Verba a — *bilem* usque ad *incertum* sine

locus . . frequens] Haud dubie qui hodie *Baden* in Argovia. „Reperta inscriptio *resp. Aqu.* id est *Aquensis.* Plantini Helvet. ant. p. 283.“ Brot.

C. 65. *ante discrimen . . pavidi*] Utpote Gallica gens: vid. Agr. 11.

non arma noscere] H. e. non usum armorum discere, ut Agr. 5. *Noscere provinciam.* Idem videtur sentire Bakius in Cic. Legg. I, 4. p. 295. Vix enim crediderim *noscere* usquam pro *nosse* dici, quamvis comparetur II, 12. et 93. Mox *non ordines sequi* contractum in brevius ex eo quod plenius Sallust. Iug. 80. *Consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare.* Doed.

Vocetium] Hodie *Boezberg.* Cognatum nomen videtur *Vogeso*-

69. peratorem an militem invenerint. Civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat, cum Claudius Cossus, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit, ut est mos volgo, mutabilem subitis et tam pronum in misericordiam quam immodicum saevitia fuerat. effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere. 70. Caecina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiae Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, laetum ex Italia nuntium accipit, alam Silianam circa Padum agentem sacramento Vitellii accessisse. Proconsulem Vitellium Siliani in Africa habuerant; mox a Nerone ut in Aegyptum praemitterentur exciti, et ob bellum Vindicis revocati, ac tum in Italia manentes, instinctu decurionum, qui Othonis

capitis 75. desunt in Ma. cuius in margine alia manus: *deest charta.*

quam immodicum . . fuerat] Hoc intolerabile est. Aut cum Freinshemio *immodicus* scribendum, aut cum Rittero *fuerat* delendum. Illud lenius est.

C. 70. *Silianam*] *Silanam* et paulo post *Silani* ABC, *Syllanam* et *Syllani* G, *Sullanam* et *Sullani* vulgo. — Quia infra II, 17. Ma. (is hic deficit) eandem alam *Silianam* vocat, et quoniam verisimilius visum est hanc alam a C. Silio superioris sub Tiberio Germaniae legato (cf. A. I, 31. 72. II, 6. 7. 25. III, 42. 45. IV, 19.) et viro clarissimo nomen accepisse quam ab obscuro quodam praefecto, cui Sullae nomen fuerit, equidem cum Bipontinis et hoc loco dedi *Silianam* et paulo post *Siliani.* Ritter.

C. 69. *minis ac verbis*] Suspicabar: *minis acerbis*, donec gemino loco deterritus sum, III, 24. *Frustra minis et verbis provocatos Vitellianos.* Videtur *minae* ad vultus truculentiam et manus intentationem aliaque tacita irae signa spectare. Sed ἓν διὰ δυοῖν si statuas, *verbis* otiosum est. Doed.

apta trepidatione] Dial. 6. *Ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati.* Plin. Ep. V, 13.

Effusis lacrimis tolerari sane potest, quanquam *Effusis* melius abesset. Sed eleganter ed. Spir. *Effusi lacrimis* casu dativo pro vulgari II, 45. *Effusi in lacrimas*, coll. Ann. I, 11. et 54. Doed.

ignari, Vitellio obstricti robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus attollebant, transiere in partes, et ut donum aliquod novo principi firmissima Transpadanae regionis municipia Mediolanum ac Novariam et Eporediam ac Vercellas adiunxere. Id Caecinae per ipsos compertum. et quia praesidio alae unius latissima pars Italiae defendi nequibat, praemissis Gallorum, Lusitanorum Britannorumque cohortibus et Germanorum vexillis cum ala Petrina, ipse paululum cunctatus, num Raeticis iugis in Noricum flecteret adversus Petronium urbis procuratorem, qui concitis auxiliis et interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur. Sed metu ne amitteret praemissas iam cohortes alasque, simul reputans plus gloriae retenta Italia, et ubicunque certatum foret, Noricos in cetera victoriae praemia cessuros, Penino subsignanum militem itinere et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit. 69.

71. Otho interim contra spem omnium non deliciis neque desidia torpescere. Dilatae voluptates, dissimulata luxuria, et cuncta ad decorem imperii composita. eoque plus formidinis afferebant falsae virtutes et vitia reditura. Marium Celsum consulem designatum, per speciem vinculorum saevitiae militum subtractum, acciri in Capitolium iubet. clementiae titulus e

ala Petrina Savilius, coll. IV, 49. At MSS. *alpe tarina* vel *triarina*.

urbis vel *urbi* corrupte MSS. Nam *procuratori urbis* nullus est locus. Freinshemius *Urbicum* coniecit, coll. Ann. XI, 35. *Pompeium Urbicum*, alii deleverunt.

Eporedia, hodie *Yvrea*.

subsignanum] Quinam subsignani sint ambigitur. Bis memorantur Tacito; hoc quidem loco a *legionariis* distinguit, at IV, 33. ab *auxiliis*. Cum Bipontinis intelligo veteranos et exauctoratos sed adhuc *sub signis* vel vexillo habitos, dum praemia militiae persolvi possent. Vid. Ann. I, 26. Eorum aetati ut consuleretur, Penino itinere, ut videtur, faciliore traducuntur; ipsae legiones autem alia et breviore Alpium via, tanquam nivis et inviorum molestias sine damno toleraturae. Doed.

69. viro claro et partibus inviso petebatur. Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus exemplum ultro imputavit. Nec Otho quasi ignosceret, sed, ne hostis metum reconciliationis adhiberet, statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter duces delegit. mansitque Celso velut fataliter etiam pro Othone fides integra et infelix. laeta primoribus civitatis, celebrata in volgus Celsi salus ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus cui irascebantur. 72. Par inde exultatio disparibus causis consecuta impetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia

C. 71. *primoribus* Rhenanus. At MSS. *pro moribus*.

C. 71. *imputavit*] Ita locutus est ut exemplum fidei a se editum gratum esse Othoni debere demonstraret; tantum abesse ut iram eius meruerit. Interesse enim et ipsius fidos amicos habere, talemque se in eius amicitia futurum, qualis in Galbam fuisset. Ern. Vid. c. 55. extr.

sed ne hostis . . adhiberet] Haec quae haud dubie ex Ma. dedit Bekkerus, iuste explicare nequeo sine correctione. Suspicor: *Nec Otho quasi ignosceret hosti* (scil. *egit*), *sed ne metum reconciliationi adhiberet, statim . . habuit*. Hostes sane fuerant Otho et Celsus et pro captivo Celsus; nam bellum quamvis breve exarserat Galbae inter partes et Othonis. Id Otho dissimulans tanquam *offensae* solae inter se et Celsum fuissent, ignovit ac potius reconciliatus est, curabatque ne suspecta esset ea reconciliatio. Concinunt Plut. Galb. 1. verba: *Κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκάλεσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν.* Metum *adhibere* idem est quod *addere*, ut Cic. Orat. II, 45. *Neque fieri potest ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid . . . nisi omnes ii motus quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi videbuntur.* Sed MSS. valde fluctuant ac ne de Ma. quidem scriptura satis constat. In Corb. et Agr. est: *Nec Otho quasi ignosceret sed ne hostes metueret conciliationes adhibens statim . . habuit*, quod recepit Waltherus. Et Guelf. *Et Otho quasi ignosceret, sed ne hostis metum quasi reconciliationis adhiberet statim intra . . habuit.* Alii aliter. Dord.

infelix, quia coactus fatis iniquis fuit transire ad amici hostem et perdito amico sperare vel accipere salutem ab hoste; nam a Vitellio quoque veniam accepit et consulatum servavit: cf. II, 60. *Ex Ern.*

in vulgus pro dativo ut Ann. I, 28. *Gratum in vulgus*, coll. VI, 45.

virtutum, quia velocius erat, vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et virilia scelera exercuit corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus, ac postremo eiusdem desertor ac proditor. unde non alium pertinacius ad poenam flagitavere, diverso affectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium. Apud Galbam Titi Vinii potentia defensus, praetexentis servatam ab eo filiam. et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque, diffidentia praesentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura sed vices impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti Titi Vinii invidia, concurrere e tota urbe in palatium ac fora, et ubi plurima volgi licentia, in circum ac theatra effusi seditiosis vocibus obstrepere, donec Tigellinus accepto apud Sinuessanas aquas supremae necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras sectis novacula faucibus, infamem vitam foedavit etiam exitu sero et inhonesto. **73.** Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus et adversa dissimulantis principis fama pericu- 69.

C. 72. *ac proditor*] Haec verba desunt in Spir. et MS. Reg. Ac sane *deseruit* Tigellinus Neronem, non *prodidit*, nisi hoc sensu quo dicitur *prodere* pro *deserere*. Sed consuetudinem sequi potuit Tacitus, quae haec verba libenter coniunxit. Doed.

C. 72. *quia velocius erat* commatis inclusi, ne quis *erat adeptus* coniungeret cum edd. antiquis; *velocius* adiectivum est, non adverbium. Doed.

virilia scelera ad delationes et caedes referendum, ut Ann. XV, 50.; antea mollitie tantum et *flagitiis* famosus, et ut videbatur, eviratior quam qui impotentia aliquid auderet. Nuper Fr. G. Otto *vilia scelera* suasit.

unde nulla .. impunitatis] Obscura haec et multorum coniecturis tentata. Suspicor transpositione adhibita: *nulla innocentiae cura*, *sed unde vices impunitatis* scil. *sperentur* vel *exigantur*. Sensus est: Servaverat sane Tigellinus filiam Vinii, non tamen affectu et studio innocentium defendendorum, sed ut haberet a quo vicissim impunitatem speraret. Doed.

Sinuessanas aquas] Vid. Ann. XII, 66.

69. lo exempta est. magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem populo Romano haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit, consulari matrimonio subnixa et apud Galbam, Othonem, Vitellium illaesa, mox potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent.

74. Crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistolae offerebant pecuniam et gratiam et quemcunque quietis locum prodigae vitae legisset. Paria Vitellius ostentabat: primo mollius, stulta utrinque et indecora simulatione, mox quasi rixantes stupra et flagitia in vicem obiectavere, neuter falso. Otho, revocatis quos Galba miserat legatis, rursus alios ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam easque quae Lugduni agebant copias specie senatus misit. Legati apud Vitellium remansere, promptius quam ut retenti viderentur. Praetoriani, quos per simulationem officii legatis Otho adiunxerat, remissi antequam legionibus miscerentur. Addidit epistolas Fabius Valens nomine Germanici exercitus ad praetorias et urbanas cohortes, de viribus partium magnificas et concordiam offerentes. increpabat ultro, quod tanto ante traditum Vitellio imperium ad Otho-

C. 74. *offerebant* Rhenanus. At MSS. *offerebantur*.

C. 73. *famem*] Nam Aegyptus et Africa populi Romani horrea erant, et Aegypto in cuiusque anni quadrimestre conferente frumentum Africa in reliquos octo menses suppeditabat. Ioseph. B. Iud. I, 2, 16. Savil.

C. 74. *primo mollius*, scil. agentis vel egerunt, ut Agr. 42. Ideo distinctionem vulgatam mutavi.

quasi rixantes] Iure additum est *quasi;* nam *rixari* nulli possunt nisi praesentes et vivo sermone ad convicia et vim exasperati.

miserat] Vid. c. 19.

specie senatus] Specioso nomine. Vid. c. 76. *Praetexto senatus*.

remissi antequam] Itaque incertum fuit num, si legionibus mixti essent, redituri fuerint necne.

tanto ante] Duodecim fere diebus. Nam Vitellius imperator salutatus est d. II. Ianuarii, Otho d. XV. vel XIV.

Othonem vertissent. **75.** Ita promissis simul ac minis 69.
tentabantur ut bello impares, in pace nihil amissuri. neque ideo praetorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in Germaniam, a Vitellio in urbem missi. Utrisque frustra fuit, Vitellianis impune, per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus: Othoniani novitate voltus, omnibus in vicem gnaris, prodebantur. Vitellius litteras ad Titianum fratrem Othonis composuit, exitium ipsi filioque eius minitans, ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur. et stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor clementiae gloriam tulit. **76.** Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius iurasse in eum Dalmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones. Idem ex Hispania allatum, laudatusque per edictum Cluvius Rufus: et statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam. Ne Aquitania quidem, quanquam ab Iulio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit. Nusquam fides aut amor: metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. Longinquae provinciae, et quicquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium studio; sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus, et occupaverat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. simul Aegyptus omnesque versae in Orientem provinciae nomine eius tenebantur. Idem Africae obsequium, initio Carthagine orto. Ne-

C. 75. *gnaris* Rhenanus. At MSS. *ignaris*, unde suspiceris: *omnibus invicem in gnaris prodebantur*. Doed.

C. 75. *in pace*] Mente addendum *ita*, ut II, 20. III, 11.
impune] Prave fecere qui cum *fallentibus* iunxerunt; sed *fuit* cogitatione repetendum est; *fallentibus* h. e. latentibus. Doed.
C. 76. *diu mansit*, in fide.
praetexto] Ut 77. II, 100. III, 80. et I, 74. *specie senatus*.
auditus, i. q. auditio.

69. que expectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate, Crescens Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se rei publicae faciunt) epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceterae civitates secutae.

77. Sic distractis exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat, Otho, ut in multa pace munia imperii obibat, quaedam ex dignitate rei publicae, pleraque contra decus ex praesenti usu properando. Consul cum Titiano fratre in calendas Martias ipse; proximos menses Verginio destinat ut aliquod exercitui Germanico delenimentum. iungitur Verginio Pompeius Vopiscus praetexto veteris amicitiae; plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere, Caelio ac Flavio Sabinis in Iulias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres, quorum honori ne Vitellius quidem victor

C. 76. *et hi malis* Pichena. At MSS. *et in malis*. Suspicor *et ii malis*.

partem] G. 13. *Ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae.*

sine modo] Deturbandis, credo, Galbae imaginibus et licenter insultando.

C. 77. *distractis*, in contrarias partes, ut Ann. IV, 40.

in calendas Martias] Inde a dictatura C. Iulii Caesaris consulare imperium annuum esse desiit, ac fere sub principibus quovis anno sex consulum paria munere suo ita functa sunt, ut bini binos menses honore fruerentur; illi autem, qui calendis Ianuariis magistratum ineunt, in fastos referuntur ac propterea *ordinarii* appellantur. Conf. Dio XLIII, 46. XLVIII, 36. Ordinarii igitur huius anni consules fuere Galba ac Vinius (Hist. I, 1.), qui cum iam octavo decimo calendas Februarias occiderentur, consules suffecti in reliquos dies usque ad calendas Martias fuere Otho et frater Titianus; proximos menses, Martium et Aprilem, Otho Verginio et Vopisco destinavit, Maium Iuniumque Caelio ac Flavio Sabinis, Iulium et Augustum Antonino et Celso. De ceteris eiusdem anni consulibus infra Tacitus exponit II, 71. II, 60. III, 37. 68. 73. Ritter.

Verginio Rufo, antea legato Germaniae inferioris. Vid. c. 8.

Viennensium] Unde fortasse oriundus erat Vopiscus.

in Iulias scil. *calendas*, ex prioribus repetendum.

intercessit. Sed Otho pontificatus auguratusque hono- 69.
ratis iam senibus cumulum dignitatis addidit, aut recens ab exilio reversos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blaeso, Saevino Pomptino senatorius locus. repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant: placuit ignoscentibus verso nomine, quod avaritia fuerat, videri maiestatem, cuius tum odio etiam bonae leges peribant. **78.** Eadem largitione civitatium quoque ac provinciarum animos aggressus Hispaliensibus et Emeritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit; nova iura Cappadociae, nova Africae, ostenta magis quam mansura. Inter quae necessitate praesentium rerum et instantibus curis excusata, ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppaeae per senatusconsultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse, spe volgum alliciendi. et fuere qui imagines Neronis proponerent; atque etiam Othoni quibusdam diebus popu-

sacerdotiis .. recoluit] In sacerdotia restituit, ut Ann. III, 72. *Lepidus . . antiquum decus recoluit*. Hist. III, 7. *Recoli imagines Galbae iussit*. Ergo *sacerdotiis* dativus est. Perperam alii: iterum ornavit. Doed.

Cadio Rufo, sub Claudio olim damnato, Ann. XII, 22. Et *Paedio Blaeso*, qui sub Nerone, Ann. XIV, 18.

maiestatem scil. laesam; quod sequitur *cuius*, refertur ad *legem maiestatis*, quae illis verbis significatur. Sensus est: illi repetundarum et avaritiae damnati erant sub Claudio ac Nerone. Otho autem ignovit tanquam maiestatis damnati fuissent, et dum publico adversus maiestatis leges odio gratificatur, bonas contra avaritiam leges evertit.

C. 78. *Hispaliensibus* Rhenanus. Hodie *Sevilla*. At MSS. *Hispaniensibus*. Mox *Emeritensibus*, ubi hodie *Merida*.

adiectiones] Ut infrequentiae coloniarum subveniretur. Liv. XLIII, 17. *Postulantibus a senatu ut colonorum numerum augeret, MD familiae ex SC. scriptae*.

ostenta . . mansura] Ut Agr. 13. *D. Iulius Britanniam . . videri potest ostendisse posteris, non tradidisse*.

reposuit, prorutas olim populi ira, XIV, 61, dein repositas a Nerone et iterum haud dubie eversas post caedem Neronis.

proponerent] Plut. Oth. p. 1067. c. *τινῶν εἰκόνας Νέρωνος εἰς τοὐμφανὲς προθεμένων οὐκ ἐκώλυσε*.

69. lus et miles, tanquam nobilitatem ac decus astruerent, Neroni Othoni acclamavit. ipse in suspenso tenuit, vetandi metu vel agnoscendi pudore.

79. Conversis ad civile bellum animis externa sine cura habebantur. Eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme caesis duabus cohortibus magna spe ad Moesiam irruperant, novem milia equitum, ex ferocia et successu praedae magis quam pugnae intenta. Igitur vagos et incuriosos tertia legio adiunctis auxiliis repente invasit. Apud Romanos omnia praelio apta: Sarmatae dispersi aut cupidine praedae graves onere sarcinarum, et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti caedebantur. namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignavom: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. Sed tum humido die et soluto gelu neque conti neque gladii, quos praelongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et cataphractarum pondere. id principibus et nobilissimo cuique tegimen, ferreis laminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus impenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis assultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi scuto mos est) comminus fodiebat, donec pauci, qui praelio superfuerant, paludibus abderentur. Ibi saevitia hiemis et vi

C. 79. *aut cupidine*] Suspicor cum Berneggero: *dispersi cupidine praedae aut graves onere sarcinarum.*

hiemis et vi] Sic Muretus. At MaB. *hic mĩa.* Contra GHB. *hic misericordia.* Suspicor: *saevitia hiemis ac volnerum.* Nam *volnerum saevitia* non audacius dictum quam Ann. II, 87. *Saevitiam annonae incusante plebe.* Doed.

C. 79. *velut vincti*] Vid. in Ann. I, 65.

et cataphractarum pondere, praeter lubricum viarum.

facilis lorica] ut G. 6. *sagulo leves.* All. *facili.*

volnerum absumpti. Postquam id Romae compertum, 69.
Marcus Aponius Moesiam obtinens triumphali statua, Fulvius Aurelius et Iulianus Titius ac Numisius Lupus legati legionum consularibus ornamentis donantur, laeto Othone et gloriam in se trahente, tanquam et ipse felix bello et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset.

80. Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. Septumam decumam cohortem e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho iusserat; armandae eius cura Vario Crispino tribuno e praetorianis data. is quo magis vacuus quietis castris iussa exsequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario iubet. Tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum evaluit; et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. Fremit miles, et tribunos centurionesque proditionis arguit, tanquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur, pars ignari et vino graves, pessimus quisque in occasionem praedarum, volgus, ut mos est, cuiuscunque motus novi cupidum. et obsequia meliorum nox abstulerat. Resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant. rapta arma, nudati gladii. insidentes equis urbem ac palatium petunt. 81. Erat Othoni celebre convivium primoribus feminis virisque; qui trepidi, fortuitusne militum furor an dolus imperatoris, manere ac deprehendi an fugere et dispergi periculosius foret, modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis

C. 80. *unde* cave ad *initium* referas. Orta seditio est *ab iis partibus*, unde nihil mali immінere videbatur, ab ipsis Othonianorum fidissimis, a praetorianis orta seditio.

arma cupidinem sui] Respicit Hom. Od. XVI, 294. *αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.*

familiae] Servitia.

obsequia . . abstulerat] Nox prohibuerat quominus meliores a pessimo quoque segregarentur et imperata facerent. Rupert.

C. 81. *detegi*, scil. simulatores constantiae.

69. voltum intueri. utque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine senatus quam suo territus, et praefectos praetorii ad mitigandas militum iras statim miserat, et abire propere omnes e convivio iussit. Tum vero passim magistratus, proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque per tenebras diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, et ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere. 82. Militum impetus ne foribus quidem palatii coercitus, quo minus convivium irrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, volnerato Iulio Martiale tribuno et Vitellio Saturnino praefecto legionis, dum ruentibus obsistunt. Undique arma et minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis, et quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec Otho, contra decus imperii, toro insistens, precibus et lacrimis aegre cohibuit, redieruntque in castra inviti neque innocentes. Postera die velut capta urbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs; deiecti in terram militum voltus, ac plus tristitiae quam paenitentiae. Manipulatim allocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. Finis sermonis in eo, ut quina milia nummum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus. atque illum tribuni

incertas latebras] Ut Agr. 38. *incerta fugae vestigia.*

C. 82. *praefecto legionis*] Veget. II, 9. *Proprius iudex erat praefectus legionis habens communem primi ordinis dignitatem, qui absente legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones ceterique milites eius praecepta servabant.* Intellige igitur virum legioni separatim agenti praepositum ducisque in ea officio fungentem, qui infra II, 86. III, 52. et Suet. Tit. 4. ab imperatore *legioni praepositus* vocatur. Walther.

quina milia] Plut. Oth. 3. τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ δωρησάμενος ἅπαντας κατ᾽ ἄνδρα χιλίαις καὶ διακοσίαις καὶ πεντήκοντα δραχμαῖς εἰςῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον.

Tum, scil. *demum* ut c. 66.

centurionesque circumsistunt, abiectis militiae insigni- 69.
bus otium et salutem flagitantes. Sensit invidiam miles, et compositus in obsequium auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat. 83. Otho, quanquam turbidis rebus et diversis militum animis, cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, volgus et plures seditionibus et ambitioso imperio laeti per turbas et raptus facilius ad civile bellum impellerentur, simul reputans non posse principatum scelere quaesitum subita modestia et prisca gravitate retineri, sed discrimine urbis et periculo senatus anxius, postremo ita disseruit. „Neque ut affectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer (utraque enim egregie supersunt), sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis. Tumultus proximi initium non cupiditate vel odio, quae multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas vestra acrius quam considerate excitavit. nam saepe honestas rerum causas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum: num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari ratio rerum aut occasionum velocitas pati-

C. 83. *considerate* Waltherus ut Agr. 4. *vehementius quam caute*. At Ma. *considerat*. Reliqui MSS. *consideratius*, quod et usitatius plerisque et ne Tacito quidem spretum, Germ. 36. *Iucundius quam tutius*. Utique haec duo adverbia non cum *excitavit* iungenda sed cum nomine *pietas acrius*, scil. demonstrata vel exercita.

otium, i. e. liberationem a tribunatus centurionatusve negotiis; *et salutem*, tanquam perniciosum esset tali militi praeesse.

C. 83. *sed discrimine*] Pro *tamen*. Sensus est: Quanquam militum habitus indulgentiam suaderet, tamen urbis periculum severitatem poscebat; itaque paulisper cunctatus utrum praevaleret, postremo indulgentiam severitate miscuit, ita disserendo.

modestia scil. parentium, *gravitate* scil. imperantis.

cupiditate] Scil. pecuniae et praedarum, vel avaritia, ut *cupidine* Ann. XII, 57.

occasionum velocitas] Thuc. I, 142. *οἱ γὰρ καιροὶ τῶν πολέμων οὐ μενετοί*.

69. tur? tam nescire quaedam milites quam scire oportet. ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. si, ubi iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An et illic nocte intempesta rapiuntur arma? unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium irrumpet? **84.** Vos quidem istud pro me: sed in discursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus me potest. Si Vitellio et satellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur, quid aliud quam seditionem et discordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur, hinc confusi pedites equitesque in exitium ruamus. Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando res militares continentur; et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestrae regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum poena erit. ceteri abolete memoriam foedissimae noctis. Nec illas adversus senatum voces ullus unquam exercitus audiat. Caput imperii et decora omnium provinciarum ad poenam vocare non hercule illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant. ulline Italiae alumni et Romana vere iuventus ad sanguinem et caedem depo-

C. 84. *quem nobis* edd. At Ma. *quae nobis.*

tantum iuberi] Vi imperii, non simul *persuaderi* rationum causarumque expositione.

illic, in bello, ad quod imus.

nocte intempesta] Media, fere ut Virg. G. I, 247. Aen. III, 587. Cic. Phil. I, 3. Pis. 38.

C. 84. *satellitibus*] Insidiatoribus, de quibus c. 75.

Parendo potius] Hic et aliis huius orationis locis Tacitus ob oculos habuit orationem Pauli ad milites apud Liv. XLIV, 34. Ern.

non hercle miro errore Bachius pro *ne* positum monuit. Est *οὐκ ἂν τολμῷεν.*

poscerint ordinem, cuius splendore et gloria sordes et 69.
obscuritatem Vitellianarum partium praestringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: senatus nobiscum est. sic fit, ut hinc res publica, inde hostes rei publicae constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? muta ista et inanima intercidere ac reparari promisca sunt: aeternitas rerum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato a parente et conditore urbis nostrae institutum, et a regibus usque ad principes continuum et immortalem sicut a maioribus accepimus, sic posteris tradamus. nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur."

85. Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos, et severitatis modus (neque enim in plures quam in duos animadverti iusserat) grate accepta, compositique ad praesens qui coerceri non poterant. non tamen quies urbis redierat: strepitus telorum et facies belli erat, militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos, occulto habitu et maligna cura

C. 84. *praestringimus* I. Fr. Gronovius. At MSS. *perstringimus.*

inanima Lipsius coll. Ann. IV, 69. Plin. Pan. 50. *Muta quidem ista et anima carentia sentire tamen et laetari videntur;* et Cic. Verr. V, 67. At Ma. *inania*, quod tueri utcunque possis coll. Thuc. II, 62. tanquam aedificia illa sint inania *ἐγκαλλωπίσματα πλούτου.* Doed.

sicut edd. At Ma. *sic.*

C. 85. *belli erat* Puteol. At MSS. *belli et.* Suspicor *et* ex dittographia natum esse. Doed.

stare] H. e. *constare.*

inanima . . promisca sunt] Attractione Graeca pro: *promiscuum est* (i. q. nihil refert, *ἀδιάφορόν ἐστι*) *muta ista et inanima intercidere ac reparari*, i. e. ista sine discrimine everti ac reparari possunt. Ex Bach.

aeternitas rerum] H. e. fama rerum a populo Rom. gestarum aeterna.

C. 85. *animos*] Scil. idonea, ut IV, 69. Ann. XIV, 3.

compositi clementia et largitione, qui *coerceri* imperio et auctoritate non poterant.

habitu] Scil. animorum, ut I, 4. Liv. IX, 17. Vellei. P. II. 99.

69. in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda plerique credebant. unde plena omnia suspicionum et vix secreta domuum sine formidine. Sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama attulisset, animum voltumque conversis, ne diffidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas: et privato Othoni nuper atque eadem dicenti nota adulatio. Igitur versare sententias et huc atque illuc torquere, hostem et parricidam Vitellium vocantes, providentissimus quisque volgaribus conviciis; quidam vera probra iacere, in clamore tamen et ubi plurimae voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes. 86. Prodigia insuper terrebant diversis auctoribus volgata: in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae, cui Victoria institerat; erupisse cella Iunonis maiorem humana speciem; statuam divi Iulii in insula Tiberini amnis sereno et immoto die ab Occidente in Orientem conversam; prolocutum in Etruria bovem; insolitos animalium partus, et plura alia, rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur. Sed praecipuus et cum praesenti exitio etiam futuri pavor

C. 86. *speciem* edd. At Ma. *specie* non deterius; vid. in Ann. II, 24.

versare] Anxie perpendere, ne forte offensioni forent, ut in Horatiano, *Versate diu quid ferre recusent*.

C. 86. *omissas habenas*, ὥσπερ κρατεῖν μὴ δυναμένης, addit Plutarchus.

cella Iunonis] In templo Capitolino.

in Orientem] Tanquam ex ea parte et ab Vespasiano salutem populo Romano expectaret.

in metu] Quippe hoc ingenium vulgi, tunc converti ad religiones et monstra observare aut fingere. Claudianus apposite de bell. Get. 277. *Utque est ingenioque loquax et plurima fingi permittens credique timor, nunc somnia vulgo narrari, tunc monstra deum monitusque sinistri.* Propiusque ad Tacitum ib. 239. *Et si quod fortasse quies neglexerat omen, addit cura novis.* Lips.

subita inundatione Tiberis, qui immenso auctu, pro- 69.
rupto ponte Sublicio, ac strage obstantis molis refusus non modo iacentia et plana urbis loca sed secura eiusmodi casuum implevit. rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. fames in volgus inopia quaestus et penuria alimentorum. corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. utque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum quod paranti expeditionem Othoni campus Martius et via Flaminia, iter belli, esset obstructum, a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur.

87. Otho lustrata urbe et expensis belli consiliis quando Peninae Cottiaeque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodiam habitos in numeros legionis composuerat, facta et ceteris spe honoratioris in

inopia usque ad II, 2. *Cyprum* absunt a Ma., cuius in margine antiqua manus „hic deficit unum folium. dimittatur spatium pro dicto folio.“ Bekker.

prorupto] Rupto ac proruto, ut Ann. XV, 40. Passim *prorumpere* vi transitiva legebatur, donec *proruere* substitueretur, ut Caes. B. Gall. III, 26. Curt. IV, 13. *Proruptum vallum.* Virg. G. I, 97. Stat. XI, 640.

inopia et *penuria* ablativi sunt causamque famis narrant; ipsa autem *quaestus inopia* causam habebat turbas et metum temporum; *alimentorum penuria* orta ex fluminis inundatione. Plutarch. Oth. 4. *πλεῖστον δὲ κατέκλυσεν, ἐν ᾧ τὸν ἐπὶ πράσει διαπωλοῦσι σῖτον ὡς δεινὴν ἀπορίαν ἡμερῶν συχνῶν κατασχεῖν.* Vulgo post *vulgus* distinguitur.

remeante] I. e. dum remeat.

a fortuitis . . causis recte Rupertius cum *vertebatur* coniunxit, ut Liv. II, 27. *Periculum in creditores a debitoribus verterat.* Vulgo post *causis* comma ponitur, in quo vel praepos. *a* offensioni est.

C. 87. *lustrata*] Ut Ann. XIII, 24.

ad pontem Mulvium] Vid. c. 6.

in custodiam habitos] Liv. XXII, 25. *Prope in custodiam habitum.* Nec accusativus pro ablativo positus. Nempe *habere* ut *exhibere*, *praebere*, significat *geben*; etiam in *fidem*, *orationem habere.* Synon. Lat. T. VI. p. 153.

numeros, i. q. cohortes, ut c. 6.

69. posterum militiae. Addidit classi urbanas cohortes et plerosque e praetorianis, vires et robur exercitus atque ipsis ducibus consilium et custodes. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus, Aemilio Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Oscus libertus retinebat, ad observandam honestiorum fidem immutatus. Peditum equitumque copiis Suetonius Paulinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati. Sed plurima fides Licinio Proculo praetorii praefecto. is urbanae militiae impiger, bellorum insolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus bonos et modestos anteibat. 88. Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia neque obscura, nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus. Multos e magistratibus, magnam consularium partem Otho, non participes aut ministros bello sed comitum specie secum expedire iubet, in quis et Lucium Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem nec ut hostis. igitur mota urbis cura; nullus ordo metu aut periculo vacuus. Primores

C. 87. *vires et* Lipsius. *viris ut* MSS.

immutatus] Sic Ma. At BG. *invitatus;* RA. *imitatus.* I. Fr. Gronovius *comitatus*, probantibus editoribus. Doed.

immutatus] Quem non mutaverat Otho alio navium curatore, libertum potissimum maximeque idoneum ratus ad observandam honestiorum fidem, qui flagitiosum Othonis imperium detrectaturi essent. Poterat sane omitti *immutatus* post *retinebat*, sed ad sensum tantummodo, non item ad numeros vel periodi elegantiam; non magis quam participium II, 98. *Plures fefellere fide amicorum aut suomet astu occultati.*

quod facillimum ad *anteibat* referendum, non ut plerique putant ad *criminando*.

C. 88. *nomine monstratus*, ut Vespasianus *fatis* Agr. 13.

mota urbis cura] I. e. *das Interesse der Hauptstadt wurde in Anspruch genommen*, non ut all. exhibent, *motae urbis curae*, *es wurden Besorgnisse erregt.* Cura autem illa diversa erat, detrectantium militiam et affectantium, metuentium bella ac turbas et sperantium.

senatus aetate invalidi et longa pace desides, segnis et 69.
oblita bellorum nobilitas, ignarus militiae eques, quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et irritamenta libidinum ut instrumenta belli mercarentur. Sapientibus quietis et rei publicae cura; levissimus quisque et futuri improvidus spe vana tumens; multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi. 89. Sed volgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus sentire paulatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis; quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat. sub Tiberio et Gaio tantum pacis adversa rei publicae pertinuere. Scriboniani contra

C. 88. *alacres*, ut hoc loco obscurum, ita extrema sententia aptissimum est. Itaque transponendum: *ac turbatis rebus et per incerta tutissimi alacres*, ut praedicatum sit *alacres* respondeatque superiori *tumens;* rursusque *afflicta fide* ac *tutissimi* appositionem subiecti *multi* efficiant. Doed.

C. 89. *magnitudine . . populus*] Sensus est: numerosior erat civitas Romana quam ut communem reipublicae salutem curaret. Nam in modicis tantum civitatibus unusquisque civium partem se reipublicae esse credit ac sentit; contra numero civium in immensum aucto ut comitia rite haberi nequeant, populus paucis publicas curas relinquit suisque privatis necessitatibus vel commodis prospicere satis habet. Vid. Agr. 43.

reipublicae pertinuere] H. e. ad rempublicam pertinuere; ut III, 19. *Expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad ducem pertinere.* Pro ea structura dativus, non audacius quam Ann. I, 19. *Pectori usque accreverat*, et XV, 65. *Non referre dedecori.* Tum pacis tantum mala, delationes, annonae caritatem, Tiberii saevitiam cives sentiebant; clades bellorum viro uni principi curae erant. Haec scriptura latere videtur in Flor. altero: *adversa r. p. pertinuere;* nam Ma. h. l. mancus est; vid. in c. 86. Reliqui fluctuant: Cl. *adversa reipublicae pertinuere.* R. *adversus rempublicam pertinuere.* Agr. *ad-*

69. Claudium incepta simul audita et coercita; Nero nuntiis magis et rumoribus quam armis depulsus. Tum legiones classesque et, quod raro alias, praetorianus urbanusque miles in aciem deducti; Oriens Occidensque et quicquid utrinque virium est, a tergo; si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent. aspernatus est omnem cunctationem ut Neroni quoque exitiosam; et Caecina iam Alpes transgressus exstimulabat. 90. Pridie idus Martias commendata patribus re publica reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas, revocatis ab exilio concessit, iustissimum donum et in speciem magnificum, sed festinata iam pridem exactione usu sterile. Mox vocata concione maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando, ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. et erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implen-

versa in republica pertimuere. Bud. *adversa r. p. partimuere.* Lipsius *r. p.* vel *reipublicae* deleto *adversa pertimuere* praetulit, idque hodie invaluit. Doed.

Scriboniani] Dalmatiae legati, Suet. Cl. 13.

Oriens Othoni, *Occidens* Vitellio. cf. c. 76.

conditorum anciliorum] Ovid. Fast. III, 395. *Arma movent pugnam; pugna est aliena maritis; condita cum fuerint, aptius omen erit.*

C. 90. *reliquiae Neronianarum sectionum*] Sunt bona, quae Nero privatis hominibus adimenda et sub hasta divendenda curaverat, quorumque pretium ab emptoribus nondum exsolutum ideoque nondum in fiscum conversum erat. Minime haec verba de *donationibus* supra c. 20. commemoratis accipienda sunt, quod factum ab Ernestio aliisque interpretibus. Ritter.

Trachali] Vid. II, 60. Quintil. X, 1, 119. *Erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit et quem velle optima crederes; auditus tamen maior;* coll. XII, 5, 5.

das aures latum et sonans. Clamor vocesque volgi, ex 69. more adulandi, nimiae et falsae. quasi dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant; nec metu aut amore, sed ex libidine servitii; ut in familiis, privata cuique stimulatio, et vile iam decus publicum. Profectus Otho quietem urbis curasque imperii Salvio Titiano fratri permisit.

latum] Prolixum. Cic. Brut. 31. *Ut Stoicorum astrictior est oratio aliquantoque contractior quam aures populi requirunt, sic illorum* (Peripateticorum Academicorumque) *liberior et latior quam patitur consuetudo iudiciorum et fori.* Plin. Ep. I, 20, 19. *Non amputata oratio et abscissa, sed lata et magnifica et excelsa.* RUPERT.

ex libidine servitii] Eodem fere sensu quo II, 71. *Consuetudine servitii.* Post haec verba cum Lipsio plene distinxi.

ut in familiis] Ut inter servitia fieri solet.

LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM.

Titus Vespasianus Romam missus ad gratulandum Galbae caede eius audita substitit. Paphiam Venerem adit et de futuris eam consulit. laeta omnia et magna accipit. Ad patrem redit, qui belli consilia agitat, sed bellum ipsum in occasionem differt. Falsus Nero detegitur et capitur. Othonis copiae et duces; et classis eius in Galliam Narbonensem irruptio. In Corsica motus aliquis temeritate procuratoris. Caecina Italiam intrat, Placentiam oppugnat, sed cum infamia et strage repulsus. Insidias paullo post Othonianis locat, sed eae quoque in ipsum vertere. Valens Ticinum venit. Seditio ibi in eum militum. qua composita Caecinae rapido agmine iungitur. Otho eo nuntio accepto de summa belli deliberat, trahi id melius an fortunam experiri praestaret. Postremum pessimumque consilium praefert. Ita haud procul Bedriaco pugnatum. Victi Othoniani, non tamen fracti. Sed Otho aversus a consiliis belli mortem elegit, quam fortiter exsequitur. Post mortem eius seditio militum et impetus in Verginium. Senatorum etiam periculum falso quodam nuntio. Albinus in Africa victus, et eae provinciae Vitellio adiunctae. Quid in Italia Vitellius egerit, et legiones cohortesque victas quomodo distraxerit, non sine acri tumultu apud Ticinum. At in Syria Vespasianus et Mucianus serio iam de bello deliberant. huius egregia ad illum oratio. qua permotus Vespasianus imperium suscipit. Legiones in nomen eius iurant. praeterque Orientales Moesici et Pannonii etiam transeunt in partes. Vitellius interea magno et minaci agmine urbem intrat. popularia multa usurpat. consilia item eius paratusque de bello.

Gesta eodem anno, consulibus tamen aliis suffectis.

---

69. **1.** Struebat iam fortuna in diversa parte terrarum initia causasque imperio, quod varia sorte laetum rei pu-

C. 1. *varia sorte* Lipsius ut c. 95. *Varia ac pudenda sorte agebant*. At MSS. *varie ortum* aut *vari aborte*.

C. 1. *imperio* non de unius Vespasiani dictum sed de Flaviorum imperio; nam Vespasiani ac Titi imperium laetum reipublicae, Domitiani atrox; Vespasiani imperium prosperum ipsi principi,

publicae aut atrox, ipsis principibus prosperum aut 69.
exitio fuit. Titus Vespasianus e Iudaea incolumi adhuc Galba missus a patre causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus iuventam ferebat. sed volgus fingendi avidum disperserat accitum in adoptionem. materia sermonibus senium et orbitas principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam ipsius Titi ingenium quantaecunque fortunae capax, decor oris cum quadam maiestate, prosperae Vespasiani res, praesaga responsa, et inclinatis ad credendum animis loco ominum etiam fortuita. Ubi Corinthi Achaiae urbe certos nuntios accepit de interitu Galbae, et aderant qui arma Vitellii bellumque affirmarent, anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrinque perlustrat. si pergeret in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti, ac se Vitellio sive Othoni obsidem fore. sin rediret, offensam haud dubiam victoris, sed incerta adhuc victoria et concedente in partes patre filium excusatum. sin Vespasianus rem publicam susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus.
2. His ac talibus inter spem metumque iactatum spes vicit. Fuere qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent. neque abhorrebat a Berenice

decor oris Rhenanus. *decoris* MSS.

fortuita Grotius. At MSS. *fortuna*.

ut sua morte defuncto; Tito contra et Domitiano exitio fuit, ut veneno vel vi peremptis.

ferebat] H. e. praeferebat.

arma Vitellii scil. mota, *bellumque* scil. fore. Ergo non tautologia synonymorum habetur, quoniam illud nil nisi defectionem conatusque belli significat, hoc autem belli diuturnitatem.

sed incerta] Sensus est: sed veniam sperari posse ex eo quod id factum sit incerta adhuc victoria, praesertim si pater in partes victoris concedat. Ern. At MSS. *et incerta*.

C. 2. *spes vicit*] H. e. expectatio imperii a patre suscipiendi.

Berenices] Fuit haec filia Herodis Agrippae, Iudaeorum regis, soror Agrippae Hist. II, 87. memorati, nupta primum Herodi, Chalcidis regi, patruo suo, post Polemoni, Ponti regi, insignis venustate, praecipuo amore expetita a Tito, quem postea in urbem est comitata. Suet. T. 7. Dio LXVI, 15. Kiessl.

69. iuvenilis animus: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. laetam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio modestior. Igitur oram Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris, inclitum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, templi ritum, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis disserere. 3. Conditorem templi regem Aeriam vetus memoria, quidam ipsius deae nomen id perhibent. fama recentior tradit a Cinyra sacratum templum, deamque ipsam conceptam mari huc appulsam. sed scientiam artemque haruspicum accitam, et Cilicem Tamiram intulisse; atque ita pactum, ut familiae utriusque posteri caerimoniis praesiderent. mox, ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant scientia hospites cessere: tantum Cinyrades sacerdos consulitur. Hostiae, ut quisque vovit; sed mares deliguntur: certissima fides haedorum fibris. Sanguinem arae offundere vetitum; precibus et igne puro altaria adolentur; nec ullis imbribus, quan-

C. 2. *ritum* Lamalle. At MSS. *situm;* corrupte, nec enim de situ templi mentio fit in seqq.

praevectus] Praetervectus, ut Ann. II, 6.

audentioribus spatiis] Indicatur cursus per altum mare factus, oppos. navigationi litorali et de insula in insulam. Sic Ann. II, 78. *Lato mari pergere in Syriam.* Eodem sensu *spatia* dicuntur Ann. II, 61. Walth. Nempe *spatium* non de *loco* accipiendum, sed de *actu* spatiandi, ut Ovid. Hal. 68. *Seu septem spatiis circo meruere coronam,* coll. Virg. A. V, 584. VII, 381.

C. 3. *Aeriam*] Hesych. s. v. *Ἀερία: καὶ Κύπρον οὕτω ἐκάλουν.* At Ma. *Veriam.*

Cinyra] Apollodor. III, 14, 3.

Tamiram] Hesych. *Ταμιράδαι. ἱερεῖς τινες ἐν Κύπρῳ.*

Hostiae] Scil. mactantur; quare colo haec diremi. — *ut quisque* pro *quam* vel *qualem quisque.*

igne puro] Flagrante solum nullamque rem comburente.

altaria adolentur] Ex Virg. G. IV, 379. *Adolescunt ignibus arae;* coll. A. VII, 71. Id ab *olere* dictum, et homonymum illi *adolescere*, quod ab *alere* descendit.

quam in aperto, madescunt. Simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens; et ratio in obscuro. 4. Titus spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incerta vetustati affingit, de navigatione primum consuluit. postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat caesis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdotis id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis annuere deam videt, pauca in praesens et solita respondens, petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem pervectus suspensis provinciarum et exercituum mentibus ingens rerum fiducia accessit.

69.

Profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus, oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace; sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli [labor]. auxilia

C. 4. *belli labor*] Hoc sensu caret et insuper offendit ob praeced. *labor*. Non male Ritterus *belli calor*. Sed *labor* simplici-

nec madescunt] Plin. H. N. II, 96. *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aram non impluit.*

in ambitum metae] Serv. in Virg. A. I, 724. *Apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel ut quidam volunt metae colitur.* Max. Tyr. VIII, 7. *Παφίοις ἡ μὲν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει, τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ.*

C. 4. *fiducia*] Pro concreto, ut Ovid. Trist. V, 6, 1. *Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum*, coll. Cic. Flacc. 21. Top. 10. Similiter infra II, 5. *Praecipua concordiae fides Titus.*

Profligaverat bellum] H. e. paene debellaverat, ut Ann. IV, 73. *Profligato bello.* Liv. XXI, 40. *Forsitan decuit .. deos ipsos sine ulla humana ope, committere ac profligare bellum; nos qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere.* Cic. Tusc. V, 6, 15.

ut supra] Vid. I, 10.

69. utrique cohortium alarumque et classes regesque ac nomen dispari fama celebre. 5. Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio ac, si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans; prorsus si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant; aptior sermone, dispositu provisuque civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur. Ceterum hic Syriae, ille Iudaeae praepositus, vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes, exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere; primum per amicos, dein praecipua concordiae fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus alliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurionesque et volgus militum industria, licentia, per virtutes, per voluptates, ut cuique ingenium, adsciscebantur. 6. Antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, praecipitibus ut assolet nuntiis, et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. Namque olim validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus Occidentis coepta; et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fue-

ter delendum est ut male repetitum per dittographiam; *et inexperti belli* significat: et quod belli inexperti erant; prorsus ut II, 82. *Sufficere videbatur . . pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen, ac nihil arduum fatis;* aut V, 21. *Sed obstitit formido et remiges per alia militiae munia dispersi*, coll. Ann. III, 9. Olim suspicabar: *et inexperientia belli*, vocabulum Tertulliano usurpatum. Doed.

C. 6. *praecipitibus* cdd. *precibus* Ma.

C. 5. *acer militiae*] Hor. C. III, 2, 2. *Acri militia.* *fortuito*] H. e. primo quoque, quolibet, ut Hor. C. II, 15, 17. *Nec fortuitum spernere cespitem.*

rant; auditique saepius in Syria Iudaeaque Caesares 69.
quam inspecti. Nulla seditio legionum; tantum adversus Parthos minae, vario eventu. Et proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax; dein fides erga Galbam. mox, ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire volgatum est, ne penes ceteros imperii praemia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. Septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Iudaeaque; inde continua Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quicquid castrorum Armeniis praetenditur. Asia et ceterae provinciae nec virorum inopes et pecuniae opulentae. quantum insularum mari cingitur, et parando interim bello secundum tutumque ipsum mare. 7. Non fallebat duces impetus militum: sed bellantibus aliis placuit expectari bellum. [cum his] Victores victosque nunquam solida fide coalescere. nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. rebus secundis etiam egregios duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriem; et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Igitur arma in occasionem distulere,

et parando] Suspectum mihi *et* est. Nam sive positum est coniungendis subiectis *quantum* et *mare*, displicet ordo verborum, quoniam *parando bello* ad utrumque pertinet; sive pro *etiam* accipiendum, prorsus redundat. Suspicor transponendum: *Et quantum insularum mari cingitur, parando interim bello secundum; tutumque ipsum mare.* Nam insulae praeparando bello aptae, ut Cyprus, Rhodus, Creta, per quas coniungerentur cum reliquis exercitibus, et mare tutum, quia nullis tum classibus obtinebatur. Doed.

statim] Constanter ac non in tempus vel fortuito, ut in Fr. Accii: *Vectigalia legerant vestra et servantur statim.*

C. 7. *expectari bellum*] Ut Ann. XVI, 22. *Senectus eius expectatur*, h. e. senectutis finis, coll. XI, 26. II, 69. Dial. 20. h. e. *abwarten* non ut alibi *erwarten*. Sed verba *cum hi* unde irrepserint vel corrupta sint, non video. An ex *quia* vel *quoniam* vel *quippe*, ut videtur quibusdam? Facilius crediderim corrupta ex *cum his*, eaque verbula supra inter *praetenditur* et *Asia* suum locum habuisse. Rhenanus *belli exitum* intulit. Doed.

alterum] Utercunque vicerit vel victus sit.

69. Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis; optimus quisque amore rei publicae: multos dulcedo praedarum stimulabat, alios ambiguae domi res. Ita boni malique causis diversis, studio pari, bellum omnes cupiebant.

8. Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae velut Nero adventaret, vario super exitu eius rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. Ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e Ponto sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharae et cantus peritus, unde illi super similitudinem oris propior, ad fallendum fides, adiunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur; ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus et militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit vel abnuentes interfici iussit, et spoliatis negotiatoribus mancipiorum valentissimum quemque armavit. centurionemque Sisennam, dextras concordiae insignia Syriaci exercitus

ceteri] Amici utriusque et ipsi milites.

ambiguae domi res, aes alienum, fides decocta, conscientia facinorum. Ern.

C. 8. *Ceterorum*] Scil. Pseudoneronum. Nihil de his ipsum apud Tacitum. Sed extitit alius sub Tito. Zonar. p. 578. *ἐπὶ τούτου καὶ Ψευδονέρων ἐφάνη, ὃς Ἀσιανὸς ἦν, ἐκαλεῖτο δὲ Τερέντιος Μάξιμος, προσεοικὼς δὲ τῷ Νέρωνι καὶ τὸ εἶδος καὶ τὴν φωνήν· καὶ γὰρ καὶ ἐκιθαρῴδει. ἐκ δὲ τῆς Ἀσίας τινὰς προσεποιήσατο καὶ ἐπὶ τὸν Εὐφράτην προχωρῶν πολλῷ πλείους ἀνηρτήσατο, καὶ τέλος πρὸς Ἀρτάβανον τὸν τῶν Πάρθων κατέφυγεν ἀρχηγόν, ὃς καὶ δι᾽ ὀργῆς τὸν Τίτον ποιούμενος ἐδέξατο τοῦτον καὶ καταγαγεῖν εἰς Ῥώμην παρεσκευάζετο.* Et tertius sub Domitiano; de quo supra I, 2. Suet. Ner. 57. *Cum post viginti annos* (a Neronis interitu) *adolescente me extitisset conditionis incertae, qui se Neronem esse iactaret.* Add. Lactant. Mort. Pers. 2. Doed.

propior . . fides] Obscure dictum. Nam Kiesslingio non credo: „i. e. quae maiorem ad fallendum habet vim." Freinshemius *promptior*. Sed sufficit commate post *propior* distinguere, h. s. unde servus illi (scil. Neroni) similior etiam fuit; quae fides ad fallendum erat. Crebro Tacitus *propior* pro *similior*, ut c. 68. Ann. VI, 42. XI, 35. XIII, 20. Porro *ad fallendum fides* ex eo appositionum genere est, de quo egit C. Roth. in Agr. p. 136. Vid. III, 31. *Caecinam lacrimis fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes.* Et *fides* simili sensu c. 5. *Praecipua concordiae fides Titus.* Doed.

dextras] Vid. I, 54.

nomine ad praetorianos ferentem, variis artibus aggressus est, donec Sisenna clam relicta insula trepidus et vim metuens aufugeret. Inde late terror, multis ad celebritatem nominis erectis rerum novarum cupidine et odio praesentium. 9. Gliscentem in dies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat; datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit. nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in maestitiam compositus et fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat. trierarchi nutantes, seu dolo, alloquendos sibi milites et paratis omnium animis reversuros firmaverunt. Sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata; cuius cohortatione expugnata navis et interfectus quisquis ille erat. Corpus, insigne oculis comaque et torvitate voltus, in Asiam atque inde Romam pervectum est. 69.

10. In civitate discordi et ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta parvae quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus, pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cogni-

C. 9. *permiserat* edd. *per se miserat* Ma. illato *se* ex classe.

C. 10. *ob crebras* edd. *hoc crebras* Ma.

C. 9. *ad prosequendum*] Cave haec pessumdata verborum proprietate accipias pro *ad persequendum* Pseudoneronem. Immo Asprenati in provinciam proficiscenti duae triremes additae erant, quae honoris et securitatis causa prosequerentur. Ea *fors* fuit, qua Asprenas ad opprimendum rebellem usus est. Quare distinctionem immutavi. Doed.

ut enim] Dixit pro *ut se*, contra vulgarem usum, sed ambiguitati quantulaecunque devitandae.

firmaverunt] H. e. *affirmaverunt*, ut Ann. I, 81. VI, 6. 50.

insigne .. comaque] Si simile Neroni corpus, fuerat Nero *sufflavo capillo, vultu pulcro magis quam venusto, oculis caesiis et hebetioribus*, praeterea *comam semper in gradus formatam gerens*, Suet. Ner. 51.

69. tionem senatus vocabat. nam recens Galbae principatu censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur. Id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebat. Ad hoc terroris et propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere, traxeratque magnam senatus partem, ut indefensum et inauditum dedi ad exitium postularent. contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris: dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum censebant. et valuere primo, dilataque in paucos dies cognitio; mox damnatus est Faustus, nequaquam eo assensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat. quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis sed ultor displicebat.

11. Laeta interim Othoni principia belli, motis ad imperium eius e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quattuor legiones, e quibus bina milia praemissa,

retinebat] Scil. senatus, quod initio periodi primo casu accipiendum. At Puteol. *retinebatur*.

Ad hoc terroris Rhenanus ex Bodl. At Ma. *Ad hunc terroris.* Suspicor: *At tunc terroris et propria vi.* Quippe *terroris vi* h. e. potentia extrariis opibus nixa, Othonis gratia; et *propria vi* h. e. ingenio et eloquentia. Simili vitio III, 11. idem Ma. *velud* exhibet pro *velut*. Sic *sed tum* Tacitus, ubi a degressione ad narrationem redit, I, 25. et 79. IV, 49. Et eadem medela corrigi poterit Hor. Epod. 9, 17. *Ad hunc frementes verterunt bis mille equos Galli canentes Caesarem*, ubi alii MSS. *ad huc*, alii *at huc*. Suspicor: *At tunc frementes;* nec tamen *at* cum *tunc*, ut apud Tacitum copulandum, sed sensus hic est: Romani quidem pertulerunt servitii muliebris flagitium; at Galli frementes exuerunt. Doed.

C. 10. *Crispus*] De eo Ann. XIV, 28.

delationes factitaverat] Ut Cic. Brut. 34. *Qui cum tanti nominis esset patremque optimum virum habuisset et iuris peritissimum, accusationem factitaverit.* Gron.

iactatum] Quod non eandem semper vim habuerat. Cic. Off. III, 20. *Iactabatur nummus, sic ut nemo scire posset quid haberet.* Ex Ern.

dari tempus] Prope ut I, 39. *cum alii in Capitolium redire . . censerent.*

ipsae modicis intervallis sequebantur, septima a Galba 69. conscripta, veteranae undecima ac tertia decuma, et praecipui fama quartadecumani rebellione Britanniae compressa. addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos; unde longa illis erga Neronem fides et erecta in Othonem studia. sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat. agmen legionum alae cohortesque praeveniebant. Et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque praetoriae cohortes et equitum vexilla cum legione prima, ac deforme insuper auxilium, duo milia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis ducibus usurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus, cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas praemissus, quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso iam Alpes Caecina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus. nec illi segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester, horridus, incomptus famaeque dissimilis. **12.** Blandiebatur coeptis fortuna, possessa per mare et naves maiore Italiae parte, penitus usque ad initium maritimarum Alpium. Quibus tentandis aggrediendaeque provinciae Narbonensi Suedium Clementem, Antonium Novellum,

rebellione] Vid. Ann. XIV, 34. Agr. 14.

eligendo] Scil. ad bellum contra Albanos capessendum. Sunt enim commilitones eorum de quibus I, 6. *Multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum quod in Albanos parabat, revocaverat.*

fiducia] Tanquam ipsi etiamsi sero venissent, tamen quodlibet damnum sua soli virtute resarcire possent.

severis ducibus] Pompeius in bello civili adversus Caesarem idem meditabatur, sed dissuadentibus amicis ab incepto destitit. Caes. B. Civ. III, 4. Savil. Sed Decio Bruto *στρατιὰ ἦν μονομάχων τε πλῆθος καὶ ὁπλιτῶν τρία τέλη* apud Mutinam.

speculatorum, ad custodiam corporis, ut c. 33.

horridus ad habitum ut impexum capillum pertinet, *incomptus* ad vestitum munditiis carentem.

69. Aemilium Pacensem duces dederat. Sed Pacensis per licentiam militum vinctus; Antonio Novello nulla auctoritas; Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita praeliorum avidus. Non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur: tanquam externa litora et urbes hostium urere, vastare, rapere, eo atrocius quod nihil usquam provisum adversum metus. pleni agri, apertae domus. occursantes domini iuxta coniuges et liberos securitate pacis, et belli malo circumveniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. is concita gente (nec deest iuventus) arcere provinciae finibus Othonianos intendit. sed primo impetu caesi disiectique montani, ut quibus temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium. 13. Irritatus eo praelio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium. quippe in acie nihil praedae, inopes agrestes et vilia arma; nec capi poterant, pernix genus et gnari locorum. sed calamitatibus insontium expleta

C. 12. *adversus . . corruptus*] Possunt haec utcunque explicari: quod ad modestiam attinet, corruptior ambitione, metu, socordia erat quam ut retinere posset. Nihilominus suspicor: *adversus immodestiam disciplinae corruptus*, ut I, 35. *Minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.* Germ. 23. *Adversus sitim intemperantia.* At Ma. *corruptius.* Doed.

C. 12. *vinctus*] Ut mox c. 26. praefectus castrorum. An tropice potius accipiendum pro *impeditus*, ut Ann. I, 65. ac saepe *illigatus?* Doed.

pleni, frugibus fructibusque nondum conditis.

securitate pacis commate a seqq. diremi, ne cum *circumveniebantur* copularetur. Ritterum vero post *domus* plene interpungentem multo minus sequi volui. Doed.

noscitantibus] Vid. in I, 68.

C. 13. *Albium Intemelium* Lipsius, ut Plin. H. N. III, 5. Varro R. R. III, 9. hodie *Ventimiglia.* At Ma. *Albiniti militum* superscr. *ium* ut in Tab. Peuting. *Albentimillium* et in Itiner. Anton. *Albintimilium.* Ibidem locorum eademque populatione mater Taciti periit, Agr. 7. Eam caedem ut ad se tantum pertinentem commemorare non ex dignitate scriptoris rerum ratus, rusticae interitum fusius narrare maluit, qui et gloriosus fuisset et invidiam partibus Othonianis conflavisset. Doed.

avaritia. Auxit invidiam praeclaro exemplo femina Li- 69.
gus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent eoque per cruciatus interrogarent ubi filium occuleret, uterum ostendens latere respondit, nec ullis deinde terroribus aut morte constantiam vocis egregiae mutavit. 14. Imminere provinciae Narbonensi in verba Vitellii adactae classem Othonis trepidi nuntii Fabio Valenti attulere. aderant legati coloniarum auxilium orantes. Duas Tungrorum cohortes, quattuor equitum turmas, universam Treverorum alam cum Iulio Classico praefecto misit; e quibus pars in colonia Foroiuliensi retenta, ne omnibus copiis in terrestre iter versis vacuo mari classis accelcraret. Duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversus hostem iere; quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii nondum sub signis. Nec mora praelio, sed acie ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exsurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Treverorum turmae obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, simul a latere saxis urgeret apta ad iaciendum etiam paganorum manus, qui sparsi inter milites, strenui

C. 13. *adactae classem* edd. At Ma. *audacatem e classem.*

C. 14. *nondum sub signis*] Milites auxiliarii e delectu Pannonico missi, sed nondum in cohortes divisi. Ern.

minaci fronte] Quae non ut assolebat puppes sed proras et rostra obverteret litori, ut in proeliis et oppugnationibus fieret. Ern.

Alpinos] Hoc nomine Ligures simul et Pannonios complectitur supra memoratos.

paganorum] Ut supra *mixtis paganis.* Pagani autem in bellicis expeditionibus vocabantur ad differentiam militum; id est, omnes qui milites non essent. Plin. Ep. X, 18. *Apud me et milites et pagani certatim ei testimonium retribuerunt.* Ex Pich.

69. ignavique, in victoria idem audebant. additus perculsis terror invecta in terga pugnantium classe. Ita undique clausi; deletaeque omnes copiae forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus. 15. Nec Vitelliani, quanquam victi, quievere. accitis auxiliis securum hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt. caesi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud navis, donec sidente paulatim metu, occupato iuxta colle defensi, mox irrupere. atrox ibi caedes, et Tungrarum cohortium praefecti sustentata diu acie telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improvide secutos conversi equites circumvenerunt. ac velut pactis indutiis, ne hinc classis inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albigaunum interioris Liguriae revertere.

16. Corsicam ac Sardiniam ceterasque proximi maris insulas fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. Sed Corsicam prope afflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. namque Othonis odio iuvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset. Vocatis principibus insulae consilium aperit, et contra dicere ausos, Claudium Pyrrhicum trierarchum Liburnicarum ibi navium, Quintium Certum equitem Romanum, interfici iubet. Quorum morte exterriti qui aderant, simul ignara et alieni

C. 16. *in summam* Rhenanus, h. e. in consummationem, ut Ann. XIII, 38. *In summam pacis nihil proficitur.* At MSS. *in summa.*

iuvare edd. *iuravere* Ma.

obtentui] Quod obtentui vel tutelae erat fugientibus. Vid. I, 49. III, 56. At Ma. *obtenui.*

C. 15. *defensi . . irrupere*] Sensus est: primum defendi colle satis habebant, mox omisso colle ultro irrupere; ut Agr. 26.

Antipolim] Hodie *Antibes.* — *Albigaunum*, hodie *Albienga.*

C. 16. *tenuit*] H. e. retinuit, ut Agr. 16.

metus socia imperitorum turba in verba Vitellii iuravere. Sed ubi delectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiae muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse quam incolerent et longe Germaniam viresque legionum; direptos vastatosque classe etiam quos cohortes alaeque protegerent. et aversi repente animi, nec tamen aperta vi, aptum tempus insidiis legere. Digressis qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops balineis interficitur; trucidati et comites. Capita, ut hostium, ipsi interfectores ad Othonem tulere; neque eos aut Otho praemio affecit aut puniit Vitellius, in multa colluvie rerum maioribus flagitiis permixtos. 69.

17. Aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat, ut supra memoravimus, ala Siliana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent: sed longa pax ad omne servitium fregerat, faciles occupantibus et melioribus incuriosos. Florentissimum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium, armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam; intercepti centum equites ac mile classici inter Placentiam Ticinumque. Quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur; irritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse, quem repente contra Placentiam transgressi raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent. 18. Certum erat Spurinnae (is enim Placentiam obtinebat) necdum venisse Caecinam, et si propinquaret, coercere intra munimenta mi-

permixtos] Et ideo latentes vel oblitteratos, ut Agr. 40. *Turbae servientium immixtus est.*

C. 17. *ut supra*] Vid. I, 70.

melioribus] H. e. *de melioribus*, ut Ann. XIV, 38. et XIV, 36. *Certus eventu*, coll. XIII, 21. Pers. VI, 12. *Securus vulgo.* Masculinum est: incuriosos utri ex certantibus meliores atque imperio digniores essent.

flumine] Scil. lato, alto, rapido; *aut ripis* scil. arduis, praecipitibus, munitis, ut III, 17.

69. litem, nec tris praetorias cohortes et mile vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obiicere. Sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere, et retinenti duci tela intentare, spretis centurionibus tribunisque: quin prodi Othonem et accitum Caecinam clamitabant. Fit temeritatis alienae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret. **19.** Postquam in conspectu Padus et nox appetebat, vallari castra placuit. is labor urbano militi insolitus contundit animos. tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset. iamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset. Ipse postremo Spurinna, non tam culpam exprobrans quam ratione ostendens, relictis exploratoribus ceteros Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo sed obsequium

C. 18. *tribunisque*] Ma. addit *laudari providentia ducis*, ex seq. cap. male huc repetitum. —

quin prodi Bekkerus; ut Plutarch. Oth. 5. *ὕβρεως δὲ καὶ βλασφημίας οὐδεμιᾶς ἐφείσαντο προδότην καὶ λυμεῶνα τῶν Καίσαρος καιρῶν καὶ πραγμάτων λέγοντες.* At Ma. *qui pro.*

providentia Gronovius. At Ma. *providentiam*, non deterius, si *laudare* pro *laudari* scripseris.

C. 19. *urbano militi*] H. e. praetorianis.

metum] H. e. periculum.

virium] H. e. virorum.

ratione ostendens] Arte sua et factis ostendens militibus stultitiam et convincens culpae. Ern. Immo *ratione* scil. *fieri quae faceret*, *ostendens*, h. s. satius habens sua consilia apud milites purgare quam militum immodestiam castigare. Agr. 20. *Civitates castellis circumdatae tanta ratione curaque*, h. e. artis bellicae peritia. Et magis illa ellipsis convenit Taciti sermoni, quam si simplicius sane *rationem* scripsisset. Vid. in Agr. 24. *Arte ducis rati.* Doed.

obsequium metu poenae coactum distinguitur ab *amore parendi* voluntario ac licentiae, con-

et parendi amor; quod solum illis partibus defuit, cum 69.
virtutis haud paeniteret.

20. At Caecina, velut relicta post Alpes saevitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, braccas barbarum tegmen indutus togatos alloqueretur. Uxorem quoque eius Saloninam, quanquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tanquam laesi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem acribus oculis introspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere quam quos in aequo videre. Caecina Padum transgressus, tentata Othonianorum fide per colloquium et promissa, isdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et irritis nominibus iactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit, gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. 21. Sed primus dies impetu magis quam veterani exercitus artibus transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque praegraves. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes et missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum retorta ingerunt. municipale volgus pronum ad suspiciones frau-

C. 20. *quoque eius* edd. At Ma. *quoque tum eius*. Suspicor *tum* traiectum et paulo post inserendum: *in nullius tum iniuriam*. Doed.

acribus Spir. At Ma. *agribus*, Edd. *aegris*, h. e. invidia tristibus; quod primo obtutu verum videatur. Sed praestat *acribus;* nam acriter examinant, num in tali felicitate etiam vitii vel superbiae aliquid appareat, quod exprobrent invidiaeque suae ut iustam causam obtendant; nimirum simpliciter ac sine causa invidere pudet. Doed.

tumaciae taedio. Ann. I, 28. *Redire paulatim amor obsequii.*

C. 20. *equo ostroque*] H. e. equo stragulis ostrinis tecto.

famam . . fore] Ut Agr. 18. *Prout prima cessissent famam ceteris fore.* At Ma. *fama.*

C. 21. *retorta ingerunt* I. Gronovius, h. e. retorquent et ingerunt. At Ma. *reportans ge-*

69. de illata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis invidia et aemulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. quocunque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum; reddita securitate, tanquam nihil gravius pati potuissent, maerebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Caecina. et nox parandis operibus adsumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris protegendisque oppugnatoribus, Othoniani sudes et immensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis obruendisque hostibus expediunt. Utrinque pudor, utrinque gloria, et diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attollentium; illi ut segnem et desidem et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant. simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesve, uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur. Vixdum orto die

runt. GHI. *per portas egerunt*. Agr. *in hostes ingerunt*. Suspicor: *dum retortant*, *ingerunt*, h. e. dum vel iactatos in se ignes repellunt vel vicissim ignes in hostem iaculantur, utrique in amphitheatrum aberrare poterant. Nusquam quidem legitur *retortare*, sed tam *retortum* quam *tortare* probum est. Hor. Carm. I, 2, 13. *Retortae litore undae*. Ann. II, 81. *Tormentis hastas saxa faces ingerere*. Doed.

in levi] Vid. in Ann. III, 54.

adsumpta ex MSS. reposui, ut Cic. Fam. VII, 25. *Aliquantum iam etiam noctis assumo*. Sensus est: Primo die impetu, non arte pugnatum est, quoniam deerant etiamtum machinae, quarum ope rite et arte urbs posset oppugnari. Harum fabricatio eodem die inchoata est, continuata etiam nocte, absoluta altero die. Muretus *absumpta* intulit, coll. Agr. 21. Germ. 11. Doed.

perfringendis] Intellige *pluteis et vineis*. Id quoniam ex praecc. cogitatione repetere durum est, simulque inconcinne reticetur, verum puto quod olim edd. ex H. et Bodl. *perfringendis operibus obruendisque hostibus*. Doed.

gloria] H. l. gloriae cupido, Ern. Immo gloria iam parta, cuius conscientia pro incitamento fuit. Cf. A. I, 71.

segnem oppos. *prompto*, et *desidem* oppos. *strenuo*. Vid. Synon. Lat. T. IV. p. 215.

inter se . . stimulabantur] Expectares aut merum passivum *stimulabantur*, aut *inter se stimulabant*. Nunc utramque structuram coniunxit. Sensus est:

die plena propugnatoribus moenia, fulgentes armis vi- 69.
risque campi, densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus; altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta aut aevo fluxa comminus aggredi. Ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis et certo ictu adversus temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci et more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientium. Legionarius pluteis et cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. Contra praetoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. Pars subeuntium obruti; pars confixi et exsangues aut laceri, cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus volnerarentur, rediere infracta partium fama. Et Caecina pudore coeptae temere oppugnationis, ne irrisus ac vanus isdem castris assideret, traiecto rursus Pado Cremonam petere intendit. Tradidere sese abeunti Turulius Cerialis cum compluribus classicis et Iulius Briganticus cum paucis equitum, hic praefectus alae, in Batavis genitus, ille primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

23. Spurinna comperto itinere hostium, defensam Placentiam quaeque acta et quid Caecina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem pri-

C. 22. *pudore*] In Ma. *fama pudore*, dittographiae vitio.

etiamsi suos utrique duces celebrabant diversosque duces culpabant, tamen multo crebrius culpabant quam celebrabant. Nempe hic erat animorum habitus, ut apud utrosque odium plus valeret quam caritas, et ut acriter adversarios odissent, at mediocriter suos duces amarent.

C. 22. *legionum agmen*] Et tamen unicam tantum legionem habuit Caecina, quae undevicesima Rapax. Savil. H. I, 65. Verum praeter unam eamque plenam legionem Caecina multa millia electorum ex aliis legionibus ducebat, qui haud dubie in legionum numeros compositi pugnavere nec sparsi cum auxiliis. Walth.

Pars — obruti] Haec cum vett. edd. colo a seqq. diremi; rursus colon vel punctum post *laceri* sustuli, ut *pars confixi* subiectum esset verbi *rediere*; nam *confixi* scil. pilis eoque exsangues non magis perierant quam laceri. Doed.

69. mam in auxilium Placentiae ducebat, diffisus paucitate cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent. Ubi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coercitam legionem et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. Inter Veronam Cremonamque situs est vicus duabus iam Romanis cladibus notus infaustusque.

Isdem diebus a Marcio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum. namque promptus animi Marcius ransvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, et ceteris Cremonam fugientibus caesi qui restiterant. Sed repressus vincentium impetus, ne novis subsidiis firmati hostes fortunam praelii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit, omnia ducum facta prave aestimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum (nam eos quoque Otho praefecerat) variis criminibus incessebant. Acerrima seditionum ac discordiae

C. 23. *omnia ducum* Freinshem. At Ma. *omnia quocum*. Suspicor: *omnia suorum*. DOED.

incessebant edd. ex A. Ceteri MSS. *incesserant*. Suspicor: *incessierant*. Nam quae pridem ante hoc proelium et praesentem criminationem facta sunt ab Othonianis, quaeque secuta est Titiani praefectio, memorantur. DOED.

C. 23. *duabus . . cladibus*] Altera Othonis victore Vitellio, altera Vitellii vincente Vespasiano, de qua III, 15. Ea vulgo dicitur ad Cremonam facta, sed inter Cremonam et Bedriacum pugnatum est. ERN.

repressus edd. ut c. 25. *Prudens repressit suos*. At Ma. *reprehensis*. Suspicor: *reprehensus*, ut Cic. Acadd. IV, 45. *Labor eo ut assentiar Epicuro aut Aristippo; revocat virtus vel potius reprehendit manu*. Lucret. VI, 568. *Nec ab exitio possit reprehendere euntes*. Propert. III, 17, 9. *Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus et rabidae stimulos frangere nequitiae*. DOED.

nam eos .. praefecerat] Haec Rittero pro glossemate sunt, propterea quod Marcius Macer non ab Othone praefectus esset sed ab eiusdem ducibus. Sane non fuit ab ipso Othone ita praefectus ut Paulinus, sed tamen auspiciis certe eiusdem Othonis. Ergo condonemus, quaeso, Tacito tantillum, quod Othonem h. l. nominaverit nec scribere satis habuerit: *nam ii quoque ex praefectis Othonianorum erant*. Vid. I, 87. DOED.

incitamenta interfectores Galbae; scelere et metu vecordes miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris; qui humillimo cuique credulus, bonos metuens trepidabat, rebus prosperis incertus et inter adversa melior. Igitur Titianum fratrem accitum bello praeposuit. 69.

24. Interea Paulini et Celsi ductu res egregiae gestae. angebant Caecinam nequicquam omnia coepta et senescens exercitus sui fama. pulsus Placentia, caesis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu praelia, inferior, propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam avidius quam consultius properabat. Ad duodecimum a Cremona (locus Castorum vocatur) ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit. equites procedere longius iussi, et irritato praelio sponte refugi festinationem sequentium elicere, donec insidiae coorerentur. Proditum id Othonianis ducibus, et curam peditum Paulinus, equitum Celsus sumpsere. Tertiae decumae legionis vexillum, quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere; dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus co-

C. 24. *Castorum* Lips. coll. Suet. Oth. 9. *Ad Castoris quod loco nomen est.* Oros. VII, 8. *Circa locum quem Castores vocant.* MSS. *Castrorum.*

iussi Rhenanus. At MSS. *iussit.*

coorerentur Beckerus. At Ma. *coercerentur.*

auxiliaribus Mercerus. At MSS. *vexillaribus.*

C. 24. *crebra..praelia*] Haec ἀσυνδέτως adiecta ex *per* pendent, non ut vulgo editur, parenthesin efficiunt.

illuc] In illum Valentem, ut *ibi*, in Othone. Ann. XII, 46.

aggerem viae] Scil. Postumiae; vid. III, 21.

dextra fronte] H. e. dextra frontis parte vel dextro cornu. Nam frons ut plerumque lateribus vel cornibus et tergo opponitur, ita aliquoties universam aciem hosti obversam amplectitur; quoniam per latera proprie non ipsa aciei cornua intelligun-

69. hortibus et quingentis equitibus. Super hos e praetorio auxiliisque mile equites, cumulus prosperis aut subsidium laborantibus, ducebantur. 25. Antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celsus doli prudens repressit suos. Vitelliani temere exsurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti ultro in insidias praecipitantur. nam a lateribus cohortes, legionum adversa frons, et subito discursu terga cinxerant equites. Signum pugnae non statim a Suetonio Paulino pediti datum. cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent, compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret ne vincerentur. Ea cunctatione spatium Vitellianis datum in vineas nexu traducum impeditas refugiendi. et modica silva adhaerebat; unde rursus ausi promptissimos praetorianorum equitum interfecere. Volneratur rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens.

tur, sed cornuum extremitates solae, et ipsum cornu tam frontem habet quam latus. Curt. IV, 13, 29. *Peditum acies equitatu tegebatur; frons laevi cornu haec erat.* Claudian. Ruf. II, 174. *Armeniis frons laeva datur; per cornua Gallos dexteriora locat.* Lipsius *dextra* superioribus ascribi iusserat.

cumulus prosperis] Ut parta victoria persequendo caedendoque fugientes victoriam cumularent.

C. 25. *adversa*] Scil. fronti eorum.

legionum] Intelligitur prima legio, quae in dextra fronte, et vexillum tertiae decumae legionis, quod in sinistra fronte locatum erat. Utrique legionarii, mediae aciei haud dubie propiores quam cohortes auxiliares, latera hostium invadere iussae, una cum praetorianis frontem aciei efficiebant. Ritterus *legionis* in textum intulit, Freinshemius *legionarii adversa fronte.*

quam prospera] Cave *consilia* huc repetas; substantivum est, i. q. fortuiti eventus.

fossas] Non castrorum fossas (nam longe a castris iam aberant), sed factas ab incolis ad recipiendas aquas et exsiccandos agros, ut in planis locis mos est. Pich.

ausi] Absolute ut Virg. A. II, 347. *Quos ubi confertos audere in proelia vidi.*

Epiphanes] Filius Antiochi regis Commageni, cuius in rebus Vespasiani et apud nostrum mentio. Is tum Romae fuit, sive obses regnante adhuc patre sive alia qua de causa, Othonemque comitatus est. De eius parentisque fatis v. Ioseph. B. Iud. VII, 7. *Rex* vocatur vetere more, quo etiam filii regum reges vocantur. Ern. Ut *Pacorus rex Parthorum* V, 9.

26. Tum Othonianus pedes erupit. protrita hostium 69.
acie, versi in fugam etiam qui subveniebant. Nam Caecina non simul cohortes sed singulas acciverat; quae res in praelio trepidationem auxit, cum dispersos nec usquam validos pavor fugientium abriperet. Orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur. Vinctus praefectus castrorum Iulius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem eius Iulium Frontonem tribunum Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes, occursantes, in acie, pro vallo, ut deleri cum universo exercitu Caecinam potuisse, ni Suetonius Paulinus receptui cecinisset, utrisque partibus percrebuerit. Timuisse se Paulinus ferebat tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e castris fessos aggrederetur et perculsis nullum retro subsidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata, in volgus adverso rumore fuit.

27. Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit quam ad modestiam composuit, nec solum apud Caecinam, qui culpam in militem conferebat seditioni magis quam praelio paratum: Fabii quoque Valentis copiae (iam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu et reciperandi decoris cupidine reverentius et aequalius duci parebant. Gravis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque enim rerum

C. 26. *perculsis* edd. At Ma. *periculosis.*

C. 26. *erupit*] Dicuntur milites in acie constituti *erumpere*, cum impetum facere incipiunt; ut Virg. A. XI, 608. *Iamque inter iactum teli progressus uterque substiterat: subito erumpunt clamore.* Ern.

fratri .. ageret] H. e. in eius gratiam moliretur. Ern.

ne . . subsidium foret] Haec ἀσυνδέτως adiuncta, pro *neve.* Nam duas res timuit Paulinus: primum ne nimium laboris iniungeret militi suo, post proelium adhuc commissum ad expugnationem castrorum impari, deinde ne in ipso itinere invaderetur ultro. Doed.

C. 27. *ad modestiam*] H. e. obsequium.

alioqui] I. e. praeterea ut Ann. IV, 11. Plin. Epp. II, 9.

altiore initio] Pro altius et ab initio.

69. a Caecina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quarta decuma legione digressas, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, superbe agebant, ut cuiusque legionis tentoria accessissent, coercitos a se quartadecumanos, ablatam Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam iactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum duci; corrupta iurgiis aut rixis disciplina; ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat. 28. Igitur nuntio allato pulsam Treverorum alam Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas ac, si una forent, praevalidas dispergendi, partem Batavorum ire in subsidium iubet. Quod ubi auditum volgatumque, maerere socii, fremere legiones. orbari se fortissimorum virorum auxilio; veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. si provincia urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriae sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos artus. 29. Haec ferociter iactando, postquam immissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat, ipsum invadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur. Spolia Galliarum et Viennensium aurum et pretia laborum suorum occultare clamitantes, direptis sarcinis tabernacula ducis ipsam-

rettulimus] Vid. I, 59. 64.

iurgiis aut rixis] Vid. in I, 64.

C. 28. *pulsam Treverorum*] Vid. c. 14.

victoriae sanitas] H. e. integritas, *Vollstaendigkeit*, quae contraria est claudicanti vel debili victoriae. Sensus est: Sin in Italia obtinenda tanquam in cardine verteretur, ut victoria et integra absolutaque reportaretur, et copiarum abundantia sustentaretur et summa gloria splendesceret. Itaque *sanitas* ad plenitatem, *sustentaculum* ad stabilitatem, *columen* ad *gloriam* victoriae spectat. Doed.

C. 29. *Viennensium*] Vid. I, 66. *Fama constans fuit ipsum Valentem pecunia emptum.*

que humum pilis et lanceis rimabantur. nam Valens 69.
servili veste apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alfenus Varus praefectus castrorum, deflagrante paulatim seditione addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti et id ipsum, quod nemo regeret, paventes. silentio, patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio, favor: versi in laetitiam, ut est volgus utroque immodicum, laudantes gratantesque circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. Ille utili moderatione non supplicium cuiusquam poposcit; ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit, gnarus civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere. 30. Munientibus castra apud Ticinum de adversa Caecinae pugna allatum, et prope renovata seditio, tanquam fraude et cunctationibus Valentis praelio defuissent. nolle requiem, non expectare ducem, anteire signa, urgere signiferos. rapido agmine Caecinae iunguntur. Improspera Valentis fama apud exercitum Caecinae erat: expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem, et adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi et ignavi despectarentur. et quanquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, studia tamen militum in Caecinam inclinabant, super benignitatem animi, qua promptior

addit consilium] Scil. deflagrationi, quae sponte et nullo cuiusquam consilio fieri coeperat.

utroque] Adverbium est, in utramque partem, non pro *in utroque*. — Mox punctum post *immodicum* sustuli. Doed.

gratantesque] Scil. diis.

paucos incusavit] Sensus est: Nolebat Valens nec digna tantis turbis severitate uti, ne irritaret animos, nec rursus silentio praeterire turbas, ne clandestini consilii ac subdolae dilationis suspectus esset; iccirco ne nihil ulcisci videretur, aliquot, paucos illos quidem, incusavit, universos absolvit.

C. 30. *qua promptior habebatur*] Ambigue dictum est; aut

69. habebatur, etiam vigore aetatis, proceritate corporis, et quodam inani favore. hinc aemulatio ducibus: Caecina ut foedum ac maculosum, ille ut tumidum et vanum irridebant. Sed condito odio eandem utilitatem fovere, crebris epistolis sine respectu veniae probra Othoni obiectantes, cum duces partium Othonis quamvis uberrima conviciorum in Vitellium materia abstinerent. **31.** Sane ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere, minus Vitellii ignavae voluptates quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur. addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae: contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius ventre et gula sibi inhonestus, Otho luxu, saevitia, audacia rei publicae exitiosior ducebatur.

Coniunctis Caecinae ac Valentis copiis nulla ultra penes Vitellianos mora quin totis viribus certarent. Otho consultavit, trahi bellum an fortunam experiri placeret. Tunc Suetonius Paulinus dignum fama sua

C. 31. *sibi inhonestus* Victorius, h. e. adversus semet ipsum inhoneste agens. At Ma. *sibi inhostus* ut Ann. XV, 25. et H. IV, 61. *inhora* pro *inhonora* Ma. Alii *sibi hostis* ediderunt.

qua significat *in qua exercenda;* ut c. 85. *promptior sermone*, h. e. quod attinet ad sermonem, ut nihil aliud dicatur quam et fuisse Caecinam benignum et habitum esse; aut *qua* dictum est pro *propter quam*, h. s. benignitate sua ita devinxerat milites, ut prae caritate et corruptis favore iudiciis eidem *prompti* etiam ingenii animique laudem tribuerent, quanquam Valens hac quidem virtute superior erat. Ea mihi ratio verior videtur. Doed.

inani favore] Favore certis rationibus carente, id quod plerumque usu venire solet erga homines vere amabiles. Quanquam speciose Gronovius *inanium favore* coniecit, h. e. rerum fortuitarum nec in virtutibus numerandarum. Nimirum erat Caecina *corpore ingens . . erecto incessu* I, 53. prorsus fere ut Corbulo Ann. XIII, 8. qui et ipse *super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus* dicitur.

ut foedum] Ad libidines Valentis referendum, *maculosum* ad eiusdem avaritiam et rapacitatem; ut I, 7. *ut avaritia et libidine foedum et maculosum.* Ann. XIII, 33. *Capitonem Cilices detulerant maculosum foedumque.* Fuit autem Valens et libidinosus (III, 41.) et avarus, I, 66.

C. 31. *ventre* ad edacitatem, *gula* ad liguritionem et vinolentiam referendum est.

ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior 69.
habebatur, de toto genere belli censere, festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit. 32. exercitum Vitellii universum advenisse, nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant, et deserere Rheni ripam irrupturis tam infestis nationibus non conducat. Britannicum militem hoste et mari distineri; Hispanias armis non ita redundare; provinciam Narbonensem incursu classis et adverso praelio contremuisse; clausam Alpibus et nullo maris subsidio transpadanam Italiam, atque ipso transitu exercitus vastam; non frumentum usquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse. iam Germanos, quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in aestatem bello fluxis corporibus mutationem soli caelique haud toleraturos. multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse. contra ipsis omnia opulenta et fida, Pannoniam, Moesiam, Delmatiam, Orientem cum integris exercitibus, Italiam et caput rerum urbem, senatumque et populum, nunquam obscura nomina, etiamsi aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes et immensam pecuniam, inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiae sueta aut aestibus. obiacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes, e quibus nullam hosti cessuram Placentiae defensione exploratum. proinde duceret bellum. paucis diebus quartam decumam legionem, magna ipsam fama, cum Moesiacis copiis affore: tum rursus deliberaturum, et si praelium placuisset, auctis viribus certaturos. 33. Ac-

C. 32. *etiamsi* Broterius. At MR. *etiam*, edd. *etsi*.

qua] Pro *quatenus*, quoniam, ut Ann. VI, 10. XV, 72. Dord.

C. 32. *tumeant*] Eleganti metaphora de re quae eruptura videtur. Cic. Att. XIV, 4, 5. E Lips. Vide potissimum Ruhnk. in Vellei. II, 15. et Schwarz. in Plinii Paneg. p. 92.

distineri duplici sensu accipiendum: *hoste* occupari, *mari* dirimi; ut *hausit* I, 67.

aut Italiae . . aut aestibus] Partim ipsi Italiae, partim fervidiori etiam coelo assueti, ut Numidae. Cave ἓν διὰ δυοῖν statuas.

69. cedebat sententiae Paulini Marius Celsus; idem placere Annio Gallo, paucos ante dies lapsu equi afflicto, missi qui consilium eius sciscitarentur rettulerant. Otho pronus ad decertandum: frater eius Titianus et praefectus praetorii Proculus imperitia properantes fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis, affore conatibus testabantur. neu quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem concesserant. Postquam pugnari placitum, interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret dubitavere. Paulino et Celso iam non adversantibus, ne principem obiectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere, ut Brixellum concederet, ac dubiis praeliorum exemptus summae rerum et imperii se ipsum reservaret. Is primus dies Othonianas partes afflixit. Namque et cum ipso praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit, et remanentium fractus animus, quando suspecti duces, et Otho, cui uni apud militem fides, dum et ipse nonnisi militibus credit, imperia ducum incerto reliquerat.

34. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris ut in civili bello transfugiis: et exploratores cura diversa sciscitandi sua non occultabant. Quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles

C. 33. *summae* Put. ex G. At M. cum reliquis *summam*, h. e. in summam, non deterius. Vid. in Ann. II, 80. *subitum* [*in*] *usum*.

incerto ex Ma. revocavi, ut I, 68. *Ipsi medio vagi*. At edd. *in incerto*.

C. 33. *seponi*] Interim amoveri et gravissimis temporum momentis reservari: ut Agr. 31.

obiectare periculis] Ex Virg. Aen. II, 751. *Caput obiectare periclis*.

Brixellum] Hodie *Bersello* seu *Bressello*.

C. 34. *diversa*] H. e. quae ab hostibus agerentur, ut c. 75. *Ex diverso paratum praemium*.

segne otium tereret. Naves pari inter se spatio validis 69.
utrinque trabibus connexae adversum in flumen dirigebantur, iactis super ancoris, quae firmitatem pontis continerent. sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut augescente flumine inoffensus ordo navium attolleretur. Claudebat pontem imposita turris et in extremam navem educta, unde tormentis ac machinis hostes propulsarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant, saxaque et faces iaculabantur. 35. Et erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando praelabebantur. Ac forte plures transgressos completis Liburnicis per promptissimos gladiatorum Macer aggreditur. Sed neque ea constantia gladiatoribus ad praelia quae militibus, nec perinde nutantes e navibus quam stabili gradu e ripa volnera dirigebant. et cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros, aut comminus mergere. Quae cuncta in oculis utriusque exercitus quanto laetiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani causam auctoremque cladis detestabantur. 36. Et praelium quidem, abreptis quae super-

segne otium tereret] Pro *segni otio tempus tereret.*

utrinque] A prora et a puppe.

super] I. e. insuper, ut Virg. A. II, 70. Similiter Ann. III, 46.

turris . . educta] Erat haec turris ambulatoria vel mobilis, quae sicut a Caes. B. G. VII, 24. *reduci* dicitur, ita h. l. in extremam navem *educta* est; similiter Hist. V, 18. *moles educta in Rhenum.*

C. 35. *praelabebantur*] H. e. ἔφθασαν νηχόμενοι. Praepositio de Germanis, h. e. Batavis et Vitellianis, solis intelligenda, nam gladiatores vel Othoniani *navibus labebantur*, ut Ovid. Her. X, 65. *Ut rate felici pacata per aequora labar.*

volnera dirigebant] I. e. gladios. Ex Virg. Aen. X, 139. *Vulnera dirigere et calamos armare veneno.* Vid. in Ann. II, 17.

variis . . inclinationibus] Dum remiges pugnare, propugnatores remigare per trepidationem volunt.

in oculis] Scil. facta, gesta.

C. 36. *abreptis* I. Fr. Gronovius, ut V, 22. *Praetoriam navem . . abripiunt*, coll. Ann. III, 17. XIV, 8. h. e. raptim avectis. Quanquam haec de *hostili* actu dicuntur. Ma. *arruptis.* Suspicor *ereptis* scil. periculo, ut Cic. Fr. ap. Quintil. VIII, 6, 56. *Integritas tua te purgavit . . pudor eripuit, vita anteacta servavit.* Aut potius, quoniam sub-

69. erant navibus, fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur. iamque volneratum eminus lancea strictis gladiis invaserant, cum intercursu tribunorum centurionumque protegitur. Nec multo post Vestricius Spurinna iussu Othonis, relicto Placentiae modico praesidio, cum cohortibus subvenit. Dein Flavium Sabinum consulem designatum Otho rectorem copiis misit, quibus Macer praefuerat, laeto milite ad mutationem ducum, et ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam aspernantibus.

37. Invenio apud quosdam auctores pavore belli seu fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus, num posito certamine vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent legere imperatorem; atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe Paulini, quod vetustissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego ut concesserim apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum, ita neque Paulinum, qua prudentia fuit, sperasse corruptissimo saeculo tantam volgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent; neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere, aut legatos ac duces, magna ex parte luxus, egestatis, scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstri-

C. 36. *ad exitium* edd. At Ma. *exitium*, ut I, 45.

ad mutationem edd. At Ma. *et ad m.* Suspicor: *laeto et milite ad m.* Nam *laeto* ac potius *laetis* communiter ad *ducibus* pertinet. Doed.

C. 37. *praecipua spe* Bipontini. At MaR. *praecipuas*. Reliqui *praecipue Paulinum*.

sidium e ripa missum commemoratur nullum, *ereptis* participium habetur non passivi sed reflexivi *se eripere*.

ctumque meritis suis principem passuros. 38. Vetus 69.
ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. Nam rebus modicis aequalitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox e plebe infima Gaius Marius et nobilium saevissimus Lucius Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Gnaeus Pompeius, occultior, non melior. et nunquam postea nisi de principatu quaesitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint. Eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum

C. 38. *Post quos*] In Ma. deesse videtur *quos*.

C. 37. *meritis suis*] Ancipiti dictum sensu. Ad *pollutum* quatenus pertinet, *vitia* significat, ut V, 4.; ad *obstrictum* proprio *beneficiorum* sensu accipiendum.

C. 38. *potentiae cupido*] Exsequitur hoc capite Tacitus Thucydidia III, 82. *πάντων δ' αὐτῶν αἰτία ἀρχὴ ἡ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλοτιμίαν· ἐκ δ' αὐτῶν καὶ ἐς τὸ φιλονεικεῖν καθισταμένων τὸ πρόθυμον.*

securas] H. e. secure habitas.

vacuum fuit] Ex Sallust. Fr. 2. *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurimae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt.* Vid. Ann. XIII, 3.

exarsere] Cum emphasi dictum. Nam *arserant* quidem iampridem ac statim post reges expulsos id genus certamina, ita tamen, ut intra contentiones et seditiones et secessiones starent; sed tum demum, post Carthaginem excisam, in caedes et bella civilia *exardescere* coeperunt. Porro *prima* non refertur ad superiora tempora, quibus nulla fuerint certamina, sed ad seq. *mox*, et ad ea tempora, quibus non iam de patrum aut plebis privilegiis certabatur, sed de principatu. Itaque *prima* idem est quod *primum*. Dord.

Pompeius] Scil. idem fecit. Quare comma apposui.

quaesitum] H. e. disceptatum, ut Ann. II, 74. *Inter Marsum et Sentium . . diu quaesitum.*

illos] Vitellianos et Othonianos.

ignavia principum, ac non communi et publico concordiae desiderio.

69. factum est. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio.

39. Profecto Brixellum Othone honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum praefectum. Celsus et Paulinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum alienae culpae praetendebantur. tribuni centurionesque ambigui, quod spretis melioribus deterrimi valebant. miles alacer; qui tamen iussa ducum interpretari quam exsequi mallet. Promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit, adeo imperite, ut quanquam verno tempore anni et tot circum amnibus penuria aquae fatigarentur. Ibi de praelio dubitatum, Othone per litteras flagitante ut maturarent, militibus ut imperator pugnae adesset poscentibus. plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde diiudicari potest, quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. 40. Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti confluentes Padi et Adduae fluminum, sedecim inde milium spatio distantes, petebant. Celso et Paulino abnuentibus militem itinere fessum, sarcinis gravem obiicere hosti, non omissuro, quo minus expeditus et vix quattuor milia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes aggrederetur, Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho incre-

C. 40. *omissuro* Waltherus ex marg. ed. Micyll. 1557, ut III, 27. *Non omissum quin sciscerentur multa.* At MaG. *amissuro.* Edd. *admissuro.*

C. 40. *sed ad bellandum*] Quoniam plures res secum portabant quam quibus ad praelium opus erat, *sarcinis graves*, ut h. c. dicuntur. Germ. 30. *Alios ad praelium ire videas, Chattos ad bellum;* quia super arma ferramentis quoque et copiis onerantur.

Adduae] Hodie *Adda*.

Numida] Ex antiquo mos, quo receptum ut viris lautioribus ditioribusque Afri aut Numidae equites essent ad iter. Sen. Ep.

pita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat, 69
aeger mora et spei impatiens.

41. Eadem die ad Caecinam operi pontis intentum duo praetoriarum cohortium tribuni, colloquium eius postulantes, venerunt. Audire condiciones ac reddere parabat, cum praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere. interruptus tribunorum sermo; eoque incertum fuit, insidias an proditionem vel aliquod honestum consilium coeptaverint. Caecina dimissis tribunis revectus in castra datum iussu Fabii Valentis pugnae signum et militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere; et mirum dictu, a paucioribus Othonianis quo minus in vallum impingerentur, Italicae legionis virtute deterriti sunt. ea strictis mucronibus redire pulsos et pugnam resumere coegit. Disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim, quanquam vicino hoste, aspectus armorum densis arbustis prohibebatur. Apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula et lixae, et praeruptis utrinque fossis via quieto quoque agmini angusta. Circumsistere alii signa sua, quaerere alii; incertus undique clamor accurrentium, vocitantium; et ut cuique audacia vel formido, in primam postremamve aciem prorumpebant aut relabebantur. 42. Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis

C. 41. *vocitantium* Pichena, scil. *se invicem.* Alii enim, dum quaerunt signa sua et accurrunt, clamabant, alii, dum vagantes agnoscunt eosque ad sua quemque signa vocant. At Ma. *clamantium* superscr. *vo.* Id post *clamor* et superfluum et dissonum. Bachius *volitantium.*

124. *Omnes sic iam peregrinantur, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat;* coll. ep. 88. Martial. X, 13. Ex Lips.

C. 41. *impingerentur*] Ex Virg. Aen. V, 805. *Cum Troia Achilles . . impingeret agmina muris.*

mixta .. lixae] Non inter se, sed utrique immixti militum agmini; vid. c. 6. *Permixtum vehiculis agmen.*

69. qui descivisse a Vitellio exercitum ementirentur. is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutavere; et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quae causa salutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero praestantior: Othoniani, quanquam dispersi, pauciores, fessi, praelium tamen acriter sumpsere. Et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnae facies: comminus, eminus, catervis et cuneis concurrebant. In aggere viae collato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere: noscentes inter se, ceteris conspicui, in eventum totius belli certabant. 43. Forte inter Padum viamque patenti campo duae legiones congressae sunt; pro Vitellio unaetvicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis, e parte Othonis prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida. Primani stratis unetvicesimanorum principiis aquilam abstulere; quo dolore accensa legio et impulit rursus primanos, interfecto Orfidio Benigno legato, et plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. A parte alia propulsa quintanorum impetu tertia decuma legio; circumventi plurium accursu quartadecumani. Et ducibus Othonis iam pridem profugis, Caecina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium Varus Alfenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam oppositae cohortes in ipso flumine trucidaverant.

44.

C. 42. *omisso* edd. At Ma. *omisse*.

C. 43. *prima Adiutrix*] Classicorum in Hispania. Vid. c. 67. 86. III, 44.

principiis] H. e. primis ordinibus, ut Liv. II, 65. III, 22. Plutarch. Oth. 13. πάντας τοὺς προμάχους ἀποκτείναντες.

Varus Alfenus] Praefectus castrorum Valentis et tunc iussu Caecinae relictus.

44. Ita victores latus hostium invecti. Et media acie 69.
perrupta fugere passim Othoniani, Bedriacum petentes. Immensum id spatium, obstructae strage corporum viae; quo plus caedis fuit: neque enim civilibus bellis capti in praedam vertuntur. Suetonius Paulinus et Licinius Proculus diversis itineribus castra vitavere. Vedium Aquilam tertiae decumae legionis legatum irae militum inconsultus pavor obtulit. multo adhuc die vallum ingressus clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur; non probris, non manibus abstinent; desertorem proditoremque increpant, nullo proprio crimine eius, sed more volgi suum quisque flagitium aliis obiectantes. Titianum et Celsum nox iuvit, dispositis iam excubiis compressisque militibus, quos Annius Gallus consilio, precibus, auctoritate flexerat, ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent: sive finis bello venisset seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum. Ceteris fractus animus: praetorianus miles non virtute se sed proditione victum fremebat. ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila; superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit; venire Moesicas legiones; magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos, et si ita ferret, honestius in acie perituros. His cogitationibus truces, aut pavidi extrema desperatione, ad iram saepius quam in formidinem stimulabantur.

45. At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis ducibus eadem die

C. 44. *suismet ipsi caedibus*] H. e. caedibus in semet ipsos, vel in suos, noto usu, quo qui propinquos suos necat, *αὐτοφόντης* habetur.

si ita ferret] Scil. *Fors*, ut Ann. III, 15.

His cogitationibus] Sensus est: Tam hi qui his cogitationibus truces erant, praetoriani, quam ceteri illi qui extrema desperatione pavidi et fractis animis erant, pariter ad iram stimulabantur, illi quidem contra hostem, hi autem suos contra duces. Id qui non satis intellexerant et *extrema desperatione* cum *stimulabantur* copulaverant, *haud pavidi* ex ed. Spir. probabant. Doed.

69. oppugnationem castrorum; simul voluntaria deditio sperabatur. sed expeditis et tantum ad praelium egressis munimentum fuere arma et victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, et qui ferociores fuerant ad paenitentiam inclinantibus, missa legatio; nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. legati paulisper retenti. ea res haesitationem attulit ignaris adhuc an impetrassent. Mox remissa legatione patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera laetitia detestantes. isdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum volnera fovebant. spes et praemia in ambiguo, certa funera et luctus. nec quisquam adeo mali expers ut non aliquam mortem maereret. Requisitum Orfidii legati corpus honore solito crematur; paucos necessarii ipsorum sepelivere; ceterum volgus super humum relictum.

46. Opperiebatur Otho nuntium pugnae nequaquam trepidus et consilii certus. Maesta primum fama, dein profugi e praelio perditas res patefaciunt. Non expectavit militum ardor vocem imperatoris. Bonum haberet animum iubebant: superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque. Neque erat adulatio: ire in aciem, excitare partium fortunam fu-

C. 45. *Sed expeditis*] Sententia est: Cum Vitelliani non sarcinis graves, ut Othoniani, sed sine instrumentis, quibus castra et munimenta facerent, et ad proelium tantum accincti essent profecti, sine castris pernoctavere, armis et victoria freti. Walth. Vid. c. 40.

et qui] I. e. etiam iis qui.

spes et praemia . . et luctus] Haec transponenda videntur in versum superiorem post *detestantes.* Non Taciti sermo est, sed eorum, qui bella civilia detestabantur; unde patet *spes* et reliqua nomina esse accusativos plurales, omisso *esse*, non *erant.* Nam ipsius Taciti si foret sermo, nec causa omnino erat cur haec annotaret, nedum sententia proxime antecedens, *isdem .. fovebant* a subsequenti, *nec quisquam . . maereret*, quacum artissime cohaeret, tali annotatione dirimenda fuisset. Doed. Vix ullus huic sensui locus post *detestantes*, sed aptissimus, opinor, voci scriptoris, qui sortem armorum civilium deploraret, post *maereret.* B.

ceterum volgus] Pro *ceteri, vulgus.*

C. 46. *excitare fortunam*]

rore quodam et instinctu flagrabant. qui procul asti- 69.
terant, tendere manus, et proximi prensare genua, promptissimo Plotio Firmo. Is praetorii praefectus identidem orabat, ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: maiore animo tolerari adversa quam relinqui; fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. Quas inter voces ut flexerat voltum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. Nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus. **47.** Ipse aversus a consiliis belli: „Hunc“ inquit „animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obiicere nimis grande vitae meae pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. experti in vicem sumus, ego ac fortuna. Nec tempus computaveritis: difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Civile bellum a Vitellio coepit, et ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit: ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit. hinc Othonem posteritas aestimet. Fruetur Vitellius fratre, con-

C. 47. *initium illic fuit*] Suspicor *illinc*. DOED.

Quasi iacentem ac dormientem genium.

furore, sponte et in ipsorum ingeniis nato, cupiditatis vehementia, *instinctu* quasi divinitus immisso. Aliter Ritterus: „prius effectum, causam alterum significat.“ DOED.

maiore . . relinqui] Comparant Aristot. Mor. III, 7. *τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν ἢ ἔρωτα ἤ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ.*

ut flexerat] Pro *prout*, ut Ann. I, 61.

clamor] Acclamatio laetantium ut c. 90. et III, 83.

C. 47. *experti invicem*] Fortunam Otho expertus erat, cum imperium tam breviter duraturum accepisset; Othonem autem Fortuna, cum is recte modesteque imperasset fortiterque abdicasset. PICHENA. Nempe *fortuna* non fortem vel fatum h. l. significat sed *summam fortunam* vel *principatum*, ut III, 49.

Fruetur] Commendat hac praedictione incolumitatem Vitellianae domus suis ac superstitibus.

69. iuge, liberis: mihi non ultione neque solatiis opus est. Alii diutius imperium tenuerint: nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et rei publicae eripi patiar? Eat hic mecum animus, tanquam perituri pro me fueritis; sed este superstites. Nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. plura de extremis loqui pars ignaviae est. Praecipuum destinationis meae documentum habete quod de nemine queror. nam incusare deos vel homines eius est qui vivere velit." 48. Talia locutus, ut cuique aetas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere neu remanendo iram victoris asperarent, iuvenes auctoritate, senes precibus movebat, placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. Dari naves ac vehicula abeuntibus iubet; libellos epistolasque studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes abolet; pecunias distribuit, parce nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum fratris filium, prima iuventa, trepidum et maerentem ultro solatus est, laudando pietatem eius, castigando formidinem. „An Vitellium tam immitis animi fore ut pro incolumi tota domo ne hanc quidem sibi gratiam redderet? mereri se festinato exitu clementiam victoris. non enim ultima desperatione, sed poscente praelium exercitu, remisisse rei publicae novissimum casum. satis sibi nominis, satis posteris

C. 48. *remanendo*] Unus Bud. *remorando*, quod ut auctoritate deterius, ad sensum quidem aptius sane est; nam *remorari* contrarium est *propere abeundo*, rursus *remanere* simplici *abeundo* vel *pergendo*. Vid. Synon. Lat. T. III. p. 297. Doed.
nec ut edd. At Ma. *ne cui*.

tenuerint] Pro *obtinuerint*.
animus, conscientia.
perituri fueritis] Scil. si id voluissem. Contra usum scribendi peccasset, si *perituri fuissetis* scripsisset.
C. 48. *parce . . periturus*] Cum laude Othonis haec memorat, tanquam Otho privatae gratiae famaeque causa largitionibus exhaurire fiscum noluerit neque ad malorum civium exemplum cogitaverit: *Me mortuo pereat mundus!*
novissimum casum] H. e. extremum, si ad internecionem us-

suis nobilitatis quaesitum. post Iulios, Claudios, Ser- 69.
vios se primum in familiam novam imperium intulisse. Proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset." 49. Post quae dimotis omnibus paulum requievit. Atque illum supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum. namque abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. Increpitis seditionis auctoribus regressus vacavit abeuntium alloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. Tum allatis pugionibus, cum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit. et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, utque affirmatur, non insomnem egit. Luce prima in ferrum pectore incubuit. ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus praetorii praefectus unum volnus invenere. Funus maturatum. ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum. Tulere corpus praetoriae cohortes, cum laudibus et lacrimis, volnus manusque eius exosculantes. Quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis. ac postea promisce Bedriaci, Placentiae aliisque in castris celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum

que alterarum partium pugnatum esset sicut flagitabat Othonianorum pietas.

nimium meminisset] Ut Plin. Ep. III, 14. *Largius Macedo superbus .. et qui servisse patrem suum parum, immo nimium meminisset.*

C. 49. *alterum*] Plut. Oth. 17. *δυοῖν αὐτῷ ὄντων τῶν ξιφῶν, ἑκατέρου κατεμάνθανε τὸ σπάσμα πολὺν χρόνον, καὶ τὸ ἕτερον ἀπέδωκε, θάτερον δ' εἰς τὰς ἀγκάλας ἀναλαβὼν τοὺς οἰκέτας προσεκαλεῖτο.*

unum vulnus] Suet. Oth. 11. *Uno se traiecit ictu infra laevam papillam.*

ambitiosis precibus] H. e. tam enixis ut prope abessent ab adulatione et humilitate; vel ab vanitate.

non noxa] Tanquam ipsi causa cladis fuissent; ut saepe *scelere vecors*, i. e. sceleris conscientia.

69. exstructum est modicum et mansurum. **50.** Hunc vitae finem habuit septimo et tricesimo aetatis anno. Origo illi e municipio Ferentio, pater consularis, avus praetorius; maternum genus impar nec tamen indecorum. Pueritia ac iuventa, qualem monstravimus. Duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae. Ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita volgatis traditisque demere fidem non ausim. Die quo Bedriaci certabatur avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse incolae memorant, nec deinde coetu hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret; tum ablatam ex oculis; et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.

51. In funere eius novata luctu ac dolore militum seditio. nec erat qui coerceret. Ad Verginium versi, modo ut reciperet imperium, nunc ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant. Verginius per aversam domus partem furtim digressus irrumpentes frustratus est. Earum quae Brixelli egerant cohortium preces Rubrius Gallus tulit.

C. 50. *loco* Colerus. At MSS. *luco*.

nec deinde] Petersenius suspicatur: *neque inde*. Si opus foret mutatione, praeferrem: *nec dein inde*. Doed.

et mansurum] Ob ipsam modestiam. Suet. Vit. 10. *Vitellius lapidem memoriae Othonis inscriptum intuens dignum eo Mausoleo dixit.* Plutarchus nihil nisi *Marci Othonis* inscriptum invenit.

C. 50. *Ferentio*] In Etruria. Vid. Ann. XV, 53. At edd. *Ferentino*, quod crebrius. Proba utraque forma. Hoc adiectivum est, illud appositio, ut *flumen Rhenum* perinde ac *flumen Rhenus*.

impar] Sc. si cum paterni generis nobilitate compararetur.

volgatis, i. e. fama; *traditisque* i. e. historiis et rerum scriptoribus.

Regium Lepidum] Hodie *Reggio*, prope Brixellum.

C. 51. *luctu*, ob Othonem, *dolore*, ob cladem et ducum quam suspicabantur perfidiam.

et venia statim impetrata concedentibus ad victorem 69.
per Flavium Sabinum iis copiis quibus praefuerat.

52. Posito ubique bello magna pars senatus extremum discrimen adiit, profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinae relicta. illuc adverso de praelio allatum. sed milites ut falsum rumorem aspernantes, quod infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, voltum habitumque trahere in deterius; conviciis postremo ac probris causam et initium caedis quaerebant, cum alius insuper metus senatoribus instaret, ne praevalidis iam Vitellii partibus cunctanter excepisse victoriam crederentur. Ita trepidi et utrinque anxii coeunt, nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpae tutior. onerabat paventium curas ordo Mutinensis arma et pecuniam offerendo, appellabatque patres conscriptos intempestivo honore.
53. Notabile iurgium fuit, quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem invasit. nec ceteri sententias aperiebant: sed invisum memoria delationum expositumque ad invidiam Marcelli nomen irritaverat Caecinam, ut novus adhuc et in senatum nuper ascitus magnis inimicitiis claresceret. moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi; simul medio temporis plures nuntii sperabantur. Bononiae, divisis per itinera qui recentissimum quemque percontarentur, interrogatus Othonis libertus causam digressus, habere se suprema eius

C. 52. *tutior*] Subiectum est *unusquisque*, quod mutuandum est ex *nemo*, prope ut I, 1. *Neque amore quisquam et sine odio dicendus est.* Ann. XIV, 3.

ordo] Decuriones, ut Ann. XIII, 48.

intempestivo honore] Nam erant illi pars tantum senatus ac *senatores*, non ipse senatus ac *patres conscripti*. Officiose quidem illi Mutinenses fortuito quorundam *senatorum coetui*, quos comitum specie secum duxerat Otho (vid. I, 88.), idem nomen dabant, quod soli *consilio publico* Romae relicto debebatur. Sed non immeritus solum is honor illis senatoribus habebatur, sed etiam periculosissimus, si in tanto rerum discrimine summam senatus auctoritatem sustinere crederentur. Doed.

69. mandata respondit; ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitae blandimentis. hinc admiratio et plura interrogandi pudor; atque omnium animi in Vitellium inclinavere. **54.** Intererat consiliis frater eius Lucius Vitellius, seque iam adulantibus offerebat, cum repente Coenus libertus Neronis atroci mendacio universos perculit, affirmans superventu quartae decumae legionis, iunctis a Brixello viribus, caesos victores, versam partium fortunam. Causa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quae neglegebantur, laetiore nuntio revalescerent. Et Coenus quidem rapide in urbem vectus paucos post dies iussu Vitellii poenas luit; senatorum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus vera esse quae afferebantur. Intendebat formidinem quod publici consilii facie discessum Mutina desertaeque partes forent. Nec ultra in commune congressi sibi quisque consulere, donec missae a Fabio Valente epistolae demerent metum. et mors Othonis quo laudabilior, eo velocius audita.

55. At Romae nihil trepidationis; Cereales ludi ex more spectabantur. Ut cessisse Othonem, et a Fla-

C. 54. *rapide in* edd. ex G. At Ma. *rapidum.*

C. 55. *cessisse* Ma. i. e. *excessisse vita*, ut Ann. I, 5. *excessisse Augustum.* Suet. Aug. 5. Plin. H. N. VII, 13. vel Ann. IV, 38. *quandocunque concessero.* All. MSS. *cessisse vita.* Petersenius *cecidisse* suspicatur, quod parum bene de eo diceretur qui in lectulo ac sua manu perierat.

posteritatis cura] Non quomodo vitam imperiumque conservaret, sed quomodo posteris laudaretur, curantem. Ern.

C. 54. *diplomata*] Litterae publicae, quae olim a senatu, deinde a principibus vel nominibus eorum praescriptis plures ob causas, imprimis vero iis in quos beneficia ab illis conferrentur (Suet. Aug. 50. Cal. 38. Ner. 12.) et tabellariis cursoribus aliisve ter facturis dabantur, ut acceptis equis vehiculisve publicis celeriter illud conficerent. Plut. Galb. 6. Rupert.

C. 55. *Cereales*] Mors Othonis incidit in XII. Kal. Maias computatione satis certa, imperavitque VC dies. Atqui supra notavi in XV, 53. Cereris ludos pridie idus Apriles datos in circo. Quod verum est, sed in plures dies et ad hoc fere tempus productos ex hoc loco constat. Lips.

vio Sabino praefecto urbis quod erat in urbe militum 69.
sacramento Vitellii adactum certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere; populus cum lauru ac floribus Galbae imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur. additae erga Germanicum exercitum laudes gratesque, et missa legatio quae gaudio fungeretur. Recitatae Fabii Valentis epistolae ad consules, scriptae haud immoderate: gratior Caecinae modestia fuit, quod non scripsisset. 56. Ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello afflictabatur. dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare, rapere, vi et stupris polluere. in omne fas nefasque avidi aut venales non sacro, non profano abstinebant; et fuere qui inimicos suos specie militum interficerent. ipsique milites regionum gnari refertos agros, dites dominos in praedam aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant, obnoxiis ducibus et prohibere non ausis. Minus avaritiae in Caecina, plus ambitionis: Valens ob lucra et quaestus infamis, eoque alienae etiam culpae dissimulator. Iam pridem attritis Italiae rebus tantum peditum equitumque vis damnaque et iniuriae aegre tolerabantur.

57. Interim Vitellius victoriae suae nescius ut ad integrum bellum reliquas Germanici exercitus vires tra-

immoderate edd. ex G. At Ma. *immoderatae.*

gaudio fungeretur] H. e. gaudii significatione, gratulatione.

C. 56. *fas nefasque*] Eadem ubertate et antitheseos gratia qua Ann. XIII, 37. Nero per *licita et illicita* foedatus, coll. Hist. III, 51. Hor. Epist. I, 7, 72. *Dicenda tacenda locutus.*

aut venales] Dum redimi pretio se patiebantur, ne raperent.

equitumque vis] Haec coniunxi, ut III, 5. *Plebem quoque et equitum vim . . offerebant.* Variationi tribuit Tacitus, ne scriberet quod Acidalius iussit: *tanta peditum equitumque vis.* Minime vero *vis* a genitivis dirimi et pro *violentia* accipi potest. Obstat et subsequens synonymum *iniuriae* et asyndeton medium inter polysyndeta insolitum et molestum. DOED.

69. hebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripae Hordeonio Flacco permissa; ipse e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit. Et paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res ac morte Othonis concidisse bellum accepit. Vocata concione virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum anulis, foedum mancipium et malis artibus ambitiosum.

58. Isdem diebus accessisse partibus utramque Mauretaniam, interfecto procuratore Albino, nuntii venere. Lucceius Albinus a Nerone Mauretaniae Caesariensi praepositus, addita per Galbam Tingitanae provinciae administratione, haud spernendis viribus agebat. Decem novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. Caeso Galba in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hispaniae angusto freto diremptae imminebat. Inde Cluvio Rufo metus; et decumam legionem propinquare litori ut transmissurus iussit. Praemissi centuriones qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. neque arduum fuit, magna per provincias Germanici exercitus fama. Spargebatur insuper spreto procuratoris vocabulo Albinum insigne regis et Iubae nomen usurpare. 59. Ita mutatis animis Asinius Pol-

C. 57. *honoravitque* edd. At Ma. *oneravitque*.

C. 57. *legionum nomina*] Nempe adeo attritae erant legiones illae, ut nomine potius quam re et numero legiones essent; ut IV, 15. *Nomen magis exercitus quam robur*, coll. IV, 14. Curt. IV, 12, 9. *Nomina verius quam auxilia*.

ripae] Nempe ripam Rheni ne Germani transirent. Lips. Ma. *curari pe*. All. *belli*.

Asiaticum] Vid. c. 95. IV, 18. Suet. Vit. 12.

C. 58. *Cluvio Rufo*] Is enim *Hispaniae provinciis praeerat*; vid. I, 8.

lio alae praefectus, e fidissimis Albino, et Festus ac 69.
Scipio cohortium praefecti opprimuntur. Ipse Albinus, dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauretaniam petit, appulsu litoris trucidatus, uxor eius cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est; nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente. Brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus.

Exercitum itinere terrestri pergere iubet: ipse Arare flumine devehitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus, donec Iunius Blaesus, Lugdunensis Galliae rector, genere illustri, largus animo et par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Praesto fuere Lugduni victricium victarumque partium duces. Valentem et Caecinam pro concione laudatos curuli suae circumposuit. Mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit, cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus. nimius honos inter secunda, rebus adversis in solatium cessit. 60. Tum in-

C. 59. *appulsu litoris* ex Ma. et AR. restitui. Vid. Roth. Exc. ad Agr. XVII. Liv. XXVII, 30. *Hostem litorum appulsu arcere.* Edd. *appulsus litori* ex GHB.

auditu edd. ex G. At Ma. *auditu vi*, per dittographiam ultima proximi *brevi* repetita.

C. 59. *nihil eorum .. anquirente*] Haec non ad proxima pertinent, sed ad omnia quaecunque de Mauretaniae accessione hactenus narrata sunt, maxime ad c. 58. principium: nuntii venere, tanquam seqq. parentheseos loco habenda sint.

brevi de ea re dictum quae sine affectu peragitur, ut Agr. 40. *brevi osculo.*

paratu] H. e. apparatu.

par opibus] Propter opes par largitioni exercendae.

eo ipso ingratus] Quia homo privatus splendidior principe. Pich.

in solatium cessit] Tam ipsi infanti, cum brevi post Muciani iussu interfectus sit (vid. IV, 80.), quam patri, quod filiolum tali honore famae inserere atque aeternitati commendare properavisset. At enim ironice haec dicta sunt, tanquam in illum infantulum idem videlicet cadat, quod de Agricola Tacitus c. 44. *Quanquam medio in spatio integrae aetatis ereptus quantum ad gloriam longissimum aevum*

69. terfecti centuriones promptissimi Othonianorum; unde praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. Simul ceterae legiones contactu, et adversus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur. Suetonium Paulinum ac Licinium Proculum tristi mora squalidos tenuit, donec auditi necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. proditionem ultro imputabant, spatium longi ante praelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen ac pleraque fortuita fraudi suae assignantes. et Vitellius credidit de perfidia et fidem absolvit. Salvius Titianus Othonis frater nullum discrimen adiit, pietate et ignavia excusatus. Mario Celso consulatus servatur. Sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset. restitit Vitellius deditque postea consulatum Simplici innoxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit.

peregit. Neutri enim spatium datum est, ut conscientia pristinae felicitatis res adversas consolarentur, ut olim Agrippinae et Iuliae, quae *praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant*, Ann. XIV, 63. Quanquam nihil obstat quominus non infantem ipsum sed populum et intuentes intelligamus, quibus in commiseratione infelicissimi pueruli illa recordatio praeceptae summae beatitudinis pro solatio fuerit. Eadem structura Germ. 36. *Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit*, h. e. *galt als Weisheit*. Doed.

C. 60. *squalidos tenuit*] I. e. sordidatos et reos in custodia habuit.

necessariis] Quales necessitas, periculum, metus suadet.

proditionem . . imputabant] Sensus est: Tantum aberat ut fideles se Othoni praestarent, ut ultro proditionis praemium peterent, tanquam sua proditione victi Othoniani essent. Germ. 21. *Nec data* (munera) *imputant*.

permixtum . . agmen] Vid. c. 41.

fidem absolvit] Fidei erga Othonem crimine absolvit; eadem structurae brevitate qua *morbum excusare* dicitur. Ipsi sententiae sarcasmus inest, qui I, 59. *Occidi iussit damnatos fidei crimine, gravissimo inter desciscentes*. Paulo aliter Forcellinus: *absolvere* i. e. liberare, cui contrarium est *obligare fidem*. Doed.

creditum fama] H. e. ob famam, vel tam constanti fama narratum est, ut fidem apud plurimos haberet.

restitit Vitellius] Scil. famae et obiicientibus, pernegando de pecunia et insidiis.

Galeria uxor] Ea enim si non

61. Inter magnorum virorum discrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam, e plebe Boiorum, inserere sese fortunae et provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. iamque assertor Galliarum et deus (nam id sibi indiderat) concitis octo milibus hominum proximos Aeduorum pagos trahebat, cum gravissima civitas electa iuventute, adiectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. Captus in eo praelio Mariccus ac mox feris obiectus quia non laniabatur, stolidum volgus inviolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est. 69.

62. Nec ultra in defectores aut bona cuiusquam saevitum: rata fuere eorum qui acie Othoniana ceciderant testamenta, aut lex intestatis. Prorsus, si luxuriae temperaret, — avaritiam non timeres. epularum foeda et inexplebilis libido: ex urbe atque Italia irritamenta gulae gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus; exhausti conviviorum apparatibus prin-

soror at coguata certe Trachali, qui et ipse *Galerius* nominetur I, 90.

C. 61. *inserere sese fortunae*] Eodem fere sensu quo Dial. 10. *Nomen inserere famae*, aut Ann. VI, 2. *Dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit.*

simulatione numinum] A quibus excitatus ac missus esset; ut Flor. III, 19. *Eunus fanatico furore simulatus . . ad libertatem et arma servos quasi numinum imperio concitavit.* Id primum et interim praetexere satis habebat; mox ultra progressus semet ipsum deum esse affirmabat. Nihil in his supervacaneum, nihil interpolatum, id quod Rittero videtur. Doed.

pagos trahebat] Non in partes suas trahebat (ut Ann. I, 31. XIII, 57.), sed potius diripiebat, ut Ann. III, 74. *Ne Cirtensium pagi impune traherentur.*

gravissima] Ut quae non leviter et temere ut *fanatica multitudo*, sed consilio agere consuerit; ut Cic. Off. II, 16. *Gravi homini et ea quae fiunt iudicio certo ponderanti.* Walth. Alii *validissimam* intelligunt coll. Liv. XXXIV, 49. Flor. I, 3.

C. 62. *defectores*] Sic dici possunt Othoniani; nam Vitellius se gerebat ut Galbae ultorem. Sed quia praecessit narratio de Maricci tumultu, eius potius asseclae designantur. Walth. Alioquin enim *nec ultra* sensu careret.

si luxuriae temperaret] Suppl. omnia recte habuissent.

ab utroque mari] Supero sive Hadriatico, et infero sive Tyrrheno; strepebant autem viae frequentia vehiculorum et commeatuum.

69. cipes civitatum; vastabantur ipsae civitates; degenerabat a labore ac virtute miles assuetudine voluptatum et contemptu ducis. Praemisit in urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici. Cautum severe, ne equites Romani ludo et arena polluerentur. priores id principes pecunia et saepius vi perpulerant; ac pleraque municipia et coloniae aemulabantur corruptissimum quemque adulescentium pretio illicere.

63. Sed Vitellius adventu fratris et irrepentibus dominationis magistris superbior et atrocior occidi Dolabellam iussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone rettulimus. Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. id ei Plancius Varus praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum praefectum urbis obiecit, tanquam rupta custodia ducem se victis partibus ostentasset. addidit tentatam cohortem quae Ostiae ageret; nec ullis tantorum criminum probationibus, in paenitentiam versus seram veniam post scelus quaerebat. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria Lucii Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne periculo principis famam clementiae affectaret. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu, et in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videre-

edictum] Videtur Vitellius hoc edicto respondere senatusconsulto super honoribus sibi decretis, de quo c. 57. Pich.

ludo et arena] Gladiatoriis ludis.

priores principes] Ut Nero, Ann. XIV, 14.

id .. perpulerant] Praegnanti structura pro *perpellendo impetraverant.*

C. 63. *rettulimus*] Vid. I, 88.

nec ullis] Sententia haec est: et cum Plancius nullas tantorum criminum quae obiecerat probationes edere posset, ipsum poenituit criminationis, ut post scelus commissum veniam quaereret; sed sero: non enim poterat impedire quominus crimina Dolabellae obiecta huic essent in exitium. Walth. Vid. in c. 76.

periculo] Pro *cum periculo*, ut Ann. III, 53. *unius invidia.* At Ma. et G. *e periculo* . . *affectare* omisso *ne.*

tur, impulit ruentem. 64. Igitur Vitellius, metu et 69.
odio, quod Petroniam uxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistolas vitata Flaminiae viae celebritate devertere Interamnium atque ibi interfici iussit. Longum interfectori visum: in itinere ac taberna proiectum humi iugulavit, magna cum invidia novi principatus, cuius hoc primum specimen noscebatur. Et Triariae licentiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria imperatoris uxor, non immixta tristibus; et pari probitate mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam ad primas filii sui epistolas ferebatur non Germanicum a se sed Vitellium genitum. nec ullis postea fortunae illecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit.

65. Digressum a Lugduno Vitellium Marcus Cluvius Rufus assequitur omissa Hispania, laetitiam et gratulationem voltu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius Caesaris libertus detulerat, tanquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum tentasset eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset. interpretabatur quaedam ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia. Auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet. Cluvius comitatui principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, exemplo Lucii Arruntii. eum Tiberius Caesar

C. 64. *immixta* I. Fr. Gronovius. At Ma. *immix.*

C. 65. *orationibus* Rhenanus, *hortationibus* MSS.

C. 64. *Interamnium*] In Umbria, hodie *Terni.*

non Germanicum] Nam Vitellius nomen Germanici addi sibi passus erat, vid. I, 62. coll. II, 59. III, 66.

C. 65. *ferens*] Pro *praeferens.*

exemplo Arruntii] Vid. Ann. VI, 27. *Tiberius .. oblitus, Arruntium ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri.*

69. ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos. profugerat Britannia ob iracundiam militum: missus est in locum eius Vettius Bolanus e praesentibus.

66. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. Sparsae per Italiam et victoribus permixtae hostilia loquebantur, praecipua quartadecumanorum ferocia, qui se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non affuisse. remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit, atque interim Batavorum cohortes una tendere ob veterem adversus quartadecumanos discordiam. Nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. Augustae Taurinorum, dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur, sui cuique commilitones aggregati a conviciis ad caedem transiere. et praelium atrox arsisset, ni duae praetoriae cohortes causam quartadecumanorum secutae his fiduciam et metum Batavis fecissent. Quos Vitellius agmini suo iungi ut fidos, legionem Graiis Alpibus traductam eo flexu itineris ire iubet, quo Viennam vitarent: namque et Viennenses timebantur. Nocte qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus, pars Taurinae coloniae ambusta; quod damnum, ut pleraque belli mala, maioribus aliarum urbium cladibus oblitteratum. Quartadecumani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant. Consensu meliorum compressi et legio in Britanniam transvecta. 67. Proximus Vitellio e praetoriis cohortibus metus erat. Separati primum,

Vettius Bolanus] Vid. Agr. 16.

C. 66. *veterem . . discordiam*] Vid. I, 59.

Augustae Taurinorum] Olim *Taurasia*, hodie *Turin*.

Viennenses timebantur] Ob ea quae I, 65. 66. 77. narrata sunt.

ignibus] Scil. vigilum et excubiarum, neglectis nec exstinctis.

mum, deinde addito honestae missionis lenimento, arma ad tribunos suos deferebant, donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum resumpta militia robur Flavianarum partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace et otio mitesceret; undecima ac septima suis hibernis redditae; tertiadecumani struere amphitheatra iussi. Nam Caecina Cremonae, Valens Bononiae spectaculum gladiatorum edere parabant, nunquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur. 69.

68. Et quidem partes modeste distraxerat: apud victores orta seditio, ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique ex moribus imperatorum severitatem aemulantur vel tempestivis conviviis gaudent; proinde miles intentus

C. 68. *severitatem* edd. At Ma. *severitate* scil. imperatores aemulantur; ut Ann. XII, 64. *Utraque . . vitiis aemulabantur.* Non deterius.

proinde] Rectius *perinde* exhibet G.

C. 67. *donec . . crebresceret*] Vid. c. 82.

modeste] H. e. moderatione et lenibus remediis, ut c. 87. *Inhabilis ad parendum, etiamsi summa modestia regeretur.* Paulo ante *quidem partes* pro *partes quidem.*

ni numerus .. auxisset] Apodosis huius hypotheticae ex praecc. assumenda: *et ludicra tantum res fuisset.* Sed verba *invidiam bello* obscuriora sunt. Primo obtutu significant, numero caesorum milites deterritos fuisse a belli desiderio. At enim hoc si non ludicrum at exoptatum fuisset, propterea que ab hoc loco alienum. Waltherus *bellum* de pugna, de certamine dissidentium accipit; qua re quid lucretur non assequor. Denique Ritterus totam enunciationem deleri iubet. Ego suspicor: *ni numerus caesorum invidiam Vitellio auxisset.* Facilis error; nam in Ma. saepe b pro v scriptum, ut I, 1. *libor*, c. 2. *Sueborum*, c. 6. *Barrone;* et accedebat fortuita mediae syllabae omissio. Ceterum in Ma. aliisque deest *ni.* Nam impunitas et collaudatio legionariorum, qui duas auxiliorum cohortes ob ludicrum occiderant, irritavit auxilia adversus Vitellium. Vid. c. 69. Quanquam non ipse *numerus caesorum*, sed *impunitas tam numerosae caedis* invidiae causa fuit. At satis habuit Tacitus interim leviter significasse, quae paucis post versibus accuratius illustrarentur. Mallem sane addidisset *numerus . . . impunitus* vel *inultus*, at cuicunque tam obscura brevitas incredibilis videbitur, is tale adiectivum excidisse statuito. Doed.

tempestivis conviviis] Quibus de solido die potatur.

69. aut licenter agit. apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintae, altero e Gallis auxiliaribus, per lasciviam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo et iis qui ad spectandum convenerant in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum, ac duae cohortes interfectae. Remedium tumultus fuit alius tumultus. pulvis procul et arma aspiciebantur: conclamatum repente quartam decumam legionem verso itinere ad praelium venire. sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem. Interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur. et ruebat ad convivium miles, mortem Verginii exposcens. Ne Vitellius quidem, quanquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia eius dubitavit; aegre tamen cohibiti qui exitium consularis et quondam ducis sui flagitabant. Nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit. manebat admiratio viri et fama: sed oderant ut fastiditi. 69. Postera die Vitellius, senatus legatione quam ibi opperiri iusserat audita, transgressus in castra ultro pietatem militum collaudavit, frementibus auxiliis tantum impunitatis atque arrogantiae legionariis accessisse. Batavorum cohortes ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissae, principium interno simul externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus et prima statim defectione inter inania belli assumptus. Cete-

ut fastiditi] Quibus noluerit imperare, oblato quamvis imperio. Ern. Vid. c. 51.

C. 69. *pietatem militum*] Qui nimio Caesaris amore peccassent. Similis Othonis oratio I, 83.

interno simul externoque] Quod post exarsit adversum Civilem Batavum et simul a Batavis desciscentibus, simul a Germanis adhuc indomitis gerebatur.

inter inania] H. e. ut magnam et terribilem speciem bello adderent, etiamsi parum inesset roboris, ut Ann. XV, 31. II, 76. Walth. Nam dites et imbelles habebantur Galli, Ann. XI, 18.

rum ut largitionibus affectae iam imperii opes sufficerent, amputari legionum auxiliorumque numeros iubet, vetitis supplementis; et promiscae missiones offerebantur. Exitiabile id rei publicae, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaque ac labor crebrius redibant. et vires luxu corrumpebantur, contra veterem disciplinam et instituta maiorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana melius stetit. 69.

70. Inde Vitellius Cremonam flexit, et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit. Foedum atque atrox spectaculum. intra quadragesimum pugnae diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosisque constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis regium in morem; quae laeta in praesens mox perniciem

C. 69. *affectae iam* edd. At. Ma. *affectae tam*.

numeros] Manipulos, ut I, 6.

et vires luxu] Ordo sententiarum est: Fecerat id Vitellius, quo paucioribus stipendia solvenda haberet, hos pauciores autem tanto largioribus donis devincire posset. Talis autem largitio luxum militis augebat, luxus vires corrumpebat. Nam *vires* non valetudo militum sed ipsi milites intelliguntur, die *Streitkräfte*, ut Ann. XI, 9. Agr. 29. 38.

melius stetit] Sensus est: *apud quos virtute potius quam pecunia res Romana bene stetit*. Liv. XXXI, 39. *Maiore cum sonitu quam vulnere ullo*, coll. IV, 32. Herodot. III, 124. Doed.

C. 70. *munere Caecinae*. Vid. c. 67.

Intra . . diem] Nam foeditas loci ubi pugnatum est, intra quoddam temporis spatium durat, ultra quod paulatim mitescit, evanescentibus foedis reliquiis et reparatis quae fuerant vastata. Vitellius igitur spectavit intra id temporis spatium, ubi putredo iam satis omnia penetraverat, necdum evanuerant foedae reliquiae. Ex Walth.

equorumque formae] Circumscriptione Virgiliana: Aen. VII, 18. *Formae magnorum ululare luporum*, coll. Ovid. Met. I, 73. Sil. It. XV, 86.

tabo] Pro pleniore *tabe sanguinis*. Liv. XXX, 34.

inhumana] I. q. immanis, fera, ut III, 83. *Inhumana securitas*. Liv. XXIV, 5. *inhumana crudelitas*. Vid. ad Agr. 42.

exstructis altaribus] Scil. Genio Vitellii et Victoriae.

rosisque edd. At Ma. *rosasque*. Suspicor: *rosaque*, collective ut in illis: *vivere in rosa, potare in rosa*. Doed.

mox perniciem] Vid. III, 18.

69. ipsis fecere. Aderant Valens et Caecina, monstrabantque pugnae locos: hinc irrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. Iam tribuni praefectique, sua quisque facta extollentes, falsa, vera aut maiora vero miscebant. Volgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. et erant quos varia fors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. At non Vitellius flexit oculos, nec tot milia insepultorum civium exhorruit. laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat sacrum dis loci.

71. Exin Bononiae a Fabio Valente gladiatorum spectaculum editur advecto ex urbe cultu. quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter, immixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianae aulae ingenio. namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginae mancipatus emptusque. Ut Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus, dissimulatus Marcii Macri tanquam Othonianarum partium ducis; et Valerium Marinum destinatum a Galba consulem distulit, nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi ut adversus Neronem au-

et erant] I. e. erant etiam. Opponuntur hi duris illis et feris animis, de quibus antea.

non flexit oculos] Ex Virg. Aen. IV, 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?* Ern. Nempe rectis immotisque oculis intuebatur tam foedum spectaculum.

tot milia] Xiphil. LXIV, 10. ἔπεσον δὲ τέσσαρες μυριάδες ἀνδρῶν ἑκατέρωθεν ἐν ταῖς μάχαις ταῖς πρὸς τῇ Κρεμώνῃ γενομέναις.

C. 71. *luxu et saginae*] Dativi sunt ut Ann. III, 30. 34. Eadem structura Appul. Met. IX, p. 229. Elm. *Matutino mero et continuo stupro corpus mancipat.* Felicem audaciam tollit Petersenius scribendo: *sagina emancipatus*, coll. I, 66.

dissimulatus] Is haud dubie consul designatus fuit.

sus et Verginii exstimulator: sed alias protulit causas. 69.
actaeque insuper Vitellio gratiae consuetudine servitii.

72. Non ultra paucos dies, quanquam acribus initiis coeptum, mendacium valuit. Extiterat quidam Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Histria occultatum, quod illic clientelae et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebat. Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulae assumpto, volgus credulum et quidam militum, errore veri seu turbarum studio, certatim aggregabantur: cum pertractus ad Vitellium interrogatusque, quisnam mortalium esset, postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur, condicione fugitivus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum.

73. Vix credibile memoratu est, quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiavere. nam etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus, ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur. Tum ipse exercitusque, ut nullo aemulo, saevitia, libidine, raptu in externos mores proruperant. **74.** at Vespa-

C. 72. *Scribonianum*] Xiphilin. LXIII, 18. *Ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ὁ Ἥλιος ἄλλα τε πολλὰ καὶ δεινὰ εἰργάσατο καὶ Σουλπίκιον Καμερῖνον, ἄνδρα τῶν πρώτων, μετὰ τοῦ υἱέος ἀπέκτεινε κτλ.* At Ryckius M. Licinium Crassum intelligit, qui consul fuit sub Nerone, Ann. XV, 33. et ab eodem Nerone necatus est, si quidem ad illum pertinet Hist. I, 48. *Fratres eius* (Pisonis) *Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant.* Et IV, 39. memoratur *Scribonianus Crassus.* Utercunque hic significatur, cum uterque periisset, Geta iste negabat reapse interfectum esse Camerinum; evasisse potius insidias et in Istriam perfugisse; se eum esse ac nunc remoto metu emergere e latebris.

errore veri] Concinnitati soli tribuit ut *veri* adderet.

in servilem modum] Cruci haud dubie affixus est.

C. 73. *excitabatur*] Scil. e torpore ad negotia.

in externos mores] I. e. barbaros; ut peregrinitatis speciem vitaret Tacitus. Nam Romani quamvis corruptis moribus tamen aliquam humanitatis speciem retinebant ac praeferebant, externi feritatem palam profitebantur. Haec contra Gutmannum, *in extremos* proponentem.

69. sianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat. miles ipsi adeo paratus, ut praeeuntem sacramentum et fausta Vitellio omina precantem per silentium audierint. Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior. Praefectus Aegypti Alexander consilia sociaverat. Tertiam legionem, quod de Syria in Moesiam transisset, suam numerabat. Ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur: namque omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium a Vitellio militum, quod truces corpore, horridi sermone ceteros ut impares irridebant. Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio; et Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat. Quis ille dies foret, quo sexaginta aetatis annos et duos filios iuvenes bello permitteret? esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia. 75. Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices, et apud victos plus querimoniarum quam virium. fluxam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis: quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti facinori paratum ex diverso prae-

C. 75. *facinori* ex Ma. restitui, quod pendet ex *paratum*, h. e. promptum, ut Terent. Heaut. II, 3, 114. *Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.* At edd. ex B. *facinore.* Porro *praesens* facinus dolus sicariorum dicitur, qui statim perpetra-

C. 74. *fausta .. omina*] Precatur Vespasianus, ut Vitellius faustis ominibus imperium ineat. Bach. Sic Ma. Ceteri MSS. *omnia*, quod praefert Ritterus.

Alexander] Ille qui *Tiberius Alexander* I, 11. II, 79. Ann. XV, 28. Praenomen addidit Muretus. Sed fiduciam in talibus ponit Tacitus in memoria ac scientia legentium; vid. III, 12. et in Ann. XV, 71.

modo .. aliquando] Pro *modo .. modo*, ut c. 51. *modo .. nunc.*

progressum] Suppl. *et regressum.* Frequens haec brachylogia, ut omittatur oppositum, ut Hom. Od. X, 35. *νυκτὶ δ' ὁμῶς πλέομεν* scil. *καὶ ἤματι*, ut v. 476. Vid. in c. 67. Ann. I, 55. Plura contuli in Comment. de brachylog. p. 15. Doed.

mium petat? sic Scribonianum sub Claudio interfectum; 69.
sic percussorem eius Volaginium e gregario ad summa militiae provectum. facilius universos impelli quam singulos vitari. 76. His pavoribus nutantem et alii legati amicique firmabant et Mucianus, post multos secretosque sermones iam et coram ita locutus. „Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an quod inchoaturi rei publicae utile, ipsis gloriosum aut promptum effectu aut certe non arduum sit. simul ipse qui suadet considerandus est, adiiciatne consilio periculum suum, et, si fortuna coeptis affuerit, cui summum decus acquiratur. Ego te, Vespasiane, ad imperium voco tam salutare rei publicae quam tibi magnificum. iuxta deos in tua manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris. a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi. Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Gai quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus. cessisti etiam Galbae imaginibus. Torpere ultra et polluendam perdendamque

tur, opponiturque *bello* et consiliis hostium, quae quia moram habent, cautiones et defensionem admittunt. Sic *praesens supplicium* Ann. I, 38. quod nulla defensione vel consultatione sumitur. DOED.

C. 76. *coram* edd. ex G. h. e. *palam*, ut Ann. VI, 8. *Spectamus quae coram haberetur*, coll. IV, 54. At Ma. *coronam* vel *ioronam*. Idem mendum in Dial. 6. sustulit Acidalius. Nisi potius cum Bachio legendum: *iam et corona*, h. e. in corona, seu circumfuso legatorum amicorumque coetu.

inchoaturi ex Ma. scil. *sunt*. At edd. *inchoatur*.

aut certe edd. At Ma. *aut non certe* et mox *tanquam salutare*, utrumque dittographiae vitio ob propinqua *non* et *quam*.

Scribonianum] Vid. in Ann. XII, 52.

C. 76. *fuerit*] Pro usitatiore *afuerit*.

cessisti etiam] Malim *Et cessisti iam*, h. e. documentum modestiae tuae iam satis magnum dedisti, quod non statim post Neronis et Caesareae domus interitum imperio potitus es. DOED.

Torpere edd. non nimis eleganter. Nam primum verba *polluendam relinquere* dativum requirunt; deinde *torpere* .. *sopor*

69. rem publicam relinquere sopor et ignavia videretur, etiam si tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo? splendidior origine quam nos sumus, fateor: sed et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem quisquis timetur. et posse ab exercitu principem fieri sibi ipse Vitellius documento, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbae odio provectus. Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat. Si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis et comissatio-

vi, sed Rhenanus. At MSS. *sui sed.*

et ignavia videretur prope abest a tautologiae crimine. At Ma. *torpore.* Paene suspicor: *torpori* (scil. Vitellii) *ultra te polluendam . . remp. relinquere.* Vitellio enim proprie *torpor* tribuitur; vid. c. 77. I, 62. III, 63. 36. Doed.

Abiit . . Corbulo?] Sensus est: Provectior aetate ac senior es quam ut suspicari quisquam debeat iuvenili te gloriae cupidini obnoxium affectasse imperium; immo potius metus te excitare debet ad imperium capessendum, nempe ne pereas sicut Corbulo periit, clarissimus nuper sicut tu nunc orientis imperator et ad imperium provocatus, ideoque Neroni tam formidabilis, ut eum occideret. Dio C. LXII, 19. *τοὺς μέντοι ἄλλους ἀνθρώπους καθ' ἓν τοῦτο μόνον ὁ Κορβούλων ἐλύπησεν, ὅτι τὴν πρὸς τὸν Νέρωνα πίστιν ἐτήρησεν· οὕτω γὰρ αὐτὸν αὐτοκράτορα ἀντ' ἐκείνου λαβεῖν ἤθελον, ὥστε καὶ κακὸν τὸ μέρος τοῦτο μόνον γενέσθαι ἠξίουν.* De nece Corbulonis ibid. LXIII, 17.

splendidior origine] Dubitari potest uter intelligendus sit, Vitellius an Corbulo. Pro Vitellio est comparatio Neronis; pro Corbulone seqq. *satis clarus est . . timetur.* Utraque sententia ad utrumque simul non quadrat. Utrumcunque amplecteris, ordo sententiarum interrumpitur. Ei incommodo medeor tali transpositione: *Splendidior origine quam nos sumus, fateor* (scil. Corbulo); *sed satis clarus est apud timentem quisquis timetur. Et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat, et posse ab exercitu . . provectus.* Duas Vespasiani dubitationes inter se connexas tollit Mucianus; unam, quod parum nobilis sit, alteram, quod non a senatu electus sit. Ceterum Ma. *splendiori.* Suspicor: *splendidiori origine*, ut Ann. XI, 24. *Clausus, origine Sabina*, coll. XIV, 60. Hist. III, 38. Eadem ablativi forma Hist. III, 21. *Primori in acie.* Doed.

nibus et principis imitatione deteritur. Tibi e Iudaea 69.
et Syria et Aegypto novem legiones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia corruptae, sed firmatus usu miles et belli domitor externi; classium, alarum, cohortium robora, et fidissimi reges, et tua ante omnes experientia. **77.** Nobis nihil ultra arrogabo quam ne post Valentem ac Caecinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia aemulum non experiris. me Vitellio antepono, te mihi. tuae domui triumphale nomen, duo iuvenes, capax iam imperii alter, et primis militiae annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. absurdum fuerit non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. nam si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen ac pericula ex aequo patiemur. Immo ut melius est, tu hos exercitus rege, mihi bellum et praeliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina victi quam victores agunt. hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt. aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium volnera bellum

C. 77. *tu hos* edd. At Ma. *tuos*.

C. 77. *ne . . numeremur*] H. e. ne quis deteriorem me conatus tui adiutorem fore aestimet quam Valens et Caecina Vitellii adiutores sunt.

triumphale nomen] Suet. Vesp. 4. *Claudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est, inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes superque viginti oppida et insulam Vectem Britanniae proximam in ditionem redegit, partim Auli Plautii legati consularis partim Claudii ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta . . accepit.*

capax iam] Annum agens vicesimum septimum. Savil.

apud Germanicos] Suet. Tit. 4. *Tribunus militum et in Germania et in Britannia meruit.*

fastidium] Id prope abest a fastu, superbia: *τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν*. Synon. Lat. T. IV. p. 184. Recte verteris *Verwöhnung*.

aperiet . . volnera] Ex Demosth. Phil. I, p. 52, 28. *εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος*, coll. Olynth. I. p. 24. 5. Gron. *Tumor* eleganter de vulneribus nondum sanatis et mox erupturis dicitur apud Ciceronem et alios. Ern.

69. ipsum. Nec mihi maior in tua vigilantia, parcimonia, sapientia fiducia est quam in Vitellii torpore, inscitia, saevitia. Sed meliorem in bello causam quam in pace habemus: nam qui deliberant desciverunt.“ **78.** Post Muciani orationem ceteri audentius circumsistere, hortari, responsa vatum et siderum motus referre. nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et praescium palam habuerit. Recursabant animo vetera omina. cupressus arbor in agris eius, conspicua altitudine, repente prociderat, ac postera die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat. grande id prosperumque consensu haruspicum, et summa claritudo iuveni admodum Vespasiano promissa. Sed primo triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus implesse fidem ominis videbatur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat. Est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. nec simulacrum deo aut templum; sic tradidere maiores: aram tantum et reverentiam. illic sacrificanti Vespa-

parcimonia] H. e. frugalitas et continentia, quae *patientiae* propinqua est, et illi *luxuriae* contraria, quae Vitellium pessundare coeperat; ut Plaut. Most. I, 3, 78. *Dies noctesque estur, bibitur, nec quisquam parsimoniam adhibet.* Cic. Verr. II, 3. Talis Vespasianus describitur c. 5. *Cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans.* Idem Agr. 4. per *provincialem parsimoniam* intellige. Sin intelligeretur illa *parsimonia*, quae *prodigentiae* opposita est et similitudinem habet cum *avaritia*, quamvis eam virtutem propriam fuisse Vespasiano constet, tamen non prudenter Mucianus eius virtutis tum maxime mentionem faceret apud eos, qui donativum vel largitionem principis expectabant; id quod acute sensit Lipsius, cum *acrimonia* substitui iuberet. Doed.

C. 78. *desciverunt*] In eandem sententiam Agr. 16. Et Vinnius apud Plutarch. Galb. 4. *ὦ Γάλβα, τίνα τρόπον βουλεύεσθε; τὸ γὰρ ζητεῖν Νέρωνι εἰ πιστοὶ μένοιμεν, ἤδη μὴ μενόντων* (MSS. *ἤδη μενόντων*) *ἐστίν.*

cupressus] Vid. Suet. Vesp. 5.

Carmelus] Diversus ille a duobus eiusdem nominis montibus in Palaestina sitis.

aram . . reverentiam] Mente repetendum *tradidere*, quod verbum non minus bene cum adverbio *sic* quam cum accusativis strui poterat. — *reverentiam*] Ut Germ. 9. *Secretum illud quod sola reverentia vident*, h. e. *Andacht*. Sil. Ital. III, 30. de fano Herculis ad Gades: *Sed nulla effigies simulacraque nota deo-*

siano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis „quicquid est," inquit, „Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum." Has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat, nec quicquam magis in ore volgi. Crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur. Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream: illa Syriae, hoc Iudaeae caput est. 69.

79. Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum, festinante Tiberio Alexandro, qui calendis Iuliis sacramento eius legiones adegit. isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Iudaicus exercitus quinto nonas Iulias apud ipsum iurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius expectaretur, Syria remeans et consiliorum inter Mutianum ac patrem nuntius. cuncta impetu militum acta, non parata concione, non coniunctis legionibus. **80.** Dum quaeritur tempus, locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur, egressum cubiculo Vespasianum pauci milites, solito assistentes ordine ut legatum saluta-

C. 79. *concione* Lipsius. At MSS. *cognitione.*

C. 80. *assistentes* Pichena. At Ma. *adsistent.*

rum maiestate locum et sacro implevere timore. Ceterum tersa est Bipontinorum coniectura: *templum situm tradidere.* Doed.

aperiebat] I. e. interpretabatur de summa fortuna, ut Ann. XI, 34. *Instabat Narcissus aperire ambages.* Olim fama *θεοπρόπου* Pythici personam egerat, tum *προφήτου* egit. Doed.

hoc Iudaeae ex Ma. revocavi; quo variatur structura. Edd. tanquam constare sibi deberet Tacitus. Scripsit haec Tacitus posteaquam Hierosolyma perierant et caput Iudaeae esse desierant. „Caesarea haec commemoratur Actt. Apost. 21, 8. prius turris Stratonis vocata. Herodes Magnus ornamenta addiderat nomenque Caesareae in honorem Augusti. Fuit sedes procuratorum in Palaestina prima, quamobrem h. l. appellatur *Iudaeae caput.*" Kiessl.

69. turi, imperatorem salutavere. tum ceteri accurrere, Caesarem et Augustum et omnia principatus vocabula cumulare. mens a metu ad fortunam transierat. In ipso nihil tumidum, arrogans aut in rebus novis novum fuit. ut primum tantae mutationis offusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et affluentia excepit. namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos alloquitur, satis decorus etiam Graeca facundia, omniumque quae diceret atque ageret arte quadam ostentator. Nihil aeque provinciam exercitumque accendit quam quod asseverabat Mucianus, statuisse Vitellium ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque transferret, contra Syriacis legionibus Germanica hiberna, caelo ac laboribus dura, mutarentur. quippe et provinciales sueto militum contubernio gau-

C. 80. *Caesarem et Augustum* ex *vocare* pendent, zeugmatis licentia.

mens . . transierat] Omnem cautae prudentiae curam eiusque quasi numinis cultum omiserant totosque se fortunae numini permiserant. Nam *metus* tam prope abest a providentia, quam *timor* ab ignavia. Etiam Thucydidi *τῇ τύχῃ* et *τῇ ἐλπίδι πιστεῦσαι* perinde audaciae vel adeo temeritatis documentum est. Doed.

mutationis Lipsius coll. III, 49. *Dum hac totius orbis mutatione fortuna imperii transit.* At MSS. *multitudinis*. Suspicor cum Trillero: *altitudinis* ob Liviani loci similitudinem credo non fortuitam, XXVI, 45. *Quidam stantibus scalis, cum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt.* Doed.

militariter] H. e. incompte et valide, ut Subrius Flavius Ann. XV, 67. Deinde *affluentia* dicit sponte et cum impetu ad partes ipsius transeuntia, ut IV, 25.

consultare mos est] Qui mos plerisque Graecorum et qui oriundi a Graecis. Frontin. Strat. III, 2, 6. Iustin. XXII, 2.

arte quadam ostentator] H. e. ostentationis invidiam arte quadam molliens, ut grata etiam esset. Potest enim apparere in ipsa ostentatione virtutum dignitatis species, morum fiducia, bonae famae studium, blanda benevolentiae captatio. Vulgaris demum et arte carens ostentatio vanitatis crimen habet. Doed. Nos: *all sein Reden und Handeln wusste er mit gutem Bedacht in einem glänzenden Lichte zu zeigen.*

hiberna Rhenanus coll. Suet. Vesp. 6. *Destinasse Vitellium victorem permutare hiberna legionum et Germanicas transferre in orientem.* At MSS. *hiberno*.

debant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus 69. mixti; et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum penatium diligebantur. 81. Ante idus Iulias Syria omnis in eodem sacramento fuit. Accessere cum regno Sohaemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens et inservientium regum ditissimus. mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat. nec minore animo regina Berenice partes iuvabat, florens aetate formaque et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Quicquid provinciarum alluitur mari Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, iuravere. sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociae legionibus. Consilium de summa rerum Beryti habitum. illuc Mucianus cum legatis tribunisque et splendidissimo quoque centurionum ac militum venit, et e Iudaico exercitu lecta decora. tantum simul peditum equitumque et aemulantium inter se regum paratus speciem fortunae principalis effecerant. 82. Prima belli cura agere delectus, revocare veteranos. destinantur validae civitates exercendis armorum officinis; apud Antiochenses aurum argentumque signatur; eaque cuncta per idoneos ministros, suis quaeque locis, festinabantur. Ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo in-

C. 82. *suis quaeque* edd. At Ma. *suis quoque.*

necessitudinibus] Ut aere alieno contracto.

C. 81. *Sohaemus*] Rex Sophenes, Ann. XIII, 7.

excitus ab urbe] Hegesipp. IV, 2. *Sententiam novi principis de bello Iudaeorum sciscitari Vespasiano consilium fuit; misitque Titum filium et regem Agrippam. Titus de Achaia revertit, Agrippa Romam contendit, ut apud novum principem locaret gratiam.* Lips. At Ma. *exercitus.*

seni quoque . . grata] Ac non iuveni solum Tito. Vid. c. 2.

nondum additis] Ipse Vespasianus addidit, confirmato iam imperio. Suet. Vesp. 8. *Cappadociae propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit.*

decora] Ut I, 15.

C. 82. *revocare veteranos*] Pro solemni verbo *evocare.*

69. citare saepius quam coercere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans. Multos praefecturis et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit, egregios viros et mox summa adeptos; quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Donativom militi neque Mucianus prima concione nisi modice ostenderat, nec Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace, egregie firmus adversus militarem largitionem, eoque exercitu meliore. Missi ad Parthum Armeniumque legati, provisumque ne versis ad civile bellum legionibus terga nudarentur. Titum instare Iudaeae, Vespasianum obtinere claustra Aegypti placuit. Sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen, ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus legatosque scriptae epistolae, praeceptumque, ut praetorianos Vitellio infensos reciperandae militiae praemio invitarent. 83. Mucianus cum expedita manu, socium magis imperii quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus modicas vires sibi, et maiora credi de absentibus. Sed legio sexta et tredecim vexillariorum milia ingenti agmine sequebantur. Classem e Ponto Byzantium adigi iusserat, ambiguus consilii, num omissa Moesia Dyrrhachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiaque, quas inermes exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur; atque ipsum Vitellium in incerto fore quam partem Italiae protegeret, si sibi Brun-

fortuna] Vel nobilitas vel opes.

ac nihil arduum] Vid. in II, 4.

reciperandae militiae] Id est, ad reciperandam militiam. Kiessl. Vid. c. 67.

C. 83. *tredecim.. milia*] Vid. Walch. in Agr. p. 248.

classem e Ponto] Quae Romanis etiam illic ordinaria, ad tuendam Ponti oram. Hegesipp. II, 9. in oratione Agrippae: *Maeotia regna Bosporanique omnes Romano subiiciuntur imperio, et illud ante innavigabile pelagus quadraginta naves ad pacem exercent.* Ex Lips.

si sibi . . peterentur] I. e. a se, Muciano.

disium Tarentumque et Calabriae Lucaniaeque litora 69.
infestis classibus peterentur. 84. Igitur navium, militum, armorum paratu strepere provinciae. Sed nihil aeque fatigabat quam pecuniarum conquisitio: eos esse belli civilis nervos dictitans Mucianus non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. passim delationes, et locupletissimus quisque in praedam correpti. quae gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere, ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante, donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit ausus que est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum iuvit, largus privatim, quod avidius de re publica sumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti: rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

85. Accelerata interim Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio transgressi in partes. tertia legio exemplum ceteris Moesiae legionibus praebuit. octava erat ac septima Claudiana, imbutae favore Othonis, quamvis praelio non interfuissent. Aquileiam progressae, proturbatis qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa, hostiliter egerant. unde metus et ex metu consilium: posse imputari Vespasiano quae apud Vitellium excusanda erant. Ita

C. 84. *in praedam correpti*] H. e. accusati ut praedae loco essent sive damnati pecuniis multarentur, sive absolutionem donis et corruptione iudicantium redimere cogerentur. Doed.

ad obtinendas . . obstinante] Eodem sensu quo Liv. XXIX, 1. *Pertinaces ad obtinendam iniuriam*, de iis qui etiamsi iniustam suam esse causam perspexere, tamen eam porro defendunt. Nam *obstinante* intransitive dictum ut Liv. XXIII, 29. *Obstinaverant animis*, de consuetudine et frequenti actu, contra *obstinatus* vel de ingenio vel de singulari aliquo actu usurpatur.

Ceteri . . habuerunt] Sensus est: Ceteri quoque largiebantur ut Mucianus; perpauci reciperare potuerunt de re publica ut Mucianus.

C. 85. *imputari*] Tanquam beneficium, ut I, 55. Germ. 21.

69. tres Moesicae legiones per epistolas alliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius Saturninus Moesiae rector pessimum facinus audet, misso centurione ad interficiendum Tertium Iulianum septimae legionis legatum, ob simultates quibus causam partium praetendebat. Iulianus comperto discrimine et gnaris locorum ascitis per avia Moesiae ultra montem Haemum profugit. nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens et ex nuntiis cunctabundus aut properans. 86. At in Pannonia tertia decuma legio ac septima Galbiana, dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes, haud cunctanter Vespasiano accessere, vi praecipua Primi Antonii. is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus inter alia belli mala senatorium ordinem reciperaverat. praepositus a Galba septimae legioni scriptitasse Othoni credebatur, ducem se partibus offerens; a quo neglectus in nullo Othoniani belli usu fuit. labantibus Vitellii rebus Vespasianum secutus grande momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus, serendae in alios invidiae artifex, discordiis et seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Iuncti inde Moesici ac Pannonici exercitus Delmaticum militem traxere, quanquam consularibus legatis nihil turbantibus. Titus Ampius Flavianus Pannoniam, Pompeius Silvanus Delmatiam tenebant, divites, senes. Sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. prima iuventa quietis cupidine senatorium or-

C. 86. *belli* edd. At Ma. *bellum*. Suspicor: *bellorum*. Nam non solum Vitellii adversus Othonem bellum, sed etiam Galbae defectio a Nerone, Othonis a Galba in bellis numeratur. Et revocatus erat Antonius sub Galba, ante Vitellii bellum. Doed.

C. 86. *falsi damnatus*] Vid. Ann. XIV, 40.
quietis cupidine] Ut procul negotiis in colonia sua degeret; quae illa fuerint, ignoratur. Mirantur interpretes incon-

ordinem exuerat. Idem pro Galba dux coloniae suae, 69. eaque opera procurationem adeptus susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem praetulit: non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. Igitur movere et quatere, quicquid usquam aegrum foret, aggrediuntur. Scriptae in Britanniam ad quartadecumanos, in Hispaniam ad primanos epistolae, quod utraque legio pro Othone adversa Vitellio fuerat; sparguntur per Gallias litterae; momentoque temporis flagrabat ingens bellum Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

87. Dum haec per provincias a Vespasiano ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque ad omnis municipiorum villarumque amoenitates resistens, gravi urbem agmine petebat. Sexaginta milia armatorum sequebantur, licentia corrupta; calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis; tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiamsi summa modestia regeretur. onerabant multitudinem obvii ex urbe senatores equitesque, quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paulatim omnes, ne aliis proficiscen-

stantiam morum in hoc homine, olim quieto, mox acerrimo. Immo potius sub Claudio vel Nerone desperaverat, credo, de republica, in qua nullus libertati et industriae locus, ideoque otium rusticanus quaesiverat, mox, simulac aliquem contra tyrannos exsurrexisse audiverat, repositum libertatis amorem prompsit ac statim pro Galba fuit. Doed.

acerrimam] H. e. acerrime.

C. 87. *procacissimis . . ingeniis*] Sensus est: calonum lixarumque numerus amplior, qui, quamquam ingenui, tamen etiam inter servos procacitate praecellunt, vel servilem procacitatem exsuperant. Non iidem sunt *calones* h. e. *Trossknechte*, et *lixae* h. e. *Marketender*, sed plerumque coniunctim memorantur tanquam simillimi, ut III, 33. *Calonum lixarumque numerus amplior*. Propterea Tacitus ut simul brevitati simul variationi inserviret, in utraque sententia *alteros* tantum appellavit, cum utrobique *utrosque* intelligi vellet. Doed.

modestia] Vid. c. 68.

ac paulatim omnes] Iusta gradatio non est post *ceteri*, nam cum *ceteri* dicti sunt, nemo ex eodem genere superest. Fortasse ipse Tacitus hoc admisit, illudens nimirum tetricae loquendi diligentiae, ut Sallustius in illo:

69. tibus ipsi remanerent. aggregabantur e plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurrae, histriones, aurigae, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. Nec coloniae modo aut municipia congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque, maturis iam frugibus, ut hostile solum vastabantur. 88. Multae et atroces inter se militum caedes post seditionem Ticini coeptam, manente legionum auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum foret, consensu. sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat; et effusa plebes totis se castris miscuerat. incuriosos milites (vernacula utebantur urbanitate) quidam spoliavere, abscisis furtim balteis, an accincti forent rogitantes. non tulit ludibrium insolens contumeliae animus: inermem populum gladiis invasere. caesus inter alios pater militis, cum filium comi-

Probra in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius, Iug. 48. coll. Thuc. III, 81. Sin secus est, suspicor: *ac paulatim ceteri omnes.* Coniunxit eadem Liv. XXII, 20. *Ceterum omne incensum est.* Doed.

C. 88. *Ticini coeptam*] Vid. c. 68. coll. 27.

ut gladiatoriam saginam] Tanquam milites suos sic ad caedem civium corroborari vellet, quemadmodum gladiatorum athletarumque corpora coliphiorum largitate ad ludos et pugnas praeparari solent.

vernacula . . urbanitate] H. e. per impudentiam id genus urbanis propriam. Nam impudenter iocantium est ad ignotos arrepere, abscindere baltea, spoliare ac tum factum palam profiteri atque deridere talia passos. Id familiares fortasse et pares ignoscunt, ignoti et armati, qui etsi gregarii tamen pares se ac familiares plebeculae haberi dedignantur, pro contumelia accipiunt. Verae nempe urbanitatis est pudorem subrusticum vicisse, vernaculae autem urbanitatis, omnem omnino pudorem et cuiusquam reverentiam posuisse. Eo sensu Horat. Epist. I, 9, 11. *Frontis ad urbanae descendi praemia*, h. e. ad summam irreverentiam. Petron. 24. *O hominem acutum et vernulae urbanitatis fontem!* ubi *frontem* ex MSS. legendum. Cum contemptu *vernaculus* dicitur etiam Ann. I, 31. Dial. 28. Imitabantur autem isti homines et advenis ostentabant artem sectorum zonariorum, quae et ipsa pars erat vernaculae urbanitatis. Idem manet sensus, si cum Lipsio emendaveris: *vernacula, ut rebantur, urbanitate quidam.* Rittero autem haec tria verba pro glossemate sunt. Doed.

accincti] Scil. armis, ut Ann. XI, 18.

filium comitaretur] Pater un-

taretur, deinde agnitus, et volgata caede temperatum 69 ab innoxiis. In urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus. Forum maxime petebant, cupidine visendi locum in quo Galba iacuisset. nec minus saevom spectaculum erant ipsi, tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant. 89. Ipse Vitellius a ponte Mulvio, insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit. Quattuor legionum aquilae per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa, et post peditum ordines eques; dein quattuor et triginta cohortes, ut nomina gentium aut species armorum forent, discretae. ante aquilam praefecti castrorum tribunique et primi centurionum, candida veste; ceteri iuxta suam quisque centuriam, ar-

C. 88. *saevum* edd. At Ma. *scaevum.*

decunque filium prosecutus non a filio, sed ab alio milite hominem ignorante, irato autem omnibus paganis, quod alicuius illorum fraude zonam perdidisset, et in obvios saeviente caesus est; *deinde agnitus*, h. e. intellecto, non hunc in ea culpa neque e scurris istis fuisse, sed filio comitem haesisse. I. Fr. Gron.

cum turbam .. vitarent] Nempe prudentes locorumque gnari si fuissent, per vias minus frequentes forum petiissent; nunc autem quamvis morae impatientes per tantam occurrentium multitudinem viis celeberrimis ruebant, ubi iter vi patefaciendum erat.

C. 89. *a ponte Mulvio*] Qui erat Tiberi impositus ad initium viae Flaminiae extra portam Flumentanam. At Ma. *Mulvi*, ut Ann. III, 4. *campus Martis* pro *Martius.* Non deterius; sive a *Mulvio* quodam (vid. Valer. Max. VIII, 1, 5.) sive a *milvo* ave nomen duxit. Nam ut et *Milvius* pons pro *Mulvio* dicebatur, ita *mulvus* haud dubie pro milvus. Causa variae pronuntiationis cognoscitur ex iis quae disputavi in Lat. Wortbild. p. 183. sq.

deterritus] Aliter Suet. Vit. 11.

ante aquilam] H. e. ante suam quisque. At Ma. *aquila.*

69. mis donisque fulgentes. et militum phalerae torquesque splendebant; decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus Augustae nomine honoravit. **90.** Postera die, tanquam apud alterius civitatis senatum populumque, magnificam orationem de semet ipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus attollens, consciis flagitiorum ipsis qui aderant omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat. Volgus tamen vacuum curis, et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore et vocibus adstrepebat; abnuentique nomen Augusti expressere ut assumeret, tam frustra quam recusaverat. **91.** Apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis quinto decimo calendas Augustas edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Aliensique cladibus: adeo omnis humani divinique iuris expers, pari libertorum, amicorum socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans, omnem

C. 91. *amicorum* ex Ma. At edd. *amicorumque*.

C. 90. *alterius*] Insolite, tanquam genitivum *alius* horresceret.

clamore, dissono; *vocibus*, discretis et adulatoriis.

tam frustra] I. e. tam falso; nam nec Vitellius cum nomen Augusti recusaret, verae modestiae documentum dederat, nec vulgus verae reverentiae et caritatis, dum exprimit.

C. 91. *Cremerensi . . cladibus*] Liv. VI, 1. *Tum de diebus religiosis agi coeptum, diemque ante diem XV Kalendas Sextiles duplici clade insignem, quo die ante Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam* (scil. contra Gallos) *cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendae fecerunt.* De eadem re Suet. Vit. 11. *Omni divino humanoque iure neglecto Alliensi die pontificatum maximum cepit.*

comitia . . celebrans] Male Savilius interpretatur: munera a candidatis consulatus edita civiliter celebrans. Immo: cum suis candidatis circumiens et prensans patres, penes quos tum erant comitia. Liv. XXXIX, 32. Valer. M. V, 2, 7. Cic. Planc. 6. 10. Suet. Aug. 56. Plin. Epp. III, 20. Pan. 69. et potissimum c. 71. e quibus locis patet prorsus sic

infimae plebis rumorem, in theatro ut spectator, in 69. circo ut fautor, affectavit. quae grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitae prioris indecora et vilia accipiebantur. Ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur. ac forte Priscus Helvidius praetor designatus contra studium eius censuerat. commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit. mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit quod duo senatores in re publica dissentirent; solitum se etiam Thraseae contradicere. irrisere plerique impudentiam aemulationis; aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus sed Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset.

92. Praeposuerat praetorianis Publium Sabinum a praefectura cohortis, Iulium Priscum tum centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Caecinae gratia pollebant. inter discordes Vitellio nihil auctoritatis. Munia imperii Caecina ac Valens obibant, olim anxii odiis, quae bello et castris male dissimulata pravitas amicorum

C. 92. *a praefectura* Mercerus, scil. ascitum sive mavis, *praefectum cohortis*, ad analogiam locutionum *ab epistolis*, vel *a rationibus* Ann. XV, 35. At Ma. *ad prefectura*, et mox *dum* pro *tum*.

postea civiliores et severos quoque principes egisse inter patres et ita gratiam quaesivisse in senatu. Quod sequitur, delenimentum ad plebem est. I. Fr. Gron.

non tamen ultra] Scil. *progressus est*, vel *quidquam egit.*

spretae potestatis] Nam ipse princeps non aliter quam iure tribuniciae potestatis, quod pridem Augustus principibus assumpserat, censuerat.

impudentiam aemulationis] Imitari enim se dixit exempla liberae reipublicae, ubi sine ambitione censebatur et impune unicuique contradicebatur, sed impudens erat ea imitationis vel aemulationis species, quoniam principes omnia vi imperii, si quid cuperent, exsequi constabat.

anxii odiis] Se invicem angentes. Ramshorn Gram. p. 993. Bach. Non novi nec reperio aliam explicandi viam, sed nec usus loquendi satis constat, nec sensus egregie quadrat. Quamobrem suspicor: *obnoxii odiis*, ut Ann. III, 58. *Non odio aut privatis affectionibus obnoxium.* Et *olim* est *iamdiu*, ut Ann. III, 54. XII, 66. Doed.

69. et fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu, comitatu et immensis salutantium agminibus contendunt comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo segnius invaserant domos, hortos opesque imperii, cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriae Galba reddiderat, nulla principis misericordia iuvarentur. Gratum primoribus civitatis etiam plebs approbavit, quod reversis ab exilio iura libertorum concessisset. quanquam id omni modo servilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus, et quidam in domum Caesaris transgressi atque ipsis dominis potentiores.

93. Sed miles, plenis castris et redundante multitudine, in porticibus aut delubris et urbe tota vagus, non principia noscere, non servare vigilias, neque labore firmari: per illecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus imminuebant. Postremo, ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis

fecunda gignendis] Ut Ann. XIII, 57. *Flumen gignendo sale fecundum.*

offensis et *blanditiis* dativi sunt, ut IV, 37. *Mutati in poenitentiam.* Nam *offensa* nunquam est *Beleidigung*, semper *Empfindlichkeit*, *Spannung*.

opes imperii] Aerarium, opinor.

iura libertorum] Iura in libertos, ut Ann. XI, 33. *ius militum* significat *ius in milites.* Idem est *ius patronatus* vel *patronorum.* Enimvero operas liberti domino debebant, alimento si egeret, denique testamento bonorum semissem.

corrumpebant] H. e. irritum reddebant; ut Ann. II, 23. *Officia prudentium corrumpebat*, et XV, 71. *Veniam vanitate exitus corrupit.*

ambitiosos sinus] H. e. condiderant liberti pecunias suas partim in veris latebris, ut specubus foveisve, partim apud eos, apud quos requiri ambitio ac metus vetabat, unum e potentibus rogando ut bona eorum reciperet et celaret.

C. 93. *non principia noscere*] H. e. non se in castrorum principiis, ubi aquilae et signa et sacra militum erant, congregari ut fas erat. Idem fere est *noscere* quod curare, respicere, ut Germ. 30. *nosse ordines.*

infamibus] Scil. pestilentia,

magna pars tetendit; unde crebrae in volgus mortes. 69.
et adiacente Tiberi, Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et aestus impatientia labefecit. insuper confusus pravitate vel ambitu ordo militiae. Sedecim praetoriae, quattuor urbanae cohortes scribebantur, quis singula milia inessent. Plus in eo delectu Valens audebat, tanquam ipsum Caecinam periculo exemisset. sane adventu eius partes convaluerant, et sinistrum lenti itineris rumorem prospero praelio verterat. omnisque inferioris Germaniae miles Valentem assectabatur; unde primum creditur Caecinae fides fluitasse. **94.** Ceterum non ita ducibus indulsit Vitellius, ut non plus militi liceret. sibi quisque militiam sumpsere; quamvis indignus, si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur; rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permissum. nec deerant qui vellent, fessi morbis et intemperiem caeli incusantes. Robora tamen legionibus alisque subtracta, convolsum castrorum decus, viginti milibus e toto exercitu permixtis magis quam electis.

ob aquas stagnantes, serpentes, aerem insalubrem.

adiacente Tiberi] Pro affluente, ut c. 32. *Obiacere flumen Padum.*

fluminis aviditas] Scil. potandi in eoque lavandi. Deinde *aestus impatientia*, ut Liv. X, 28, 4. *Gallorum corpora intolerantissima laboris atque aestus.* Praedixerat hoc malum Paulinus c. 32.

verterat] Aut averterat, aut in prosperum rumorem verterat.

C. 94. *robora tamen*] Vitellius e legionariis praetorias cohortes sive urbanam militiam augere constituerat, ut plures sibi essent corporis custodes, sed illorum arbitrio permiserat, utrum his ascribi vellent necne. Ita legionariorum quidem multitudo et vis imminuta, praetorianorum aucta, sed simul illis *robora* detracta, simul convulsum castrorum praetorianorum decus indignorum affluentia. Gutmann. Nimirum legionariis nihil fere praeter robur et ferociam opus fuit; in praetorianis ut in honoratissima militia decor formae et morum aliqua urbanitas antea spectari solebat. Tale praetorianorum decus vastis et informibus corporibus vel rudibus ferisque animis eorum, qui adhuc in horridis provinciis militaverant, tum vero inter praetorianos vel asciscebantur vel adeo irrumpebant, inquinari videbatur; cum contra legionibus iidem homines robore conspicui egregio usui fuissent. Doed.

69. **Concionante Vitellio postulantur ad supplicium Asiaticus et Flavus et Rufinus duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent. nec coercebat eiusmodi voces Vitellius: super insitam inerti animo ignaviam conscius sibi instare donativom et deesse pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti principum conferre pro numero mancipiorum ut tributum iussi. Ipse sola perdendi cura stabula aurigis exstruere, circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere, tanquam in summa abundantia pecuniae illudere. 95. Quin et natalem Vitellii diem Caecina ac Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere, ingenti paratu et ante illum diem insolito. laetum foedissimo cuique, apud bonos invidiae fuit, quod exstructis in campo Martio aris inferias Neroni fecisset. caesae publice victimae cremataeque; facem Augustales subdidere: quod sacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit. Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos, Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat. Nemo in illa aula probitate aut industria certavit; unum ad potentiam**

C. 94. *Flavus* ex Ma. correxi. Edd. *Flavius.* Commune illi provinciali nomen cum Arminii fratre, quem et ipsum edd. vett. *Flavium*, recentiores cum Ma. *Flavum* nominant.

C. 95. *fecisset* Lipsius. At MSS. *iecisset.*

subdidere Rhenanus. At MSS. *subdere*, infinitivo historico vix tolerabili.

inerti animo] Pichena, bene ac sine tautologiae crimine: nam *inertia* ad *consilii* inopiam refertur in tali indulgentia conspicuam, quoniam non intelligebat Vitellius, quantum arrogantia militis et invidia publica inde augeretur; *ignavia* autem ad *constantiae* et *industriae* inopiam. Cic. Fam. XII, 20. *Nec tua ignavia etiam inertiam afferet.* Vid. Synon. Lat. T. IV. p. 210. At MSS. *mortem animo.* Doed.

principum] Scil. priorum.

C. 95. *ut Romulus Tatio*] Aliter ipse Tacitus Ann. I, 54.

Polyclitos, Patrobios] Neronis libertos: vid. XIV, 49. H. I, 49.

odiorum] Pro concreto, ut Plaut. Mil. III, 3, 48. *Rogare mirum est populi odium quin noverim.* Rud. II, 3, 13. *Deorum odium et hominum!* Doed.

iter, prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inex- 69.
plebiles Vitellii libidines. ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans novies milies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.

96. Prima Vitellio tertiae legionis defectio nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino epistolis, antequam is quoque Vespasiani partibus aggregaretur. sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur: unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus, a quibns falsos rumores dispergi, nec ullum civilis belli metum asseverabat, suppresso Vespasiani nomine, et vagis per urbem militibus qui sermones populi coercerent. id praecipuum alimentum famae erat. 97. Auxilia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit, segniter et necessitatem dissimulans. Perinde legati provinciaeque cunctabantur, Hordeonius Flaccus suspectis iam Batavis anxius proprio bello, Vettius Bolanus nunquam satis quieta Britannia, et uterque ambigui. Neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi consulari: trium legionum legati, pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam

creditur edd. At Ma. *crederetur*.

Vitellium, ex Ma. At edd. *Vitelliumque*.

in longius consultans] H. e. futuro prospiciens, ut *in longum* Ann. I, 69. XVI, 7.

Marcellus] Scil. Eprius.

C. 96. *ab Aponio*] Ex Moesia; vid. c. 85.

C. 97. *ad obsequium*] Pro quoad, ut Ann. VI, 7. *praecipuos ad scelera*.

69. eius fortunam ex aequo detrectabant. In Africa legio, cohortesque delectae a Clodio Macro, mox a Galba dimissae, rursus iussu Vitellii militiam cepere. simul cetera iuventus dabat impigre nomina. quippe integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: proinde socii de imperio utriusque coniectabant. sed experimentum contra fuit. 98. Ac primo Valerius Festus legatus studia provincialium cum fide iuvit; mox nutabat, palam epistolis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens, et haec illave defensurus, prout invaluissent. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani per Raetiam et Gallias militum et centurionum quidam ad Vitellium missi necantur: plures fefellere, fide amicorum aut suomet astu occultati. ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota, primum socordia Vitellii; deinde Pannonicae Alpes praesidiis insessae nuntios retinebant. Mare quoque Etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat. 99. Tandem irruptione hostium, atrocibus undique nuntiis exterritus Caecinam ac Valentem expedire ad bellum iubet. praemissus Caecina: Valentem e gravi corporis morbo tunc primum assurgentem infirmitas tardabat. Longe alia proficiscentis ex urbe

C. 99. *expedire* Acidalius, ut I, 10. et 88. At MSS. *expediri*, quod tuetur Waltherus coll. Ann. XV, 10. *Expediri tamen singula milia ex tribus legionibus iussit;* perperam: nam haec millia a suis quaeque tribunis expediebantur, Valens autem et Caecina utpote duces *expediri* non poterant.

ex aequo] Scil. ferre, ut Hor. C. I, 35, 26. *Diffugiunt . . amici ferre iugum pariter dolosi.*

famosum] Aliter Suet. Vesp. 4. *Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit, nisi quod Adrumeti seditione quadam rapa in eum iacta sunt.*

C. 98. *Etesiarum flatu* Rhenanus. At Ma. *etesi flabra aquilonis arum flatu.* Verba *flabra aquilonis* ex margine irrepsisse putantur mediam in vocem *etesiarum*, ac petita ex Lucret. VI, 73. V, 741. Quodsi non prorsus sint abiiciendae, suspicabor: *Mare etesiarum flatu (flabant aquilones) in Orientem.* Per *etesias* tempus anni, per *aquilones* autem genus ventorum etesiarum significatur. Doed.

Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non 69.
ardor animis; lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi; impatiens solis, pulveris, tempestatum, quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunae indulgentia soluti in luxum, seu perfidiam meditanti infringere exercitus virtutem inter artes erat. Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis. simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet.

100. Caecina complexu Vitellii multo cum honore digressus partem equitum ad occupandam Cremonam praemisit. mox vexilla quartae decumae et sextae decumae legionum, dein quinta et duoetvicesima secutae;

meditanti Rhenanus. At Ma. *meditatio.* Suspicor cum I. Gronovio: *meditato*, vel ob inclinationem scriptorum praesentia deponentium verborum participia devitandi.

fluxa arma] H. e. debilitata, ut c. 22. *aevo fluxa murorum.*

laborem miles] Inepte hactenus dilata est substantivi *miles* collocatio. Transponendum videtur supra ante *impatiens.* DOED.

Flavii Sabini] Qui frater erat Vespasiani.

C. 100. *quartae decumae* Ritterus. Etenim quartam decimam legionem, a Nerone ex Britannia in Italiam accitam, remiserat quidem Vitellius in Britanniam, ita tamen ut vexillarios retineret; ii enim Bedriacensi acie pulsi ideoque animis fracti erant, dum ipsa legio, utpote cladis eiusdem expers, ferociam adversus Vitellium retinet; vid. II, 66. At Ma. *in quattuordecum*, ubi *in* ex seq. *dein* natum, et numeri ordinalis forma perinde inaudita ac I, 64. Bipontini substituere *quartae*, *decimae.* Hoc si voluisset scriptor, polysyndeto usus esset. Ipsam pronuntiandi ambiguitatem sane effugisset inusitata forma *quattuordecimae.* DOED.

sextae decumae Puteolanus. Nam XVI. legio in proelio Cremonensi pro Vitellio pugnavit, et numeri XIII vel XVI facile poterant inter se commutari. At Ma. *tertiae decumae.* Sed legio XIII. tunc in Pannonia agebat et Flavianis partibus addicta erat (vid. II, 86. III, 1. 7. 21.); nec memoratum aut credibile est vexilla ex ea fuisse abducta. Deteriores MSS. fluctuant inter XIV et XVIII. DOED.

69. postremo agmine unaetvicesima Rapax et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. Profecto Caecina scripsit Fabius Valens exercitui quem ipse ductaverat, ut in itinere opperiretur: sic sibi cum Caecina convenisse; qui praesens eoque validior immutatum id consilium finxit, ut ingruenti bello tota mole occurreretur. Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere iussae: ipse Ravennam devertit, praetexto classem alloquendi. Mox Patavii secretum componendae proditionis quaesitum. namque Lucilius Bassus post praefecturam alae Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. nec sciri potest traxeritne Caecinam, an (quod evenit inter malos, ut et similes sint) eadem illos pravitas impulerit. 101. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monumenta belli huiusce composuerunt, curam pacis et amorem rei publicae, corruptas in adulationem causas, tradidere. nobis super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox fidem aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud

C. 100. *Lucilius Bassus* Rhenanus, sicut nominatur in Monum. Aquileiae servato, ap. Gruterum p. 573. *Imp. Caesar Vespasianus . . veteranis qui militaverunt in classe Ravennate sub Sex. Lucilio Basso . . . civitatem dedit.* At Ma. *Blaessus.*

trium Britannicarum] Secundae, nonae, vicesimae. Vid. Ann. XIV, 37. 38.

quem ipse ductaverat] Quintae legioni: vid. I, 61.

Hostiliam] Hodie *Ostiglio.* Vid. III, 9.

secretum] H. e. secretus cum Basso congressus; ut II, 4. *Sostratus . . petito secreto futura aperit.* Nam genitivi *componendae proditionis* non ex *secretum* pendent, sed ex omisso *causa*, ut Ann. II, 59. III, 41. XIV, 3.

C. 101. *corruptas . . causas*] Adulteratas et ideo effictas a scriptoribus, ut Vespasiano Caesari adularentur, tanquam provisu beatioris saeculi illi proditores transiissent. Alii MSS. *corrupti*, ut III, 33. *Numerus in libidinem et saevitiam corruptior.*

vilem mox fidem] Abundat ita positum adverbium. Suspicor: *et prodito Galba vilem fidem, mox aemulatione.* Doed.

Vitellium anteiretur, pervertisse ipsum videtur. Caecina legiones assecutus centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat; Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe ob memoriam recentis pro Othone militiae. 69.

C. 101. *ipsum* edd. ex R. et Spir. At Put. ex G. *ipsum Vitellium*. Id asciscerem, si Ma. assentiretur. Vid. in Ann. XII, 49.

anteiretur .. videtur] Scil. Caecina; nam is solus *prodito Galba* agebat, Bassus non item. All. *anteirentur .. videntur*; ob id ipsum falso.

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM.

Vespasiani copiae in Italiam veniunt duce et instinctore Antonio Primo. sparsim quaedam gesta, et leves pugnae. Classis Ravennas ad Vespasianum deficit, et proditorem animum Caecina aperit. sed hic parum prospere, quia a milite vinctus captusque. Proelium inde ad Bedriacum, quo victi Vitelliani. Iterum superventu novarum legionum proelium, idque noctu. sed et tunc pulsi Vitelliani. Castra ad Cremonam oppugnantur et tandem expugnantur. ubi magna strages; paulo post in ipsa urbe omne genus cladium. Vitellius interea in luxu, nec sine saevitia. P. Sabinum vinciri iubet, Iunium Blaesum interfici. Fabius Valens contra Antonium venit, sed pugna illa magna cognita cum paucis aufugit, et in mari oppressus est. Britannia turbata, item Germania et Dacia. Vespasiani duces Romam petunt. Vitellius insideri Apenninum iubet. sed belli mox pertaesus paciscitur cum Sabino Vespasiani fratre. quod pactum Germani milites rupere. Sabinum in Capitolium compulerunt, obsederunt, expugnarunt, incenderunt. Quaedam a L. Vitellio fratre principis in Campania gesta. Tandem Vespasiani omnes copiae Romam venere, per vim et varia proelia ingressae sunt, omniaque libidine et caede foedarunt. Mors ipsius Vitellii.

Gesta uno eodemque anno.

---

69. **1.** Meliore fato fideque partium Flavianarum duces consilia belli tractabant. Petovionem in hiberna tertiae decumae legionis convenerant. illic agitavere, placeretne obstrui Pannoniae Alpes, donec a tergo vires universae consurgerent, an ire comminus et certare pro Italia constantius foret. Quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vi-

C. 1. *Petovionem*] Hodie *Petau* ad Dravum in finibus Pannoniae.

obstrui] Concaedibus, saxis, munimentis, castellis; nam adhuc *insessae* tantum erant; vid. II, 98.

constantius] H. e. viae belli administrandi adhuc initae congruentius.

tellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum 69.
parem pulsarum nuper legionum, et quanquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. sed insessis interim Alpibus venturum cum copiis Orientis Mucianum. superesse Vespasiano mare, classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. ita salubri mora novas vires affore et praesentibus nihil periturum. 2. Ad ea Antonius Primus (is acerrimus belli concitator) festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam disseruit. plus socordiae quam fiduciae accessisse victoribus. neque enim in procinctu et castris habitos, per omnia Italiae municipia desides, tantum hospitibus metuendos; quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. circo quoque ac theatris et amoenitate urbis emollitos, aut valitudinibus fessos. sed addito spatio rediturum et his robur meditatione belli. nec procul Germaniam, unde vires; Britanniam freto dirimi; iuxta Gallias Hispaniasque; utrinque viros, equos, tributa; ipsamque Italiam et opes urbis, ac si inferre arma ultro velint, duas classes, vacuumque Illyrici mare. Quid tum claustra montium profutura? quid tractum in aestatem aliam bellum? unde interim pecuniam et commeatus? Quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicae legiones deceptae magis quam victae resurgere in ultionem properent, Moesici exercitus integras vires attulerint. Si numerus militum potius quam legionum putetur, plus hinc roboris, ni-

velut alterius belli] Sensus est: per quas non huic uni bello sed paene alteri simul ac tantodem par esset commovendo. Nam *velut* est paene.

C. 2. *Antonius*] Septimae legionis legatus quae Galbiana dicta est: vid. II, 86.

freto] Scil. ac non mari.

duas classes] Misenensem et Ravennatem.

Illyrici mare] Quod pertinet ad Illyricum eiusque litora alluit. Illa maris Hadriatici pars significatur, qua Illyrici litora terminantur. All. *Illyricum mare.* Ritter.

militum quam legionum] Nam plures legiones habebat Vitellius, sed non ita plenas ut Flaviani. Ern.

69. hil libidinum; et profuisse disciplinae ipsum pudorem. equites vero ne tum quidem victos, sed quanquam rebus adversis disiectam Vitellii aciem. Duae tunc Pannonicae ac Moesicae alae perrupere hostem: nunc sedecim alarum coniuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac superfundent oblitos praeliorum equites equosque. Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. vos quibus fortuna in integro est legiones continete: mihi expeditae cohortes sufficient. iam reseratam Italiam, impulsas Vitellii res audietis. iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere. 3. Haec ac talia flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur (etenim se centuriones et quidam militum consilio miscuerant), ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret, volgus et ceteri unum virum ducemque spreta aliorum segnitia laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim concione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistolis non ut plerique incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxisset: aperte descendisse in causam videbatur, eoque gravior mi-

C. 2. *reseratam Italiam* Pichena, ut Cic. Phil. VII, 1. *Ut reserare nos exteris gentibus Italiam iuberet.* At Ma. *reserata militiam.* Suspicor: *reseratam militi viam.* Distinguitur *miles*, h. e. legiones, ab *expeditis cohortibus*, quas solas ducturus erat secum Antonius. Doed.

C. 3. *gravior* ex Ma. revocavi; coll. c. 43. *gravior auctor.*

pulsu] I. e. *impulsu*, ut Ann. VI, 35. *Corporibus et pulsu armorum pellerent.*

suasor auctorque] Haec nomina alibi semper synonyma, h. l. pro contrariis usurpantur; novo fortasse usu, quem tamen sic facilius tolerarem, si legeretur *suasor consilii auctorque* scil. ipsius operis; nunc autem *consilii* necessario etiam ad *auctor* refertur. Quare suspicor: *suasor actorque*: ut Nep. Att. 3. *Hunc enim in omni procuratione reipublicae auctorem actoremque habuit.* Cic. Sext. 28, 61. *Dux, auctor, actor illarum rerum fuit.* Aspernatus est Tacitus hanc paronomasiam ut nimio usu tritam ac vulgarem. Doed.

fortuna in integro] Antonio fortuna erat afflicta (II, 86. Ann. XIV, 40.) exque periculo maior audacia. Bip.

tracturus interpretationem] I. e. verba tracturus interpretatione; non sane audacius quam Ann. XVI, 2. *Nova ubertate provenire terram.* Dial. 9. *utilitates alunt.* Edd. cum Acidalio

militibus erat, culpae vel gloriae socius. **4.** Proxima 69.
Cornelii Fusci procuratoris auctoritas. is quoque inclementer in Vitellium invehi solitus nihil spei sibi inter adversa reliquerat. Titus Ampius Flavianus, natura ac senecta cunctatior, suspiciones militum irritabat, tanquam affinitatis cum Vitellio meminisset; idemque quod coeptante legionum motu profugus dein sponte remeaverat, perfidiae locum quaesisse credebatur. nam Flavianum omissa Pannonia ingressum Italiam et discrimini exemptum rerum novarum cupido legati nomen resumere et misceri civilibus armis impulerat, suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie praetenderetur. **5.** Ceterum ut transmittere in Italiam impune et usui foret, scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Moesico celeraret. ac ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazugum, penes quos civitatis regimen, in commilitium asciti; plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant. remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, aut maiore ex diverso mercede ius fasque exu-

Cic. Orat. II, 37. *Homo auctoritate gravis*. Edd. ex BG. *gratior*.

C. 5. *Aponio Saturnino*] Ma. *Aponio Satium* ac statim transilit ad c. 7. *revirescere* — c. 9. *ut inimici* ac tum redit ad c. 5. *nino cum* (vel *innocū*) *exercitum Moesico celeraret*. Ceteri codices in transpositionem conspirant, corruptiones cumulant. Pichena verum ordinem restituit, idemque corrupta post alios sanavit. Ritter.

interpretatione, coll. Cic. Acad. IV, 36. Doed.

C. 4. *Ampius*] Cf. c. 10.

cunctatior] Scil. quam Antonius et Fuscus, non: *quam iustum erat*. Plin. Epp. II, 16. *Cunctatior fortasse et cautior esse deberem*, coll. IX, 13. eodem sensu quo *cunctantior*. Lipsius *cunctator* edidit, coll. II, 25.

C. 5. *externa molirentur*] Sensus: Ne assuefierent rerum externarum curam agere, πολυπραγμονεῖν in rebus ad suam civitatem nil pertinentibus seque immiscere rebus Romanis et partibus alterutris accedere, ubi discordiae et bella civilia nascerentur. Ex Ern. Immo duae hae agendi causae ac rationes dividendae sunt inter duo consilia et facta: Romanus primum princi-

69. erent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos, et gens fidei commissae patientior. Posita in latus auxilia, infesta Raetia, cui Porcius Septiminus procurator erat, incorruptae erga Vitellium fidei. igitur Sextilius Felix cum ala Auriana et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, missus. Nec his aut illis praelium tentantibus fortuna partium alibi transacta.

6. Antonio vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti comes fuit Arrius Varus, strenuus bello; quam gloriam et dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant. idem secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus; unde infami gratia primum pilum adepto laeta ad praesens male parta mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus occupata Aquileia quaeque proxima et Opitergii et Altini laetis animis accipiuntur. relictum Altini praesidium adversus

C. 6. *quaeque proxima* Waltherus. At Ma. *proxima quaeque*. Edd. ex A. *in proxima quaeque*.

pes Sarmatarum ascivit, ut gens principibus suis orbata quiesceret, nec dum inter se discordarent Romani, externum Romanis bellum moveret; deinde amplius eiusdem gentis auxilium recusavit, ne si separatim tanta Sarmatarum vis in exercitu Romano ageret, ad hostem occasione data transirent. Vid. IV, 32. *Ut* (Civilis) *absisteret bello neve externa falsis armis velaret*. Doed.

Sido] Vid. Ann. XII, 29. 30. — *Italicus* fortasse Sidonis aut Vangionis filius, certe diversus ab Italico, de quo Ann. XI, 16. Ryck.

fidei commissae] Coaluit haec locutio ex *fidei datae* et ex *dexterae commissae*. Virg. Aen. XII, 60. *Manum committere Teucris*, coll. III, 428. Ovid. Her. II, 31. *Commissa dextera dextrae*, i. e. iuncta. At Ma. *commissior*. Doed.

Aeni Rhenanus coll. G. 28. Hodie *Inn*. At MSS. *Rheni*. Vid. Mannert Geogr. T. III. p. 529.

C. 6. *Arrius Varus*] Vid. Ann. XIII, 9.

primum pilum] Erat enim primipilaribus centurionibus dignitas equestris.

mox in perniciem] An per Domitiam, Corbulonis filiam? quam Domitianus Aelio Lamiae abduxit. Suet. Dom. I, 10. Dio C. LXVI, 3. Ryck.

Opitergii et Altini] Hodie *Oderzo* et *Altino*.

classem Ravennatem, nondum defectione eius audita. 69
Inde Patavium et Ateste partibus adiunxere. Illic cognitum tris Vitellianas cohortes et alam, cui Sebonianae nomen, ad Forum Alieni ponte iuncto consedisse. placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. Luce prima inermos plerosque oppressere. praedictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent; et fuere qui se statim dederent; plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt. 7. Volgata victoria, post principia belli secundum Flavianos duae legiones, septima Galbiana, tertia decuma Gemina, cum Vedio Aquila legato Patavium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumpti; et Minucius Iustus praefectus castrorum legionis septimae, quia adductius quam civili bello imperitabat, subtractus militum irae ad Vespasianum missus est. desiderata diu res interpretatione gloriaque maius accipitur, postquam Galbae imagines discordia temporum subversas in omnibus municipiis recoli iussit

C. 7. *duae legiones* edd. At Ma. *datae legiones.* Suspicatur Kiesslingius: *post principia belli secundum Flavianos data legiones*, ut Ann. IV, 43. *Ita secundum Messenios datum.* Suet. Cl. 15. *Secundum praesentes facillime dabat.* Sed his quidem locis quoniam de *iudiciis* narratur, *dare* recte habet, non item illic, ubi de *eventis* sermo est.

Ateste Beroaldus, hodie *Este.* Neutrum est ut *Praeneste.* At Ma. *Aceste.*

Forum Alieni] Hodie *Alenite*, vel ut alii volunt, *Ferrara.*

C. 7. *adductius*] H. e. habenis quasi adductioribus; ut Ann. XII, 7. XIV, 4. Germ. 43.

desiderata diu res] H. e. ea tutela adductius imperantium et constantia adversus seditiosos, quam pridem per civilia bella omissam diu optimus quisque maximeque provinciales et pacati desideraverant, quanquam res per se levis, ideo tanquam grave meliorum temporum specimen extollebatur, quod reliqua earundem partium edicta eandem normam et severitatem praeferebant. Nempe et interpretabantur municipales, talem Galbae cultum de Galbani imperii imitatione, et gloriabatur Antonius facto suo tanquam pio et iusto. Ceterum *gloriaque in maius* I. Gronovius, h. e. gloriatione, ut Ann. I, 8. *gloria et iactantia apud posteros.* At Ma. *gloriaeque maius*, cuius auctoritate *in* delevi ante *maius*, ut Ann. XIV, 43. *deterius mutari.* Ritterus qui *gloriaeque* retinuit, statim lacunae signum posuit.

69. Antonius, decorum pro causa ratus, si placere Galbae principatus et partes revirescere crederentur. 8. Quaesitum inde quae sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua praevalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur. Possessa ipso transitu Vicetia; quod per se parum (etenim modicae municipio vires), magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Caecinam genitum et patriam hostium duci ereptam. In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes iuvere. et interiectus exercitus per Raetiam Iuliasque Alpes; ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. Quae ignara Vespasiano aut vetita: quippe Aquileiae sisti bellum expectarique Mucianum iubebat, adiiciebatque imperio consilium, quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad

decorum pro causa] Vid. ad I, 5.

C. 8. *in rem famamque*] Ut Ann. IV, 33. *Haec tradi in rem fuerit.*

Vicetia] Hodie *Vicenza.*

pretium fuit] Plene: In Veronensibus occupandis operae pretium fuit. Cf. A. I, 57.

per Raetiam edd. At Ma. *ptiam.* De veritate illius emendationis dubito. Nec enim erat interiectus exercitus *per* Raetiam, sed *inter* Raetiam et Noricum (vid. c. 5.); deinde si fuisset, prorsus otiaretur additamentum *ac ne . . . pervium foret*; denique Latine copulari vix potest *interiicere per.* Turbas auguror ac totum locum sic rescribendum suspicor: Veronenses *exemplo opibusque partes iuvere; ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret* (scil. effecere, si occupati obtinerentur). *Et interiectus exercitus Raetiam* Iuliasque Alpes obsepserat; scil. ut Germanorum Raetorumque auxilia intersepirentur, ut ipse Antonius iactat c. 53. Simili brevitate Ann. I, 47. *Quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur*, scil. metuebat. Nempe Verona viam qua exercitus hostiles videbantur accessuri, obserabat. Nam *per Germanicos exercitus* intelliguntur Vitelliani cum Caecina appropinquantes, non *ingens Germanorum vis*, quae c. 15. memoratur. Barbaris enim catervae sunt, non exercitus. Doed.

consilium] H. e. causam ac rationem imperii. Tanto pravius fecit Antonius, quod Vespasianus eum non dicto audientem esse voluerat, sed socium consiliorum facere dignatus erat.

deditionem subigi. Eadem Mucianus crebris epistolis 69.
monebat, incruentam et sine luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo, sed gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens. ceterum ex distantibus terrarum spatiis consilia post res afferebantur. 9. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium irrupit, tentatisque levi praelio animis ex aequo discessum. Mox Caecina inter Hostiliam, vicum Veronensium, et paludes Tartari fluminis castra permuniit, tutus loco, cum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur. quodsi affuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duae legiones, nondum coniuncto Moesico exercitu, potuere, aut retro actae deserta Italia turpem fugam conscivissent. sed Caecina per varias moras prima hostibus prodidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiae firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana advenit. legioni tribunus Vipstanus Messala praeerat, claris maioribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans. simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et volgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus quod aut corrumperet hostem aut terreret. Flavianarum partium duces, omissa prioris fortunae defensio-

C. 8. *post res* scil. gestas edd. ex R. At Ma. *partes*. Suspicor: *patratis*. Ann. XII, 26. *Quibus patratis*. Doed.

sed] Scil. revera, quia gloriae avidus erat; ut alibi *ceterum* opponitur praetextui.

C. 9. *Hostiliam*] Hodie *Ostiglia*. — *Tartari* fluminis inter Athesin et Padum et per fossam Pado coniuncti; hodie *Tartaro*. At Ma. *Hostiam* et *Cartaro*.

fugam conscivissent] H. e. fecissent, ut Livius passim. Rupertius explicat *decrevissent*.

tempora] Occasiones, καιροὺς significat.

corrumperet] I. e. ad transitionem alliceret.

69. ne, pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exercitu securi, in Vitellium ut inimici praesumpsere, facta tribunis centurionibusque retinendi quae Vitellius indulsisset spe. atque ipsum Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatae pro concione epistolae addidere fiduciam, quod submisse Caecina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim tanquam insultantes Vitellio scripsissent.

10. Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires et militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianae legioni in adversa fronte valli opus cesserat, et visi procul sociorum equites vanam formidinem ut hostes fecere. rapiuntur arma, et ut proditionis ira militum in Titum Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, sed iam pridem invisus turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitabant. nec defensioni locus, quanquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. id ipsum apud infensos incitamentum erat, tan-

praesumpsere] Scil. inimica verba et contumelias; id enim latet in plurali *inimici*, ut in Virg. A. II, 1. *Conticuere omnes intentique ora* [scil. intenta] *tenebant;* sed ea *praesumpsere*, quia non ipsi lacessiti erant ullis Vitellianorum in Vespasianum contumeliis; ergo ἔφθησαν κακῶς λέγοντες τοὺς ἑτέρους.

epistolae, tam Antonii ad Caecinam datae quam a Caecina acceptae.

C. 10. *militari vallo*] In modum castellorum et diverso ab illo, quod ab oppidanis pridem exstructum invenerant.

ut proditionis] Scil. *reum* vel *damnatum* vel *crimine*, ut in illo *maiestatis postulare*. Aliter Gronovius: „Est ira quasi „ob proditionem, ut Livio IV, „50. V, 33. *ira quaestionis*, *ira* „*corruptae uxoris*, similia. *Ira* „*militum* ut *ira deum*. Iam *mi-* „*litum ira proditionis* dictum „ut Cic. N. D. II, 63. *Canum* „*adulatio dominorum*." Doed.

stratus] Reflexivo sensu dictum, non passivo. Ipse se saepe prostravit ad pedes militum, saepe resurrexit, vestem laceravit desperans. Nam timor hominis, non violentia militum describitur.

ora singultu quatiens] Vide-

quam nimius pavor conscientiam argueret. Obturba- 69.
batur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret; fremitu et clamore ceteros aspernantur. uni Antonio apertae militum aures: namque et facundia aderat mulcendique volgum artes et auctoritas. Ubi crudescere seditio, et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, iniici catenas Flaviano iubet. sensit ludibrium miles, disiectisque qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. opposuit sinum Antonius, stricto ferro, aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans; ut quemque notum et aliquo militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens; mox conversus ad signa et bellorum deos, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam iniicerent orabat, donec fatisceret seditio et extremo iam die sua quisque in tentoria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discri-

ri possit pro *cum singultu* dictum, ut II, 70. *clamore et gaudio.* Sed est ablativus instrumentalis, si imago petita est ex Virg. Aen. V, 199. *Tum creber anhelitus artus aridaque ora quatit.*

conviciis, quae singularibus vocabulis constant; *ac probris*, quae sententiis et enunciationibus proferuntur: vid. Synon. T. IV. p. 198.

ludibrium] Sicut Vitellius *saevitiam militum . . simulatione vinculorum frustratus est;* vid. I, 58.

sinum] Scil. vestis brachio circumvolutae, scuti imaginem; ut V, 22. *circum brachia torta veste, strictis mucronibus.* Add. Plut. Tib. Gracch. 19.

obviis . . litteris] Obscuriora haec ita intelligo: Flavianus eadem nocte profectus est castris. Sed periculum erat ne ab infensis militibus ex itinere retraheretur. At servatus est casu litteris Vespasiani, nescio qua de re eadem nocte in castra allatis; quarum auditu et recitatione milites occupati sunt ac detenti, ut Flaviani oblivíscerentur. Extorta, fateor, haec est explicatio ac mallem verba *obviis Vespasiani litteris* prorsus abessent; at aliquanto tamen quaesitior est ratio I. Fr. Gronovii. „Non poterat deterreri miles quin Flavianum proditorem crederet, nec „quidquam verisimilius, quam „fuisse qui hoc nomine illum ad „comitatum deferrent. Antonius „Primus insontem esse non dubitabat. Ab hoc igitur furentibus ereptus dimissusque vel eodem auctore vel sua sponte suscepit iter ad principem, ut ei „se coram purgaret. Sed homo „natura ac senecta cunctator „(v. cap. 4.) non rapientibus vehedis, sed per commodum suum „in viam se dedit. Citius igitur „litterae, tum quibus accusabatur, tum quibus excusabatur, „ad Vespasianum pervenerunt,

69. mini exemptus est. **11.** Legiones, velut tabe infectae, Aponium Saturninum Moesici exercitus legatum eo atrocius aggrediuntur, quod non ut prius labore et opere fessae, sed medio diei exarserant, volgatis epistolis quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. ut olim virtutis modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat, ne minus violenter Aponium quam Flavianum ad supplicium deposcerent. quippe Moesicae legiones adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt. nec tam Primus et Aponianus et Messala, quanquam omni modo nisi, eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus. mox omissis lictoribus Patavium concessit. Digressu consularium uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis et obversis militum studiis. nec deerant qui crederent utramque seditionem fraude Antonii coeptam, ut solus bello frueretur.

12. Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes exitiosiore discordia, non suspicionibus volgi sed perfidia ducum, turbabantur. Lucilius Bassus classis Ravennatis praefectus ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur, partibus eius aggregaverat. nox proditioni electa, ut ceteris ignaris soli in

„et utrisque perpensis princeps eum statim absolvit periculoque exemit scriptis et ipse „litteris, quae Flaviano adhuc „profectionem continuanti *obviae* fuerunt, in via occurrerunt.“ Quis credat, Tacitum talis apud Vespasianum criminationis et purgationis ne verbulo quidem mentionem fuisse facturum? Doed.

C. 11. *lictoribus*] Quos etiam legati consulares habebant.

militum edd. ex G. B. At Ma. *militibus*; si vere, significat *militibus ad studia Antonii obversis*, ut Agr. 12. *studiis trahuntur*. Sed durum hoc. Quare suspicor cum Pichena: *militaribus studiis* ut Ann. I, 32. *militaribus odiis*. Doed.

principia defectores coirent. Bassus pudore seu metu, quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt; et paucis resistentium obumbratis ceterum volgus rerum novarum studio in Vespasianum inclinabat. tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet. Classis Cornelium Fuscum praefectum sibi destinat, qui propere accucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus Atriam pervectus a praefecto alae Vivennio Rufino praesidium illic agitante vincitur. sed exsoluta statim vincula interventu Hormi, Caesaris liberti: is quoque inter duces habebatur. 13. At Caecina, defe- 69.

C. 12. *obumbratis* Bachius, h. e. clamore obstrepentium superatis et in silentium actis, ut II, 39. *Nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur.* Plin. H. N. XXIII, 1. *Sapientiam vino obumbrari.* At Ma. *obūbratis.* Edd. ex G. *obtruncatis.* Si quid mutandum esset, suspicarer cum L. Schillero: *obturbatis*, ut c. 25. *Pulsos . . denso agmine obturbabat.* Doed.

tum pro *tum demum* ut I, 66.

Classis Cornelium Fuscum sqq.] Haec cum antecedentibus non cohaerere nonnullis interpretibus visa sunt; et sane I. Fr. Gronovius Savilii de hoc loco dubitationes non satis luculente refutavit, ut nuper rursus a Walthero novae dubitationes motae sint. Sed optime omnia cohaerent. Cum defectio pararetur, Lucilius Bassus adeo timidus trepidusque egit, ut milites non iniuria ei sive diffiderent sive propter ignaviam succenserent. Itaque pro viro tam ambiguo praefectum sibi illum fecere, qui partibus Flavianis statim ab initio acerrimam facem praetulerat. Conf. II, 86. Fuscus autem cupide militum in Bassum suspicionem fovit, ut molestum aemulum honesta specie posset amovere. Itaque Bassus honorata custodia Atriam missus est, ubi cum rumor de eius perfidia tempore spatioque atrocior factus esset, praefectus alae vinciendum eum curavit: sed exsoluta sunt vincula a liberto Caesaris, quem rectius de Basso edoctum fuisse suspicari licet. Ritter.

honorata custodia] Comitatus est specie honoris, revera custodiendi causa additus. Non aliter *Civilis filium primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum* Romani *honorate custodierant*, IV, 63. Quam Ernestius eandem putat, *libera custodia* ea quanquam non adeo molesta, tamen propius ab ignominiae specie afuisse videtur. Doed.

Atriam] Plin. H. N. III, 16. *Nobili portu oppidi Tuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Hodie *Atri.* Nempe sonus *dr* responsabat antiquis auribus Latinis, medio saltem vocabulo; quapropter κέδρος transiit in *citrus.* Vid. Lat. Wortbild. p. 148.

Caesaris liberti] Vespasiani. Vid. c. 28. IV, 39.

69. ctione classis volgata, primores centurionum et paucos militum, ceteris per militiae munera dispersis, secreta castrorum affectans in principia vocat. ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem; in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius. mox incipientibus qui conscii aderant, ceteros re nova attonitos in verba Vespasiani adigit. simul Vitellii imagines dereptae, et missi qui Antonio nuntiarent. Sed ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellii effigies aspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt. Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine praelio, sine volnere vinctas manus et capta traderent arma? quas enim ex diverso legiones? nempe victas. et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecumanosque; quos tamen isdem illis campis fuderint straverintque, ut armatorum milia, velut grex venalium, exuli Anto-

C. 13. *in arto* edd. ex B. At Ma. *in arte.*

C. 13. *secreta castrorum affectans*] H. e. aucupans tempus, quo solitudo esset in castris. Ryck. Walthero secretas curas ad castra pertinentes intelligenti obstat usus verbi *affectare*, quod Latine significat i. q. *anxie quaerere*, nunquam i. q. *simulare*, sive *affectiren*. At Ma. *secretorum.*

imagines dereptae] Sc. de signis et vexillis. At MSS. *direptae*, Bachio explicatum: aliae alio raptae ac dispositae.

in fama] Ut Ann. XI, 19.

cuncta simul] Primum arrogans ferocia; dein odium in duces perfidiae manifestos; postremo pudor.

ut armatorum] Ironice loquuntur, hoc sententiarum ordine: Victis legionibus tradimur victores! Et abest insuper illis robur Othonianorum, quod metuendum nobis sit; ac tamen idem robur vicimus; sed vicimus, ut videtur, non alio nimirum consilio ac pretio, quam ut exuli Antonio donaremur! Ceterum verum videtur quod exhibent GHB. *ut tot armatorum*, ut IV, 13. *Si tot armatorum millia Italiam irrupissent.* Nam *tot* ita demum sine languore sententiae deesse posset, si Antonio *infra mille* milites affuissent. Dord. Ironiam istam aut structurae rationem quasi ex verbo *vicimus* aptam non assequor. Immo transpositum membrum suam in sedem sic reducamus: *Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine praelio .. vinctas manus et capta traderent arma, aut*

nio donum darentur. octo nimirum legiones unius clas- 69.
sis accessionem fore. id Basso, id Caecinae visum: postquam domos, hortos, opes principi abstulerint, etiam militibus principem auferre. Integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa? 14. Haec singuli, haec universi, ut quemque dolor impulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus vincla Caecinae iniiciunt; Fabium Fabullum quintae legionis legatum et Cassium Longum praefectum castrorum duces deligunt; forte oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros et insontes, trucidant; relictis castris, abrupto ponte Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Ita-

tot armatorum millia . . . exuli Antonio donum darentur? Bernh.

exuli Antonio] Nam falsi damnatus sub Nerone exilio haud dubie multatus fuerat; vid. II, 86.

auferre edd. At Ma B. *auferre litem*, reliqui *auferre licet*. *Non frustra*, *credo*. Suspicor cum Broterio: *postquam domos, hortos, opes abstulerint, etiam militibus principem auferre, principi militem*. Ergo transposui tantum *principi*, non ex meo inculcavi. Neque enim ipsi Vitellio opes abstulerat Caecina, sed civibus et reipublicae; vid. II, 92. Ceterum in Ma. est *principis*. Doed. Acumen profecto eximium et eleganter formatum, quod placidis animis aut doctae coronae aut circulatori cuipiam Vibuleno (v. A. I, 22.) plane conveniat; simpliciorem tamen sententiam verissimus dolor et indignatio militum requirit ab argutis sensiculis aliena. Conqueruntur enim legiones ab iisdem ducibus, qui principi res lectissimas abstulerint, sibi quoque decus et praesidium carissimum, id est, principem auferri. Infra c. 37. *quod consul rem publicam, dux imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus amicum prodidisset*. Nihil igitur ad vigorem sermonis desideramus praeter unum animi graviter commoti indicem, particulam dico *scilicet*, quam libri haud obscure significant. Nos, *natürlich*, *begreiflich*: cf. Madvig. in Cic. de Fin. p. 620. Bernh.

reposcentibus . . adversa] Breviter dictum pro *reposcentibus rationem . . adversorum*, h. e. exprobrantibus adversa; ut fere Ann. IV, 58. *Idque Augusta exprobrabat, reposcebat*. Hoc interrogant: „Quid responsuri sumus, si ex nobis quaerent, cur Vitellii fortunam seu prosperam sive adversam deseruerimus? nam principis sui res deserere ac prodere nefas esse!“ quoniam si adversae deserantur, ignaviae et perfidiae sit; sin prosperae deserantur, perfidiae simul et stultitiae. Nempe post *adversa* mente addendum est: *quae deseruerimus*. Doed.

69. licae et unietvicesimae Rapaci iungerentur, quas Caecina ad obtinendam Cremonam cum parte equitum praemiserat.

15. Ubi haec comperta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus aggredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium et iunctis legionibus fiducia rediret. namque Fabium Valentem profectum ab urbe acceleraturumque cognita Caecinae proditione coniectabat; et fidus Vitellio Fabius, nec militiae ignarus. simul ingens Germanorum vis per Raetiam timebatur; et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat, immensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens festinato praelio victoriam praecepisset. Universo cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. Postero die legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missae, ut specie parandarum copiarum civili praeda miles imbueretur. ipse cum quattuor milibus equitum ad octavum a Bedriaco progressus, quo licentius popularentur. exploratores, ut mos est, longius curabant. 16. Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques adventare hostes, praegredi paucos, motum fremitumque late audiri nuntiavit. Dum Antonius quidnam agendum consultat, aviditate navandae operae Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit, impulitque Vitellianos, modica caede: nam plurium accursu versa fortuna, et acerrimus quisque se-

C. 15. *per Raetiam*] Scil. agens.

belli luem] Scil. futuram, *γιγνομένην ἄν, εἰ μή*. Nam *lues* ut Ann. II, 47. pestem vel rem bello Vespasiani exitiosam significat. Quanquam melius quadrat quod proposuit Faernus: *belli molem*, ut Ann. XV, 2. *dum ipse . . molem belli ciet*, coll. VI, 36. I, 60. Doed.

secundis . . castris] H. e. itinere bidui confecto, castris bis positis, ut *tertiis castris* IV, 71. Liv. XXXVIII, 24. Rupert.

imbueretur] Impleretur. Vid. I, 83. IV, 7.

longius curabant] Scil. munus suum, explorationem, ut Ann. XI, 22. *Duo additi* (quaestores) *qui Romae curarent*. Ne quis *cursabant* suspicetur.

C. 16. *acerrimus . . erat*] Sensus est: Vitelliani quanquam

quentium fugae ultimus erat. Nec sponte Antonii pro- 69.
peratum, et fore quae acciderant rebatur. hortatus suos ut magno animo capesserent pugnam, diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque eius reciperet; iussae armari legiones; datum per agros signum, ut qua cuique proximum omissa praeda praelio occurrerent. Pavidus interim Varus turbae suorum miscetur, intulitque formidinem. pulsi cum sauciis integri suomet ipsi metu et angustiis viarum conflictabantur. 17. Nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis aut fortissimi militis officium omisit. occursare paventibus, retinere cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis. eo postremo ardoris provectus est ut vexillarium fugientem hasta transverberaret; mox raptum vexillum in hostem vertit: quo pudore haud plures quam centum equites restitere. Iuvit locus, artiore illic via et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo et praecipitibus ripis fugam impediebat. ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit. Firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos. atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare, capere, arma

C. 17. *restitere* edd. At Ma. *resistere*.
illi Rhenanus; *illic* MSS.

fugati tamen paucos suorum amisere, primum quod brevis erat eorum fuga, dein quod non dissoluta, ultimis fugientium virtute sua primorum terga tutantibus; postquam enim in fugam se converterunt, iidem ultimi esse coepere, qui antea in persequendo primi et acerrimi fuerant. Doed.

occurrerent edd. ex more Taciti post *quisque*. At Ma. teste Ryckio *occurreret*. Liv. X, 43. *Neutri proelio occurrerunt*, h. e. ad proelium concurrerunt.

C. 17. *manu*] Tam retinendo suos quam caedendo hostes. Plenius eadem de Arminio Ann. II, 17. *Manu*, *voce*, *vulnere sustentabat pugnam*. Doed.

vexillarium] Non unum e vexillo, sed ipsum signiferum vexilli significat, ut I, 41. Liv. VIII, 8. Eius igitur necati manibus eripuit vexillum Antonius, ut priscorum ducum exemplo ipse adversus hostem ferret. Doed.

rivi] Hodie Delmona. Ex Ryck.

69. equosque abripere. et exciti prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriae se miscebant. 18. Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum signa Rapacis atque Italicae, laeto inter initia equitum suorum praelio illuc usque provecta. sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque aggredi hostem tantum per spatium cursu et pugnando fessum. forte victi haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant atque in adversis deesse intellegebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat, et Vipstanus Messala tribunus cum Moesicis auxiliaribus assequitur, quos militiae legionariis quanquam raptim ductos aequabant. ita mixtus pedes equesque rupere legionum agmen. et propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant. 19. Nec Antonius ultra institit, memor laboris ac volnerum, quibus tam anceps praelii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque afflictaverat. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. utque cumulos super et recentia caede vestigia

C. 18. *forte victi*] Cum fortuna potius quam sua ignavia victi essent. Quia tamen non tam fortuna quam Antonii consilio et constantia victi essent, labat illa qualiscunque interpretatio. Suspicor: *Fortes victi*, h. s. Cum quamvis fortes se praestitissent, tamen victi essent, iusti ductus defectu id accidisse intelligebant. Ducis enim unius si affuisset auctoritas et imperium, non evenisset ut legio Rapax turbatos commilitones non reciperet; nunc penes multos imperium erat et, sibi quoque consulente, universi victi sunt. Doed. Equidem dubito num *fortes* dici potuerint, qui fortitudinis nullum tum specimen edidissent. Nam fortes ne pro substantivo habeatur, obstat ratio sermonis Latini. Cum tamen illae legiones, rectore suo destitutae, casu et impetu partium fugatarum eandem in cladem fuerint pertractae, suspicor integram hanc extitisse scripturam: *forte et vi tracti*. Bernh.

militiae] H. e. expeditiones, ut IV, 38. *Militiae sine affectu.* Tibull. I, 3, 82. *Illic sit, quicunque meos violarit amores, optavit lentas et mihi militias.* Sensus est: Auxiliares Moesici quanquam raptim vel citato agmine ex Moesia adducti ideoque fessi, tamen militando adeo edurati erant, ut parem ac legionarius miles virtutem praestarent. Doed.

C. 19. *cumulos*] Scil. stratorum corporum.

recentia caede] Ex Virg. A. IX, 455. *tepidaque recentem caede locum.*

incessere, quasi debellatum foret, pergere Cremonam 69.
et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt. Haec in medio, pulchra dictu; illa sibi quisque, posse coloniam plano sitam impetu capi. idem audaciae per tenebras irrumpentibus, et maiorem rapiendi licentiam. quodsi lucem opperiantur, iam pacem, iam preces, et pro labore ac volneribus clementiam et gloriam, inania, laturos: sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore. expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere. Spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur. 20. Tum Antonius inserens se manipulis, ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, non se decus neque pretium eripere tam bene meritis affirmabat; sed divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo, consultando, cunctatione saepius quam temeritate prodesse. ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit, ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum. neque enim ambigua esse quae occurrant, noctem et ignotae situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna. non si pateant portae, nisi explorato, nisi die intrandum. an oppugnationem inchoaturos adempto omni prospectu, quis aequus locus, quanta altitudo moenium, tormentisne et telis an operibus et vineis aggredienda urbs foret. Mox con-

C. 19. *plano* edd. At Ma. *plane.*

C. 20. *et vineis*] In BMR. additum: *machinamenti genus ad*

in medio] H. e. palam.

idem audaciae] Scil. opus esse.

iam preces] Scil. fore.

clementiam] Clementiae commodandae occasionem et commodatae famam; *et gloriam* scil. captae urbis. Non est ἓν διὰ δυοῖν, arguente plurali appositionis *inania.* Doed.

expugnatae . . pertinere] Liv. XXXVII, 32. *Captas, non deditas diripi urbes.*

C. 20. *noctem . . situm urbis*] Liv. V, 39. *Noctem veriti et ignotae situm urbis.* In MaCA. *nocte* legitur.

69. versus ad singulos, num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent rogitabat. et cum abnuerent, „gladiisne“ inquit „et pilis perfringere ac subruere muros ullae manus possunt? si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut volgus improvidum irriti stabimus, altitudinem turrium et aliena munimenta mirantes? quin potius mora noctis unius, advectis tormentis machinisque, vim victoriamque nobiscum ferimus?“ Simul lixas calonesque cum recentissimis equitum Bedriacum mittit, copias ceteraque usui allaturos. 21. Id vero aegre tolerante milite prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa moenia vagos ex Cremonensibus corripiunt, quorum indicio noscitur sex Vitellianas legiones omnemque exercitum qui Hostiliae egerat, eo ipso die triginta milia passuum emensum, comperta suorum clade in praelium accingi ac iam affore. Is terror obstructas mentes consiliis ducis aperuit. sistere tertiam decumam legionem in ipso viae Postumiae aggere iubet, cui iuncta a laevo septima Galbiana patenti campo stetit, dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) praemunita; dextro octava per apertum limitem, mox tertia densis arbustis intersepta. Hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tu-

expugnandos muros in modum turrium factum, *is*. Glossam redolent, cum praesertim II, 21. eaedem vineae memoratae sint, nulla expositione instructae.

C. 21. *a laevo* edd. At Ma. *in alaevo*, male repetito *in* ex vs. superiore.

tertia Pichena. At MSS. *tertia decima*. Vid. c. 24.

aliena] Nempe pudori esse debet, hostilia non posse contemnere ac superare.

nobiscum ferimus] Ita ut non quaerenda demum et paranda sit victoria.

C. 21. *viae Postumiae*] Fortasse stratae ab A. Postumio Albino, de quo Liv. XLI, 27. Rup.

per apertum limitem] Intellige viam campestrem, non densis arbustis consitam et a via Postumia per agros versam. Walth.

tulerat; praetorianum vexillum proximum *tertianis*, cohortes auxiliorum in cornibus; latera ac terga equite circumdata; Sido atque Italicus Suevi cum delectis popularium primori in acie versabantur. 22. At Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonae et reciperatis cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac proruere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis impingitur. Ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras asseverare non ausim, quanquam alii tradiderint quartam Macedonicam dextro suorum cornu, quintam et quintam decumam cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum mediam aciem, sextadecumanos duoetvicesimanosque et primanos laevum cornu complesse. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant. eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. Praelium tota nocte varium, anceps, atrox, his, rursus illis exitiabile. nihil animus aut manus, ne oculi quidem provisu iuvabant. eadem utraque acie arma; crebris interrogationibus notum pugnae signum; permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat. Urgebatur maxime septima legio, nuper a Galba conscripta. occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quaedam signa: ipsam aquilam Atilius Verus primipili centurio multa cum hostium strage et ad extremum moriens servaverat. 23. Sustinuit labantem aciem Antonius accitis praeto-

69

C. 22. *cornu* edd. At Ma. *cornum*. Vid. in Ann. XIII, 40.

C. 22. *ratio fuit*] H. e. consilium vel decretum fuit, ut Ann. III, 21. *Dum ea ratio barbaris fuit*. Aliter Ernestius; tanquam id facere Vitelliani non tam *voluissent* quam *debuissent*.

asseverare] H. e. cum asseveratione tradere.

notum pugnae signum] H. e. tessera, *σύνϑημα*. Eae utrisque partibus innotuerant, ita ut arcanum unarum partium esse desiisset.

primipili centurio] In huius enim custodia erat aquila.

69. rianis. qui ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. namque Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo et arbustis sine hostium noxa illisa. Magnitudine eximia quintae decumae legionis balista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat. lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormentorum abscidissent. statim confossi sunt, eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque; sed Flavianis aequior, a tergo: hinc maiores equorum virorumque umbrae, et falso, ut in corpora, icta tela hostium citra cadebant; Vitelliani adverso lumine collucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur. **24.** Igitur Antonius ubi noscere suos noscique poterat, alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens, cur rursus sumpsissent arma,

C. 23. *quintae decumae* Lipsius, ob c. 22. et II, 100. At MSS. *quartae decumae.*

C. 23. *vacuo*] H. e. *in vacuum et apertum.*

tormentorum] De una haud dubie et ingenti illa balista pluralis intelligendus, eodem fortasse usu quo *fossae* Ann. II, 8. significant *magnam fossam*. Ritterus et huius et ceterarum eodem loco collatarum balistarum vincla abscisa existimat. Falso. Nam duo illi milites non potuerant uni ac primae talem dolum ac vim adhibere quin statim effectus sentiretur ipsique confoderentur; simul enim duobus utrique alterum balistae tignum escendendum erat, clam vel specie operis adiuvandi, ut eodem momento temporis funes aliquo spatio diremptos absciderent. Consentit de una machina Xiphilin. LXV, 14. *ἐπειδὴ γὰρ ἰσχυρῶς ἐκ μηχανήματός τινος ἐβλάπτοντο .. μέχρι τῆς μηχανῆς ἐλθόντες ὡς καὶ ἐκείνων ὄντες, καὶ τὰ σχοινία αὐτῆς διέκοψαν.*

Flavianis aequior] Scil. erat, *a tergo* scil. surgens. Propterea punctum delevi post *falleret.*

falso . . ictu] Similiter in pugna Pompeii cum Mithridate. Vid. Plutarch. Pomp. 32.

C. 24. *cur rursus* Ferretus. At MSS. *cur rari.* Suspicor cum Lipsio: *cur resumpsissent arma?* ut II, 41. *Pugnam resumere.* Et c. 67. *Resumpta militia.* Nisi potius legendum: *Cur superati sumpsissent arma?* vel cum Oelschlaegero: *Cur irati,*

Pannonicas legiones interrogabat: illos esse campos, in 69
quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent. tum ad Moesicos conversus principes auctoresque belli ciebat: frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent. Haec, ut quosque accesserat; plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens, ut sub Marco Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent. mox infensus praetorianis „vos“ inquit „nisi vincitis, pagani, quis alius imperator, quae castra alia excipient? illic signa armaque vestra sunt, et mors victis: nam ignominiam consumpsistis.“ Undique clamor; et orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere. **25.** vagus inde, an consilio ducis, subditus rumor, advenisse Mucianum, exercitus in vicem salutasse. gradum inferunt quasi recentibus auxiliis aucti, rariore iam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore suus quemque impetus vel

coll. II, 86. *Pannonicae legiones . . dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes haud cunctanter Vespasiano accessere.* Doed.

principes .. belli] Nam hi *per epistolas allexerant Pannonicum exercitum et abnuenti vim paraverant*: vid. II, 85.

minis] Int. gestibus minacibus, manus intendendo. Vid. in I, 69.

sub M. Antonio] Centum ante annis, neque quoquam ex illis victoribus tunc superstite. Xiphil. XLIX, 22—33.

Armenios] Vid. Ann. XV, 26. — *Sarmatas*] Vid. Hist. I, 79.

infensus revocavi ex MSS. At edd. *infensius* cum Gronovio, male; nam tertianos *blande* prorsus admonuerat, non *minus infense* quam praetorianos. Doed.

pagani] Convicii loco est. Opponuntur enim *pagani* (*Civilisten*) *militibus* (cf. Suet. Aug. 27.), ut *togati*, nisi quod minus honorifice. Vid. Heinrich. in Iuven. XVI, 33. qui non male vertit *Philister*. Add. Hist. II, 88. IV, 20. Hoc loco vertas *Spiessbürger*. Doed.

ignominiam consumpsistis] Ut Sil. It. XI, 34. *Consumptusque pudor peccando.* Sensus est: ignominiosis poenis omne genus nequidquam adhuc castigati, rursus si fugeritis, ultimum supplicium expectate.

in Syria] Nam haec legio e Syria deducta, in qua sub Corbulone militaverat. De more Herodianus IV, 15. de Parthis qui pugnam inituri orto iam sole: *ἀσπασάμενοι δὲ τὸν ἥλιον, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι μεγίστῃ κλαγγῇ βοήσαντες ἐπέδραμον τοῖς Ῥωμαίοις.*

69. pavor contraheret duceretve. Postquam pulsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat. laxati ordines abrumpuntur; nec restitui quivere impedientibus vehiculis tormentisque. per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores. Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. rem nominaque auctore Vipstano Messala tradam. Iulius Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, impubem filium domi liquerat. is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem et volnere stratum dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exsanguem amplexus, voce flebili precabatur placatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus; et unum militem quotam civilium armorum partem? simul attollere corpus, aperire hu-

C. 25. *contraheret duceretve*] Chiasmi lege verba ordinata sunt; alios enim, nullo imperio, suus ipsos impetus *ducebat*, scil. in hostes, ut plene Ann. I, 44. XIII, 54.; alios pavor *contrahebat* vel remissiores reddebat, ut semet tueri quam progrediendo incessere hostem satius haberent; sicut Horat. Epp. I, 7, 12. *Vates tuus . . sibi parcet contractusque leget.* Cic. Ep. Q. Fr. I, 1, 1. *Rogo te ne contrahas aut demittas animum.* At Lipsius *diduceretve* induxit, ita opinor ut acies eorum modo diductior esset (ut Agr. 35.) modo altioribus ordinibus contractior. Doed.

pulsos] H. e. *impulsos*, ut Ann. XI, 37. *Impetu venientium pulsae fores;* aut ita legendum cum Oberlino, ut ambiguitas vitetur.

Messala] Idem qui c. 9. memoratur tribunus, et suas in Dialogo agit partes. Scripsit historiam aevi sui, infra memoratam c. 28.

placatos Pichena, *piatos* Lipsius. At Ma. *platos*. Ceterum haesito utrum *placatos* per anticipationem dictum sit pro *placandos*, auctoritate Virg. G. IV, 547. *Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa*, an potius *manes* accusativus *rei* sit, non *personae;* h. s. *a diis* placatos patris manes precabatur, neve *dii* se aversarentur. Doed.

publicum] H. e. rempublicam, non ipsum hoc facinus commisisse.

et unum militem . . partem] Haec verba nullum ex ore huius militis habent momentum. Multo aptius tribus post versibus legentur: *et saevissimi belli exsecratio; et unum militem quotam civilium armorum partem!* Nam parricidii illi auctori convenit ut totus sit in sui facinoris deploratione, neque ad communium miseriarum mentionem tanquam suam ac privatam calamitatem etiam oblitterantium exspatietur; spectantium autem erat, imminuere privati mali atrocitatem publicae et vastioris cladis comparatione. Doed.

mum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere 69. proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli execratio. nec eo segnius propinquos, affinis, fratres trucidatos spoliant; factum esse scelus loquuntur faciuntque.

26. Ut Cremonam venere, novum immensumque opus occurrit. Othoniano bello Germanicus miles moenibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumiecerat, eaque munimenta rursus auxerat. quorum aspectu haesere victores, incertis ducibus quid iuberent. Incipere oppugnationem fesso per diem noctemque exercitu arduum et nullo iuxta subsidio anceps. sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, et victoria ad irritum revolvebatur. munire castra, id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos et opus molientes subita eruptione turbarent. quae super cuncta terrebat ipsorum miles, periculi quam morae patientior: quippe ingrata quae tuta, ex temeritate spes; omnisque caedes et volnera et sanguis aviditate praedae pensabantur. 27. Huc inclinavit Antonius, cingique vallum corona iussit. primo sagittis saxisque eminus certabant, maiore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. Mox vallum portasque legionibus attribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. proxima Bedriacensi viae tertiani septimanique sumpsere, dexteriora valli octava ac septima Claudiana; tertiadecumanos ad Brixianam portam impetus tulit. Paulum inde morae, dum ex proximis agris ligones, dolabras, et alii falces scalasque convectant. tum elatis super capita scutis densa te-

C. 25. *trucidatos spoliant* edd. At Ma. *trucidati*. Suspicor cum Iac. Gronovio: *trucidant*, *spoliant*. Sic duo scelera divisim ideoque efficacius proponuntur.

C. 26. *munire castra . . ne*] Vid. II, 26. C. 27. *corona*] Vid. I, 68.

69. studine succedunt. Romanae utrinque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disiectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exsangues aut laceros prosternerent multa cum strage. 28. Incesserat cunctatio, — ni duces fesso militi et velut irritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent. Hormine id ingenium, ut Messala tradit, an potior auctor sit Gaius Plinius qui Antonium incusat, haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua quamvis pessimo flagitio degeneravere. Non iam sanguis neque volnera morabantur, quin subruerent vallum quaterentque portas, innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes prensarent hostium tela brachiaque. integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. 29. Acerrimum tertiae septimaeque legionum certamen; et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent, et superiacta tela testudine laberentur, ipsam postremo balistam in subeuntes

fluitantem] H. c. fluxam.

C. 28. *Cremonam*] Tanquam mercedem operae; nam diripiendae urbis spem faciunt. Nam *monstrare*, *demonstrare* nonnunquam est *polliceri*. Caes. B. Gall. V, 1. *Nisi ita fecerint, sese bello civitatem persecuturum demonstrat.*

ingenium] H. e. ingenii commentum, artificium. Disseruit de historia huius nominis Freund. praef. ad Lex. Latin.

nisi quod . . degeneravere] Sensus est: Sed hoc unum discerno, neutrum, etsi pessimum flagitium admiserint, aliquid cetera vita famaque indignum vel dissimile facturum fuisse. „Nam *degenerare* non solum a bonis tantum artibus sed etiam a vitiis homines dicuntur. Cic. Verr. III, 68. *Ut etiamsi natura puerum a paternis vitiis et a generis similitudine abduceret, consuetudo tamen et disciplina degenerare non sineret?*“ Ex Bipont.

pereuntium forma] Ex Thuc. III, 81. πᾶσά τε ἰδέα κατέστη θανάτου, coll. c. 98. Alterum *imagine mortium* ex Virg. A. II, 369. *Luctus ubique pavor et plurima mortis imago.*

C. 29. *obstinatos inter se*] Obstinatione inter se certantes. Ingeniose quidem Rupertius: *obstinatos vincere* coll. Liv. IX, 25. *Obstinatos claudere.*

testudine] Sine praepositione *de*, ut Virg. A. XI, 588. *Labere, nympha, polo*, coll. G. I, 366.

propulere, quae ut ad praesens disiecit obruitque quos 69.
inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit. simul iuncta turris ictibus saxorum cessit. qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam perfregit. Primum irrupisse Gaium Volusium tertiae legionis militem inter omnes auctores constat. is in vallum egressus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit. ceteri trepidis iam Vitellianis seque e vallo praecipitantibus perrupere. completur caede quantum inter castra murosque vacui fuit. 30. Ac rursus nova laborum facies, ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiae stato in eosdem dies mercatu congregata; quod defensoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob praedam erat. Rapi ignes Antonius inferrique amoenissimis extra urbem aedificiis iubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa fortissimo quoque militum complet; illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant. 31. Iam legiones in testudinem glomerabantur, et alii tela saxaque incutiebant, cum languescere paulatim Vitellianorum animi. ut quis ordine anteibat, cedere fortunae, ne Cremona quoque excisa nulla ultra venia, omnisque ira victoris non in volgus inops sed in tribunos centurionesque, ubi pretium caedis erat, reverteretur. Gregarius miles futuri

turris] Lignea haud dubie ac diversa a *saxeis turribus* urbis, c. 30.

gladiisque] Nempe valvas primum portae *securibus* fregerunt, dein his effractis militum globos apertum ostium defensantium *gladiis* perfregerunt.

C. 30. *nova . . facies*] Ex Virg. Aen. VI, 104. *Non ulla laborum, o virgo, nova mi facies inopinaque surgit.* Acidal.

Rapi ignes] Pro *arripi*.

illi ad *fortissimum quemque* referendum, post quod nomen quoniam *Antonius* significatus est in verbo *complet*, maluit *illi* quam *hi* scribere. — *trabibus*] Tectorum muris proximorum.

C. 31. *reverteretur*] Indi-

69. socors et ignobilitate tutior perstabat. vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. Primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur, catenas Caecinae (nam etiam tum vinctus erat) exsolvunt, orantqne ut causae suae deprecator assistat. aspernantem tumentemque lacrimis fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes. Mox velamenta et infulas pro muris ostentant. cum Antonius inhiberi tela iussisset, signa aquilasque extulere: maestum inermium agmen, deiectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victores, et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox, ut praeberi ora contumeliis, et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae temperassent. Sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis dimota turba consul incessit, exarsere victores: superbiam saevitiamque (adeo invisa scelera sunt), etiam perfidiam obiectabant. obstitit Antonius, datisque defensoribus ad Vespasianum dimisit.

32. Plebs interim Cremonensium inter armatos conflictabatur; nec procul caede aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad concionem Antonius alloquitur, magnifice victores, victos clementer, de Cremona in neutrum. Exercitus praeter insitam praedandi cupidinem vetere odio ad excidium Cremonensium incubuit. iuvisse partes Vitellianas Othonis quoque bello credebantur; mox tertiadecumanos ad exstruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus iurgiis illuserant. auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spe-

cat diversum vertendi ordinem, h. e. non in vulgus sed in primores; igitur a vulgo rursus in primores. WALTH.

infulas] Vid. I, 63.

temperassent] Nam *iisdem tentoriis alii fratrum alii propinquorum vulnera* foverant: vid. II, 45.

C. 32. *in neutrum*] Neque ad salutem neque ad perniciem.

ctaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in 69. acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad praelium progressae. tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiorum opum specie complebat. Ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. is balineas abluendo cruori propere petit: excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum ut incalescerent. vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tanquam signum incendendae Cremonae dedisset, quae iam flagrabat. 33. Quadraginta armatorum milia irrupere, calonum lixarumque amplior numerus et in libidinem ac saevitiam corruptior. non dignitas, non aetas protegebat, quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur. grandaevos senes, exacta aetate feminas, viles ad praedam, in ludibrium trahebant. ubi adulta virgo aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divolsus ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam vel gravia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia aspernati verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere; faces in manibus, quas, ubi praedam egesse-

C. 32. *maiorum* edd. ex B. At Ma. *maiorem*. Verum videtur, quod G. exhibet: *opum specie*. Doed.

caesae . . feminae] Ostendit Cremonensium animos adeo pro Vitellianis obstinatos, ut etiam feminae ad proelium egrederentur, quae a Flavianis caesae. Pichena.

vernile dictum] Non ignorabat Antonius iam flagrare vel brevi flagraturam esse urbem. Rem tam atrocem, sive ipsius iussu sive iniussu coeptam, in iocum vertere, vernile erat et imperatoria gravitate indignum. Hinc fama, Antonium incendium urbis non solum praevidisse sed etiam imperasse; quae verane sit necne, incertum relinquit scriptor. Doed.

C. 33. *stupra . . stupris*] H. e. alias ante caedem, alias post caedem stuprabant.

truncabantur] Pro obtruncabantur.

faces in manibus] Scil. *gerentes*, ut Virg. A. V, 136. *Considunt transtris, intentaque brachia remis* (scil. habentes) *Intenti expectant signum.* Ita enim distinguendum puto, colo post *remis* sublato. Frequenter

69. rant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam iaculabantur; utque exercitu vario linguis, moribus, cui cives, socii, externi interessent, diversae cupidines et aliud cuique fas nec quicquam illicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mefitis templum stetit ante moenia, loco seu numine defensum. **34.** Hic exitus Cremonae anno ducentesimo octogesimo sexto a primordio sui. condita erat Tiberio Sempronio et Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes, et si qua alia vis per Alpes rueret. igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, annexu connubiisque gentium adolevit floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit ne quis Cremonensem capti-

Lucianus ὁ τὴν κιθάραν, crebrius nos: *Fackeln in der Hand.* Vid. V, 23. Quare punctum sustuli post *eruere*. Doed.

in vacuas domos, h. e. a dominis relictas, *et inania templa*, h. e. donariis et vasibus spoliata. Vid. V, 9.

suffecit] Scil. incendio, alimenta flammarum praebendo.

in igne] Suspicor cum Heinsio: *in ignem* vel potius *ignes*, ut Virg. A. II, 624. *Tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium*, et Stat. Theb. III, 285. *Cum regia Cadmi fulmineum in cinerem monitis Iunonis iniquae consedit.* Alioquin *igne* dicendum fuit, non *in igne*.

Mefitis] Servius in Virg. Aen. VII, 84. *Aliqui Mephitem deum esse volunt Leucotheae annexum, sicut est Veneri Adonis, Dianae Virbius. Alii Iunonem intelligunt, quam aërem esse constat. Omnis autem putor ex corruptione aëris nascitur, sicut bonus odor ex aëre incorrupto. Igitur Mefitis erit dea avertens molestiam odoris gravissimi.* Plin. H. N. II, 93, 208. *In Hirpinis Amsancti ad Mefitis aedem, locum quem qui intravere, moriuntur.*

condita erat] Scil. colonis in id oppidum deducendis, non aedificando. Liv. XXI, 25. *Boii defecerunt . . quod nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas aegre patiebantur.* Epit. XX. *Coloniae deductae in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona.* Vell. Pat. I, 14. Polyb. III, 40.

Cornelio] Scipione. Liv. XXI, 6.

annexu . . gentium] Ex oppositione urbis intellige de externis, ut Hor. Carm. I, 2, 5. *Terruit urbem, terruit gentes.* Cremonenses coloni Romani, ineunt connubia *gentium*, h. e. non Romana. Walther. *Annexus* ad omne commercii genus, praecipue ad mercaturam refertur, *connubia* autem iniri non poterant nisi postquam de *connubio* publice pactum erat.

vom detineret; irritamque praedam militibus effecerat 69.
consensus Italiae, emptionem talium mancipiorum aspernantis. Occidi coepere. quod ubi enotuit, a propinquis affinibusque occulte redemptabantur. Mox rediit Cremonam reliquus populus. reposita fora templaque munificentia municipum; et Vespasianus hortabatur. 35. Ceterum assidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit; ad tertium lapidem progressi vagos paventesque Vitellianos, sua quemque apud signa, componunt. et victae legiones ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersae. In Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium praesidiis occupati, suspecta Germania, tanquam in auxilium Vitellii accingeretur.

36. At Vitellius profecto Caecina, cum Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum impulisset, curis luxum obtendebat. non parare arma, non alloquio exercitioque militem firmare, non in ore volgi agere; sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. Atque

munificentia municipum] Negligenter sane et parum sonore coniuncta. At Put. cum GHBI. *magnificentia municipum*, eodem sensu, ut c. 38. *comem et magnificum*.

C. 35. *assidere*] De exercitu Flaviano intelligendum, cui castra prope Cremonam habere haud licuerit, non, ut Pabstio visum, de cognatis, qui lugere apud sepulcra suorum cupiverint. Quare punctum delevi post *permisit*, ut seqq. quasi per *sed* annecterentur. Dörd.

nuntios famamque] Opposita sunt, non synonyma; partim nuntios publice misere, partim famae reliquerunt, ut res gestae illic sponte innotescerent.

ostentui] Horum enim missione et praesentia, qui ipsi partes erant victi exercitus, veritas rei ostendebatur, non item per *nuntios*, quos in Britanniam miserat.

C. 36. *Atque illum*] Vid. Hand. Tursell. III. p. 169.

69. illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit. nec multo post de Caecina affertur mixtus gaudio dolor, et descivisse et ab exercitu vinctum. Plus apud socordem animum laetitia quam cura valuit. multa cum exultatione in urbem revectus frequenti concione pietatem militum laudibus cumulat. Publium Sabinum praetorii praefectum ob amicitiam Caecinae vinciri iubet, substituto in locum eius Alfeno Varo. **37.** Mox senatum composita in magnificentiam oratione allocutus exquisitis patrum adulationibus attollitur. initium atrocis in Caecinam sententiae a Lucio Vitellio factum; dein ceteri composita indignatione, quod consul rem publicam, dux imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus amicum prodidisset, velut pro Vitellio conquerentes suum dolorem proferebant. Nulla in oratione cuiusquam erga Flavianos duces obtrectatio: errorem imprudentiamque exercituum culpantes Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. Nec defuit qui unum consulatus diem (is enim in locum Caecinae supererat) magno cum irrisu tribuentis accipientisque eblandiretur; pridie calendas Novembris Rosius Regulus iniit eiuravitque. annotabant periti nunquam antea non abrogato magistratu neque lege lata

in nemore Aricino] In valle Aricina. Liv. I, 21. *Lucus erat quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua, quo quia se persaepe Numa sine arbitris velut ad congressum deae inferebat, Camenis eum lucum sacravit.*

C. 37. *suum dolorem*] Quem ex iniuriis Caecinae privatim publiceque ceperant. Ex Ern.

suspensi] H. e. suspenso quasi gradu, anxii, ut Plin. Epp. VI, 12. *Tu vero non debes suspensa manu commendare mihi, quos tuendos putas.*

circumibant] Auct. ad Herenn. IV, 32. *Circuitio est oratio rem simplicem circumscribens elocutione;* coll. Cic. Divin. II, 61. Quintil. VIII, 2, 17. XII, 10, 34.

in locum Caecinae] Scil. sufficiendo vel successuro. Sed suspicor cum Ernestio: *unum consulatus diem (is enim supererat) in locum Caecinae magno cum irrisu . . eblandiretur.*

non abrogato] Sensus est: Caecinae tacito consensu, non senatus consulto, non lege lata consulatus ademptus ac successor datus est. Id novum erat; illud autem quod unum in diem aliquis sufficeretur, etsi rarum

alium suffectum. nam consul uno die et ante fuerat 69.
Caninius Rebilus Gaio Caesare dictatore, cum belli civilis praemia festinarentur.

38. Nota per eos dies Iunii Blaesi mors et famosa fuit; de qua sic accepimus. Gravi corporis morbo aeger Vitellius Servilianis hortis turrim vicino sitam collucere per noctem crebris luminibus animadvertit. sciscitanti causam apud Caecinam Tuscum epulari multos, praecipuum honore Iunium Blaesum nuntiatur. cetera in maius, de apparatu et solutis in lasciviam animis. nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blaesum incusarent, quod aegro principe laetos dies ageret. Ubi asperatum Vitellium et posse Blaesum perverti satis patuit iis, qui principum offensas acriter speculantur, datae Lucio Vitellio delationis partes. ille infensus Blaeso aemulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat, filium eius sinu complexus et genibus accidens. Causam confusionis quaerenti non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse. frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicae legiones, tot provinciae virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris immensis spatiis arceat. in urbe ac sinu cavendum hostem, Iunios Antoniosque avos iactantem, qui se stirpe imperatoria, co-

tamen non novum erat; nam et ante Rebilus consul uno die fuerat. DOED.

Caninius Rebilus] Dio XLIII, 46. Plutarch. Caes. 58. Suet. Caes. 76. Festive de ea re iocatur Cic. Famm. VII, 30. *Ita Caninio consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est; fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.*

C. 38. *Servilianis*] Vid. Ann. XV, 55. XI, 1. — *turrim*] H. e. aedificium magnificum, longi prospectus causa in altitudinem exstructum, ut V, 11. *turris Antonia*, ut *Maecenatis turris*, ut *regum turres* Hor. Carm. I, 4, 14.

Caecinam Tuscum] Vid. Ann. XIII, 20.

Iunios Antoniosque] Ex utroque hoc nomine causam habuit, stirpis suae originem ab Octavia repetendi, Augusti sorore. SAVIL.

69. mem ac magnificum militibus ostentet. versas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumque negligens fovet aemulum principis labores e convivio prospectantem. reddendam pro intempestiva laetitia maestam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat vivere Vitellium et imperare, et si quid fato accidat, filium habere. 39. Trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blaesi mors maturam perniciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. addidit facinori fidem nobili gaudio, Blaesum visendo. quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se (ipsa enim verba referam) pavisse oculos spectata inimici morte iactavit. Blaeso, super claritatem natalium et elegantiam morum, fidei obstinatio fuit. integris quoque rebus a Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus ambitus abnuere perseveravit. sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, parum effugerat ne dignus crederetur.

40. Fabius interim Valens multo ac molli concubinarum spadonumque agmine segnius quam ad bellum incedens proditam a Lucilio Basso Ravennatem classem pernicibus nuntiis accepit. et si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam praevenire aut ante discrimen pugnae assequi legiones potuisset. nec deerant qui monerent, ut cum fidissimis per occultos tramites

amicorum . . negligens] Incuriosus, eos non discernens. Pichen. Immo inimicorum negligens eodemque actu etiam amicorum, quod eos insidiis inimicorum exponat ac prodat.

labores morbum vocat, ut Vitruv. VIII, 3. *Sulphurosi fontes nervorum labores reficiunt.* Plaut. Curc. II, 1, 4. *Valetudo decrescit, accrescit labor.*

C. 39. *nobili*] In sensum peiorem, ut Cic. Petit. Cons. 3. *Competitores qui nequaquam sunt tam genere insignes quam vitiis nobiles.* Kiessl. Utique ironice dictum est. Sed probabiliter Lipsius *notabili*, ut c. 54. *Notabili constantia;* Ann. III, 39. *Notabili dedecore.* Broterius *ignobili*, minus bene, quia *ignobilis* ad fortunam tantum et locum referri solet, non ad mores, ut *illiberalis.*

pavisse oculos] Suet. Vit. 14.

ambitus] H. e. rogatus ut imperium susciperet.

vitata Ravenna Hostiliam Cremonamve pergeret. aliis 69
placebat accitis ex urbe praetoriis cohortibus valida manu perrumpere. Ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit: mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis nec providit. **41.** Missis ad Vitellium litteris auxilium postulat. venere tres cohortes cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum. Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere illicitas voluptates adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus crederetur. aderant vis et pecunia et ruentis fortunae novissima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem attulerant. pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos. Eo metu et paucis quos adversa non mutaverant comitantibus cohortes Ariminum praemittit, alam tueri terga iubet: ipse flexit in Umbriam atque inde Etruriam, ubi cognito pugnae Cremonensis

C. 41. *Eo metu et paucis*] Suspicor cum Acidalio unius versus traiectionem: *Eo metu cohortes Ariminum praemittit, alam tueri terga iubet; ipse paucis quos adversa non mutaverant comitantibus flexit in Umbriam.* Quod omisi *et* ante *paucis* dittographia superioris *et dedecoris* natum videtur. Doed.

C. 41. *rapere . . voluptates*] Ex Hor. C. III, 6, 27. *Cui donet impermissa raptim gaudia, luminibus remotis.* Doed.

ruentis . . libido] Sensus est: Apparebant in Valente vis et pecuniae cupiditas et quod vitium ruente fortuna ultimum exuitur, libido. Nam qui diu frui posse desperat, avidius fruitur. Attractionis lege neutrum *novissimum* transiit in femininum, ut Ann. XVI, 11. Doed.

avidos periculorum] Nam Vitellianis quoque *ingrata quae tuta; ex temeritate spes*, ut Flavianis cap. 26. Atqui parent homines si non verecundia et fide, certe timore; illi vero tantum aberat ut timore deterrerentur ullo, ut avidi etiam essent periculorum, et ipsa ex mutata fide discrimina pro incitamento haberent mutandi fidem. Faernus *pavidos* proposuerat, probante Ernestio. Doed.

69. eventu non ignavom et, si provenisset, atrox consilium iniit, ut arreptis navibus in quamcunque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret. **42.** Digresso Valente trepidos qui Ariminum tenebant Cornelius Fuscus, admoto exercitu et missis per proxima litorum Liburnicis, terra marique circumvenit. Occupantur plana Umbriae et qua Picenus ager Adria alluitur. omnisque Italia inter Vespasianum ac Vitellium Apenninis iugis dividebatur. Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento portum Herculis Monoeci depellitur. haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur, monendo terruit; simul ceterorum fides metu infracta. namque circumiectas civitates procurator Valerius Paulinus, strenuus militiae et Vespasiano ante fortunam amicus, in verba eius adegerat; concitisque omnibus qui exauctorati a Vitellio bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam, claustra maris, praesidio tuebatur, eo gravior auctor, quod Paulino patria Forum Iulii et honos apud praetorianos, quorum quondam tri-

Apenninis iugis ex Ma. adiective ut IV, 12. *mare Oceanum*. Ann. XIII, 26. *oram Campaniam*. At edd. *Apennini*.

infracta edd. ex Bodl. ut I, 1. *infracta veritas*. At Ma. *inracta*, ceteri *intacta*.

maris superscr. *iam* Ma. quod ex fine voc. *coloniam* male repetito natum.

segnitia maris] Scil. *devenit*, *defertur*, quod per zeugma ex *depellitur* mutuandum est. Nam *segnitia* est malacia, nimia tranquillitas, ut V, 6. Agr. 10. *Sed mare pigrum et grave navigantibus*. Sil. It. V, 383. *Stagna iacentia*. All. *saevitia*.

portum . . Monoeci] Hodie *Monaco*, in Liguria Nicaeam inter et Genuam, ubi templum Herculis Monoeci. Strab. IV. p. 139.

procurator, Galliae Narbonensis.

ante fortunam] Scil. summam, hoc est, principatum.

tribunus fuerat. ipsique pagani favore municipali et 69.
futurae potentiae spe iuvare partes annitebantur. **43.** Quae ubi paratu firma et aucta rumore apud varios Vitellianorum animos increbruere, Fabius Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus ad naves regreditur; Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Ceterum ut mare tutius Valenti quam litora aut urbes, ita futuri ambiguus, et magis quid vitaret quam cui fideret certus, adversa tempestate Stoechadas Massiliensium insulas affertur. ibi eum missae a Paulino Liburnicae oppressere.

44. Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adiutrice legione orto, quae memoria Othonis infensa Vitellio decumam quoque ac sextam traxit. Nec Galliae cunctabantur. Et Britanniam indictus erga Vespasinum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti expertum iam principem anxii mutabant. **45.** Ea discordia et crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos, auctore Venutio, qui super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in Cartimanduam reginam stimulis accendebatur. Cartimandua Bri-

C. 45. *Venutio* Oberlinus ex Ann. XII, 40. At MSS. *Venusio.*

futurae potentiae] Qua Paulinus mox apud Vespasianum valiturus esset.

C. 43. *volentibus*] Ut Agr. 18. *Quibus bellum volentibus fuit.*

Stoechadas] Hodie *les isles d'Hières.* — *insulas affertur*] H. e. ad insulas fertur.

C. 44. *indictus*, ex Ma. hoc est infandus, inenarrabilis; usu non magis singulari quam apud Liv. XXII, 39. *Etiam me indicente* pro *tacente.* Et Gloss. Cyrill. *Indictus: ἐπινέμησις, ἄλεκτος.* Itemque: *ἄλεκτος: infandus, indicendus, indictus.* Ac ne ambiguitas quidem compositionis iustius deterrere debebat scriptorem quam in *infectus* ap. Sall. Iug. 75. *indiscretus* Hist. IV, 52. *immutatus*, *iniustus*, *invisus.* Edd. *inclitus* ex G. epitheto tolerabili magis quam proprio. Reliqui MSS. *inditus*, Ernestius *insitus.* Doed.

quod illic .. egerat] Agr. 13.

69. gantibus imperitabat, pollens nobilitate; et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Caractaco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur. inde opes et rerum secundarum luxus. spreto Venutio (is fuit maritus) armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnumque accepit. Concussa statim flagitio domus. pro marito studia civitatis, pro adultero libido reginae et saevitia. Igitur Venutius accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione in extremum discrimen Cartimanduam adduxit. tum petita a Romanis praesidia. et cohortes alaeque nostrae, variis praeliis, exemere tamen periculo reginam. Regnum Venutio, bellum nobis relictum.

46. Turbata per eosdem dies Germania, et socordia ducum, seditione legionum, externa vi et perfidia sociali prope afflicta Romana res. id bellum cum causis et eventibus (etenim longius provectum est) mox memorabimus. Mota et Dacorum gens nunquam fida, tunc sine metu, abducto e Moesia exercitu. sed prima rerum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta in vicem hostilia accepere, expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danubii ripa potiebantur. iamque castra legionum exscindere parabant, — ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremo-

C. 45. *instruxisse*] H. e. ornasse. „Claudium facta expeditione Britannica triumphasse Romae testatur Suet. Cl. 17. Sed is triumphus ductus est C. Crispo et T. Statilio consulibus a. u. 797. cf. Dio LX. 13. Caractacus autem aliquot annis post illum triumphum captus est. Ann. XII, 36. Quaeritur ergo, Tacitum memoria fefellerit an triumphum h. l. dicat latiore significatu et decoris causa; cf. Lips. in Ann. XII, 36. At si quid recte video, Cartimandua eo sensu videbatur triumphum Claudii instruxisse, ut gloria et decus triumphi pridem acti tradito Caractaco augeret alteramque partem triumpho adderet. Nam appendicula quaedam triumphi Claudiani fuit pompa illa, in qua Caractacus ducebatur.“ Walther.

variis praeliis] H. e. postquam varie et interdum infeliciter pugnaverunt, reginam etsi non in regnum restituere, at periculo tamen ab infensae civitatis odiis imminenti exemere.

C. 46. *memorabimus*] Vid. IV, 12.

nensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrinque 69. ingrueret, si Dacus Germanusque diversi irrupissent. Affuit, ut saepe alias, fortuna populi Romani, quae Mucianum viresque Orientis illuc tulit, et quod Cremonae interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Moesiae praepositus est, additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias et externo bello illigari pars consilii pacisque erat. **47.** Nec ceterae nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus, moverat. is fuit Anicetus Polemonis libertus, praepotens olim, et postquam regnum in formam provinciae verterat, mutationis impatiens. igitur Vitellii nomine ascitis gentibus quae Pontum accolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendae manus ductor, Trapezuntem vetusta fama civitatem, a Graecis in extremo Ponticae orae conditam, subitus irrupit. Caesa ibi cohors, regium auxilium olim; mox donati civitate Romana signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Graecorum retinebant.

C. 47. *vetusta fama* Lipsius, ut IV, 83. *Templum vetere fama.* At Ma. *vetusta mama*, quod dittographia corruptum videtur ex *vetustam*, ut est in MS. Agr.

Fonteius Agrippa] Is postea a Sarmatis caesus. Ioseph. B. Iud. IV, 7, 3. Brot.

C. 47. *Polemonis*] Regis Pontici. Ann. II, 56.

verterat] Intransitive accipiendum. Suet. Ner. 18. Nero *Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in provinciae formam redegit.*

mox donati . . retinebant] Haec periodus neque quicquam facit ad rem et ordinem rerum gestarum importune interrumpit. Aptus eidem locus est post ea quae de vetusta Trapezuntis conditione paulo ante memorata sunt, post *Ponticae orae conditam.* Ergo ibi collocandam esse censeo hanc periodum, parentheseos nomine; ut continuo se excipiant verba: *Caesa ibi cohors, regium auxilium olim; classi quoque faces intulit.* Quo anno Trapezuntii civitate fuerint donati, non invenio; haud dubie ante Aniceti irruptionem; quare desidiam eorum incusat Tacitus, quod, quamquam cives Romani, Romanam cohortem caedi urbemque suam capi passi sint. Doed. Difficultatem loci nunc demum sagaciter indagatam li-

69 classi quoque faces intulit, vacuo mari eludens, quia lectissimas Liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin et barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus. camaras vocant, artis lateribus latam alvom, sine vinculo aeris aut ferri connexam; et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. sic inter undas volvuntur, pari utrinque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiscretum et innoxium est. **48.** Advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus ducemque Virdium Geminum, spectatae militiae, deligeret. ille incompositum et praedae cupidine vagum hostem adortus coegit in naves; effectisque raptim Liburnicis assequitur Anicetum in ostio fluminis Cohibi, tutum sub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia

classi Rhenanus, id est, navibus ibi in portu sine milite relictis a Muciano, dum *lectissimas* tantum *Liburnicarum Byzan-*

bens agnosco; remedium tamen ex periculo petitum. Nam quis Trapezuntem fando accepit civitate Romana fuisse donatam aut tanti beneficii causam inveniat? Interim similem eiusdem urbis casum memoramus, quem Zosimus I, 33. tradit. BERNH.

eludens] H. e. evadens, effugiens, nulla ludificationis significatione. Vid. in Ann. II, 52.

contemptim edd. h. e. per contemptum Romanorum, ut c. 58. Liv. VII, 7. *Hernicos morte consulis contemptim ad castra Romana succedentes.* At MSS. *contempti.*

camaras] Vid. Gell. X, 25. Strabo XI. p. 495. in describenda Bosporana ora: *ἀκάτια ἔχουσι λεπτά, στενὰ καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα· καλοῦσι δὲ αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας.* Nomen toti navigio a parte summa, tabulato. Suet. N. 34. *Solutilem navem, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret, commentus est,* quam *tectum* vocat Tac. Ann. XIV, 5.

artis .. connexam] Appositio est accusativi *camaras.* Aut si singularis offensioni sit, *habentes* supplendum erit ut c. 33. *Faces in manibus.*

pari .. remigio] Ut apud Suiones, Germ. 44. coll. Ann. II, 6.

C. 48. *Cohibi*] Plin. H. N. VI, 4. *Gens Salae antiquis Phthirophagi dicti, et Suani. Flumen Cobum e Caucaso per Suanos fluens.* Nempe nomina *Cohibum* et *Cobum* non diversiora videntur quam *nihil* et *nil*, *Vahalis* et *Valis.* — *Sedochezorum*] Apud Melam I, 19. quem omnes laudant, non commemoratur.

tutum sub .. auxilio] Coaluere duae structurae: *tutum sub rege*, ac, *tutum regis auxilio.*

donisque ad societatem perpulerat. Ac primo rex mi- 69.
nis armisque supplicem tueri: postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur, fluxa, ut est barbaris, fide pactus Aniceti exitium perfugas tradidit, belloque servili finis impositus.

Laetum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluentibus, Cremonensis praelii nuntius in Aegypto assequitur. eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii exercitu urbem quoque externae opis indigam fame urgeret. namque et Africam, eodem latere sitam, terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus.

49. Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat, satisfactum bello ratus et cetera ex facili, seu felicitas in tali ingenio avaritiam, superbiam ceteraque occulta mala patefecit. Ut captam Italiam persultare, ut suas legiones colere, omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere. utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat. eo suffragio turbidissimus quisque delecti, nec miles in arbitrio du-

tium adigit, II, 83. At MSS. *classis*, quod Waltherus tuetur explicando per tropum: *infesta classe aggressus est*. Hoc si scriptor voluisset, ludificatus plane esset legentes.

C. 48. *urbem quoque* edd. ex G. At Ma. *urbemque*, eodem sensu.

C. 49. *viam* Lipsius. Vid. in V, 4. At MSS. *vim*, tuente Gronovio, aliis.

minis armisque] H. e. minitatione armorum.

fame urgeret] Quoniam Aegyptiis commeatibus et frumentis civitas Romana nutriebatur. Vid. I, 11.

C. 49. *orbis nutatione*] Ut Plin. Pan. 5. *Cogi porro non poteras nisi periculo patriae et nutatione reipublicae*. Edd. ex G. *orbis mutatione*.

offerebat] Scil. ad deferendum mandandumque quibuscunque vellent. Ambitiosum hoc maxime erat; nam ex disciplina centuriones non nisi ducis, legati vel tribuni arbitrio asciscebantur.

69. cum, sed duces militari violentia trahebantur. Quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat, nihil adventantem Mucianum veritus; quod exitiosius erat quam Vespasianum sprevisse. **50.** Ceterum propinqua hieme et humentibus Pado campis expeditum agmen incedere. Signa aquilaeque victricium legionum, milites volneribus aut aetate graves, plerique etiam integri, Veronae relicti: sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti profligato iam bello videbantur. Undecima legio sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus anxia quod defuisset; sex milia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur; ducebat Pompeius Silvanus consularis. vis consiliorum penes Annium Bassum legionis legatum. is Silvanum socordem bello et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat, ad omniaque quae agenda forent quieta cum industria aderat. Ad has copias e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus optimus quisque asciti: classem Dalmatae supplevere. Exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant, et teneri praesidiis Apenninum re-

C. 50. *ad omniaque* edd. At Ma. *omniaque . . aderat*, omisso *ad*, ut Appul. Met. II. p. 119, 20. *Prima face cubiculum tuum adero.* Et V. p. 160, 30. *Scopulum istum protinus aderunt.* Intt. in Liv. XLV, 28.

regione Lips. *legione* MSS. Vid. Ann. XII, 43.

corrumpendae disciplinae] Scil. idonea, ut c. 10. IV, 68. *miscendis seditionibus.* — *in praedam vertebat*] Lucrosa sibi fecit: vid. II, 84.

C. 50. *undecima*] Vid. II, 11. 67. Sensus est: Undecima legio, quia ante hac cunctantius in Vespasiani partes transierat, tunc, postquam prospere res cedere vidit et gratiae suae apud novum Caesarem timebat, oblitterare delictum suum et emendare properabat sic, ut Veronae relinqui nollet, sed promptissimae se exercitus parti adiungeret. Post *sed* mente repetendum est *sese adiunxerat.*

dies rerum] H. e. dies rebus gerendis idoneos. Sive ut saepe singul. *dies* pro *tempore*, *χρόνῳ*, ita audacius paulo pluralis de *temporibus*, *καιροῖς*, usurpatum est.

Fanum Fortunae] Hodie *Fano*, ad mare Adriaticum.

bantur. et ipsos in regione bello attrita inopia et se- 69.
ditiosae militum voces terrebant, clavarium (donativi nomen est) flagitantium. Nec pecuniam aut frumentum providerant; et festinatio atque aviditas praepediebant, dum quae accipi poterant rapiuntur. **51.** Celeberrimos auctores habeo tantam victoribus adversus fas nefasque irreverentiam fuisse, ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit. nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat; distulerant tanquam maiora meritum quam quae statim exsolverentur; nec quicquam ultra traditur. Ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat. nam praelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interfecit, ut Sisenna memorat: tanto acrior apud maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis paenitentia fuit. Sed haec aliaque ex veteri memoria petita, quotiens res locusque exempla recti aut solatia mali poscet, haud absurde memorabimus. **52.** Antonio ducibusque partium praemitti equites omnemque Umbriam explorari placuit, si qua Apennini iuga

C. 51. *quam quae* edd. At Ma. *quamquam.* Suspicor: *quam* scil. *ut*, sicut Ann. XIII, 26. *Quid aliud laeso patrono concessum quam* [*ut*] *vicesimum ultra lapidem . . releget?* Nam ibi quoque *ut* omittit Ma. Doed.

clavarium] Poscebatur hoc donativum quasi ad clavos militares vel caligares comparandos, ut *congiarium*, *calciarium*, Suet. Vesp. 8. *Petentes constitui aliquid sibi calciarii nomine*, et *unguentarium* legati, de quo Plin. Epp. II, 11, 23.

C. 51. *distulerant*] Ratio plusquamperfecti haec est, quod quae nunc demum per digressionem narrantur, iam pridem *proxima acie* facta sunt. In MS. R. legitur *distulerunt*.

apud Ianiculum] Liv. Epit. 79. *Duo fratres alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt, et cum victor spoliaret occisum, agnito fratre ingenti lamentatione edita rogo ei exstructo ipse supra rogum se transfodit et eodem igni consumptus est.* Valer. M. V, 5, 4.

Sisenna] Scripsit bellum civile Sullanum. Cic. Brut. 64. Sall. Iug. 100. Vellei. P. II, 9.

memorabimus] Vid. in Ann. XIII, 20.

69. clementius adirentur; acciri aquilas signaque et quicquid Veronae militum foret, Padumque et mare commeatibus compleri. Erant inter duces qui necterent moras: quippe nimius iam Antonius, et certiora ex Muciano sperabantur. Namque Mucianus tam celeri victoria anxius, et ni praesens urbe potiretur, expertem se belli gloriaeque ratus, ad Primum et Varum media scriptitabat, instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates edisserens, atque ita compositus ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret. Plotium Griphum nuper a Vespasiano in senatorium ordinem additum ac legioni praepositum ceterosque sibi fidos apertius monuit; iique omnes de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano volentia rescripsere. quibus epistolis Vespasiano missis effecerat, ut non pro spe Antonii consilia factaque eius aestimarentur. **53.** Aegre id pati Antonius et culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus eviluissent pericula sua. nec sermonibus temperabat, immodicus lingua et obsequii insolens. litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione. Se Pannonicas legiones in arma egisse; suis stimulis excitos Moesiae duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Raetorumque auxilia. quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri

C. 52. *potiretur*] Constans usus postulat *poteretur*. Haase in Reisig. Vorles. p. 251.

ex eventu edd. At Ma. *ex ventu*, ut saepius *venire* pro *evenire*.

C. 52. *certiora*] Scil. praemia. Sensus est: Duabus de causis duces moras nectebant, primum quod Antonii impotentia gravari coeperant, deinde ut Muciano gratificarentur, quem plus apud principem gratia et auctoritate pollere sciebant.

media] Sive ambigua, ut c. 78.

volentia] Passive ut Ann. XV, 36. Sall. Fr. *Volentia plebi facturus*.

C. 53. *intersepta*] Nam ab Antonio *interiectus exercitus per Raetiam Iuliasque Alpes*. Vid. c. 8.

procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, 69
id pulcherrimum et sui operis. casum Cremonae bello imputandum: maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse. non se nuntiis neque epistolis sed manu et armis imperatori suo militare. neque officere gloriae eorum qui Asiam interim composuerint. illis Moesiae pacem, sibi salutem securitatemque Italiae cordi fuisse; suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. sed cecidisse in irritum labores, si praemia periculorum soli assequantur, qui periculis non affuerint. Nec fefellere ea Mucianum: inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque implacabilius nutriebat.

54. At Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis occultans stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat. quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. mirum apud ipsum de bello silentium; prohibiti per civitatem sermones, eoque plures ac, si liceret, vere narraturi, quia vetabantur, atrociora volgaverant. Nec duces hostium augendae famae deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo; quos omnes Vitellius secreto percontatus interfici iussit. Notabili constantia centurio Iulius Agrestis post multos sermones, quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit ut

procella] Ex Liv. XXIX, 2. *Procella equestri hostem circumfundere*, coll. X, 5. XXX, 18. XXXV, 5.

stetisse] Liv. XXIII, 30. *Multo sanguine et vulneribus ea victoria Poenis stetit.*

Moesiae pacem] Vid. c. 46.

validissimam] Ut Agr. 24. easdem regiones *valentissimam imperii partem* appellat.

C. 54. *quippe confitenti . . ingravescebat*] Tacitus cum haec scriberet, Vitellium tanquam acri morbo correptum ac medicos suos stulte frustrantem ideoque in dies *ingravescentem* sibi cogitavit. Ritter. Plin. Epp. II, 20. *Vesania mox ingravescit, clamat moriens*, coll. Cic. Sen. 11. Att. X, 4.

69. ad vires hostium spectandas quaeque apud Cremonam acta forent ipse mitteretur. nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed mandata imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret postulat. missi qui locum praelii, Cremonae vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, abnuentique vera esse quae afferret, atque ultro corruptum arguenti, „quandoquidem“ inquit „magno documento opus est, nec alius iam tibi aut vitae aut mortis meae usus, dabo cui credas.“ atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. quidam iussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere. 55. Vitellius, ut e somno excitus, Iulium Priscum et Alfenum Varum cum quattuordecim praetoriis cohortibus et omnibus equitum alis obsidere Apenninum iubet. secuta e classicis legio. Tot milia armatorum, lecta equis virisque, si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceterae cohortes ad tuendam urbem Lucio Vitellio fratri datae. Ipse nihil e solito luxu remittens, et diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat; foedera sociis, Latium externis dilargiri; his tributa dimittere, alios immunitatibus iuvare; denique nulla in posterum cura lacerare imperium. sed volgus ad magnitudinem beneficiorum aderat; stultissimus quisque pecuniis mercabatur; apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari neque accipi salva re publica poterant. Tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum

C. 55. *lecta armis*] H. e. electa vel eximia, ut Ann. XII, 40. *Lecta armis iuventus*.

foedera sociis] H. e. socias urbes foederatarum urbium honore et privilegiis donavit, suos ut magistratus haberent. Distinguuntur socii a foederatis apud Cic. Pis. 41. Vid. Suet. Aug. 47. — *Latium*, *ius Latii*, Ann. XV, 32. sive *Latinitatem*.

lacerare imperium] Ut Cic. Off. I, 17, 57. *lacerare patriam*. De eadem re Suet. Vit. 15. *Ad retinendum ceterorum hominum studium ac favorem nihil non publice privatimque nullo adhibito modo largitus est*.

Mevania] Hodie *Bevagna*.

multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus animi et infidis consiliis obnoxius. 56. Concionanti (prodigiosum dictu) tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu, longe, nec ubi feriri hostias mos est, confossus. Sed praecipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiae, improvidus consiliis; quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus, alios rogitans, et ad omnis nuntios voltu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. Postremo taedio castrorum et audita defectione Misenensis classis Romam revertit, recentissimum quodque volnus pavens, summi discriminis incuriosus. Nam cum transgredi Apenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes aggredi in aperto foret, dum dispergit vires, acerrimum militem et usque in extrema obstinatum trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera dicturis. arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aspera quae utilia, nec quicquam nisi iucundum et laesurum acciperet. 69.

C. 56. *nec ubi* Lips. At Ma. *nec vi.* Suspicor cum Schrammio: *nec cui feriri hostias mos est;* nempe profani cuiuspiam hominis manu, non sacerdotis.

consiliis ex Ma. B. variandae structurae. At edd. *consilii.*

arcuere Lips. At MSS. *arguere* tam male quam Ann. III, 72.

infidis consiliis] Non infidelibus consiliatoribus sed inconstantiae suorum ipse consiliorum; ut Liv. XXV, 15. *Thurinorum turbam nec satis fido animo unde pugnabat stantem.*

nube . . diem obtenderent] Dictum pro nubem diei obtenderent, ut *urbem muris circumdare* pro *urbi muros.* Pariter Cic. Ep. ad Quint. Fr. I, 5. *Quasi velis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura.*

quantus modus] H. e. quanta ars, ut Hor. Carm. II, 1, 2. *Belique causas et vitia et modos.*

in aperto foret] H. e. facile ac pronum factu, ut Agr. 1. *Ut agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat;* non: manifestum cognitu, ut Hist. IV, 4. *Invidia in occulto, adulatio in aperto erat.*

69. 57. Sed classem Misenensem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus centurio per ignominiam a Galba dimissus ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistolis pretium proditionis ostentans. Praeerat classi Claudius Apollinaris, neque fidei constans neque strenuus in perfidia. et Apinius Tiro praetura functus ac tum forte Minturnis agens ducem se defectoribus obtulit. A quibus municipia coloniaeque impulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida, municipalem aemulationem bellis civilibus miscebant. Vitellius Claudium Iulianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit. data in auxilium urbana cohors et gladiatores, quibus Iulianus praeerat. Ut collata utrinque castra, haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso, Tarracinam occupavere, moenibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam. 58. Quae ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniae cum praefectis praetorii relicta Lucium Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit. Ipse aeger animi studiis militum et clamoribus populi arma poscentis refovebatur, dum volgus ignavom et nihil ultra verba ausurum falsa specie exercitum et legiones appellat. hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet, dantes nomina sacramento adigit. su-

C. 57. *miscebant*] H. e. immiscebant.

haud magna . . transgresso] Haec sunt protaseos pars, non apodoseos.

ipsorum ingenio] H. e. fide et fortitudine incolentium.

C. 58. *Narniae*] In Umbria ad Narem fluvium, hodie *Narni*.

vocari tribus] Erant tunc temporis XXXV tribus, quae ut ordine senatorio et equestri inferiores erant, ita rursus anteibant dignitate eam multitudinem, quae *populi* nomine plerumque significatur et frumentum publicum accipiebat. Suet. Aug. 101. *Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium.* Ergo tribules utpote pecuniosi conferebant ad sumptus extraor-

perfluente multitudine curam delectus in consules par- 69.
titur. Servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit. Equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii a metu profecta verterat in favorem; ac plerique haud perinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur. nec deerat ipse voltu, voce, lacrimis misericordiam elicere, largus promissis et, quae natura trepidantium est, immodicus. quin et Caesarem se dici voluit, aspernatus antea; sed tunc superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et volgi rumor iuxta audiuntur. Ceterum ut omnia inconsulti impetus coepta initiis valida spatio languescunt, dilabi paulatim senatores equitesque, primo cunctanter et ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine, donec Vitellius pudore irriti conatus quae non dabantur remisit.

59. Ut terrorem Italiae possessa Mevania ac velut renatum ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. erectus Samnis Pelignusque, et Marsi aemulatione, quod Campania praevenisset, ut in novo obsequio, ad cuncta belli munia acres erant. Sed foeda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus; et vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni Vitel-

dinarios, ut Suet. Ner. 44. Aug. 57. et omnino honestius agebant, ut Tac. Ann. III, 4. XIV, 13. Populi pars tribubus descripta *plebs urbana XXXV tribuum* appellatur, quanquam nomen ipsum non satis constat, ita ut etiam vilior pars civitatis vel populus extra tribus *plebis urbanae* nomen interdum gerat, ut in titulo apud Gruterum CCXLIV, 4. *Plebs urbana quae frumentum publicum accepit, et tribus.* Haec ex Rittero, qui rem fusius exposuit.

aspernatus antea] Vid. I, 62.

superstitione nominis] H. e. superstitiosa nominis reverentia, ut Senec. Ep. 95. p. 420. Bip. *Huius* (virtutis) *quadam superstitione teneantur; hanc ament, cum hac vivere velint, sine hac nolint.*

C. 59. *Mevania*] Vid. in c. 55.

69. lium retro fortuna vertisset, quae Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio affuit. Obvium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. propinqua affinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiae, eoque inter duces assumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium multi tradidere; et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac praesidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciae valitudinem causabatur; Domitiano aderat animus, sed custodes a Vitellio additi, quanquam se socios fugae promitterent, tanquam insidiantes timebantur. atque ipse Vitellius respectu suarum necessitudinum nihil in Domitianum atrox parabat.

60. Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilae signaque legionum assequerentur. et locus ipse castrorum placebat, late prospectans, tuto copiarum aggestu, florentissimis pone tergum municipiis. simul colloquia cum Vitellianis decem milium spatio distantibus et proditio sperabatur. Aegre id pati miles et victoriam malle quam pacem. ne suas quidem legiones opperiebantur, ut praedae quam periculorum socias. Vocatos ad concionem Antonius docuit esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent, acres, si desperassent. initia bellorum civilium fortunae permittenda: victoriam consilio et ratione perfici. iam Misenensem classem et

C. 60. *consilio* ex Ma. CR., ut c. 20. *Ratione et consilio.* At edd. *consiliis.* Deinde *perfici* Lipsius. At Ma CR. *profici.* Suspicor: *in victoriam consilio et ratione profici;* ut Ann. XIII, 38. *Nihil in summam pacis proficiebatur.* Cic. Att. VII, 13. *Etiam ad summam profectum aliquid puto.* Nisi potius eadem dicturus *in* omisit Tacitus, ex more suo. Doed.

retro] Nam Vitellius audita defectione classis Misenensis *Romam reverterat*, cap. 55.

C. 60. *quam periculorum*] Pendet ex omisso *potius*.

pulcherrimam Campaniae oram descivisse; nec plus e 69. toto terrarum orbe reliquum Vitellio quam quod inter Terracinam Narniamque iaceat. satis gloriae praelio Cremonensi partum, et exitio Cremonae nimium invidiae; nec concupiscerent Romam capere potius quam servare. maiora illis praemia et multo maximum decus, si incolumitatem senatui populoque Romano sine sanguine quaesissent. 61. His ac talibus mitigati animi. nec multo post legiones venere. Et terrore famaque aucti exercitus Vitellianae cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori et sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est Interamnam proximis campis praesidio quadringentorum equitum teneri. missus extemplo Varus cum expedita manu paucos repugnantium interfecit; plures abiectis armis veniam petivere. Quidam in castra refugi cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi praesidii dedecus lenirent. nec ulla apud Vitellianos flagitii poena, et praemiis defectorum versa fides, ac reliquum perfidiae certamen. Crebra transfugia tribunorum centurionumque. nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priscus et Alfenus desertis castris ad Vitellium regressi pudore proditionis cunctos exsolverent.

62. Isdem diebus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. Caput eius Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent: nam pervasisse in Germaniás Valentem et veteres illic novosque exer-

C. 61. *versa* Freinsh., h. e. eversa. *verba* Ma.

maiora illis . . si] Per anacoluthon. Constantia structurae exigebat aut *iis*, *si*, *quaesissent*, de praesentibus, aut *illis qui* . . *quaesissent*, generaliter de quibuslibet.

C. 61. *gratiam*] H. e. gratiae causam.

C. 62. *pervasisse*] I. e. evasisse ex custodia ac perfugisse in Germaniam.

62. citus ciere credebant. Visa caede in desperationem versi. et Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit. Natus erat Valens Anagniae equestri familia. procax moribus, neque absurdus ingenio, famam urbanitatis per lasciviam petere. Ludicro iuvenum sub Nerone velut ex necessitate, mox sponte mimos actitavit, scite magis quam probe. legatus legionis et fovit Verginium et infamavit. Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit. Galbae proditor, Vitellio fidus et aliorum perfidia illustratus.

63. Abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine decore, sed sub signis, vexillisque in subiectos Narniae campos descendere. Flavianus exercitus, ut ad praelium intentus ornatusque, densis circa viam ordinibus astiterat. accepti in medium Vitelliani, et circumdatos Primus Antonius clementer alloquitur. Pars Narniae, pars Interamnae subsistere iussi. relictae simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae. Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. in eundem modum et Mucianus composuit epistolas; quibus plerumque fidere Vitellius, ac de numero servorum, electio-

C. 63. *subsistere iussi* edd. At Ma. *substitere iussi*, non deterius. Germ. 11.

immane quantum animo] Scil. aucto.

Anagniae] Municipio in Hernicorum finibus; hodie *Anagni*.

ludicro iuvenum] I. e. Iuvenalibus, de quibus Ann. XVI, 21. Ex more devitavit proprium ac vulgare nomen. Vid. in IV, 4. Dial. 32. *ius civitatis*. At edd. *iuvenalium* cum Lipsio. DOED.

velut] H. e. specie, ut ipse praetendebat, ut Ann. 1, 10.

infamavit] Vid. I, 64.

aliorum perfidia illustratus] H. e. non nisi deteriorum et perfidissimorum hominum comparatione illustris, suopte ingenio tantae famae suae non par futurus.

C. 63. *plerumque*] Suspicor:

ctione litorum loqui. tanta torpedo invaserat animum, 69.
ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.

64. At primores civitatis Flavium Sabinum praefectum urbis secretis sermonibus incitabant, victoriae famaeque partem capesseret. esse illi proprium militem cohortium urbanarum, nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, et omnia prona victoribus. ne Antonio Varoque de gloria concederet. paucas Vitellio cohortes et maestis undique nuntiis trepidas; populi mobilem animum, et si ducem se praebuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum —. gratiam patrati belli penes eum qui urbem occupasset. id Sabino convenire, ut imperium fratri reservaret, id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur. 65. Haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat, invalidus senecta. erant qui occultis suspicionibus incesserent, tanquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur. Namque Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat, et credebatur affectam eius fidem praeiuvisse domo agrisque

C. 65. *invalidus senecta*] Turbato ordine codices post *senecta* interponunt *ferebatur* (c. 67.) *lecticula . . in* (c. 69.) *Capitolium concivit.* Luxata reposuit Puteolanus. Ritter.

quibus fidere Vitellius ac plerumque de numero servorum . . loqui. Doed.

C. 64. *vigilum cohortes*] Vid. Ann. II, 35.

debilitatum] Aposiopesin constitui, sic explendam: *prorsus imparem* imperio obtinendo *esse* vel *nihil fore.* Doed.

C. 65. *praeiuvisse*] In eo fraternus animus desiderabatur, quod Sabinus affectam fratris fidem *cupide et prius quam necessitas urgeret* iuvisse credebatur; ut quovis modo domo agrisque potiretur. Sic *praecipere* bellum Ann. I, 55. est *prius incipere quam omnia ad id parata erant*, coll. Dial. 9. Ex Rittero. At enim non potuit Sabinus fidem iuvare, antequam posceretur a fratre. Quis igitur praepropero auxilio, quis cupidini agrorum locus? Non magis probo Ernestii explicationem: *ante* vel *olim iuvisse*, vel Kiesslingii: „priusquam is affecta fide bonis prorsus excuteretur.“ Ipse

69. pignori acceptis; unde, quanquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio mitem virum abhorrere a sanguine et caedibus, eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque per condicionem armis agitare. saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. voltus procul visentibus notabantur, Vitellii proiectus et degener, Sabinus non insultans et miseranti propior. **66.** Quodsi tam facile suorum mentes flexisset Vitellius quam ipse cesserat, incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et condiciones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes, et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos. ita periculum ex misericordia. ipsum sane senem et prosperis adversisque satiatum: sed quod nomen, quem statum filio eius Germanico fore? nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti: sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis eius, non denique exer-

C. 66. *aemulatore redituram* edd. ex G. At Ma. *aemulatore dituram*.

suspicor: *et credebatur affectam eius fidem prave iuvisse, domo agrisque pignori acceptis*. Nempe dum fides Vespasiani affecta adhuc erat, nondum fracta et pessumdata, eo ipso prorsus labefacta est, quod frater germanus anxie nec nisi agris pignori acceptis fratrem iuvare voluit. Suet. Vesp. 4. *Rediit certe* (ex Africa) *nihilo opulentior; ut qui prope labefacta iam fide omnia praedia fratri obligavit*. Ita *iuvit* quidem fratrem sed *prave*, intempestive et cum damno fratris maiore quam utilitate, nec sine sua infamia. Dord.

verba ad pactionem, *voces* ad universum colloquium pertinet.

Silium Italicum] Eundem haud dubie qui Punica versibus narravit; nam is *in Vitellii amicitia sapienter se et comiter gesserat*, ut ait Plin. Epp. III, 7.

C. 66. *ceterum*] H. e. sed. Vid. in G. 2.

privatum] Scil. imperio, ut Hor. C. I, 37, 31. Sensus est: Non adeo superbum et potentia fortunaque sua temerarie fretum esse, ut contempturus esset aemulum imperii talem, qualis privatus ac superstes Vitellius foret.

citibus securitatem nisi exstincto aemulatore reditu- 69.
ram. Fabium illis Valentem captivom et casibus dubiis reservatum praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant. non a Caesare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos; nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellii cliens, cum Vitellius collega Claudio foret. quin, ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiae domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. perstare militem, superesse studia populi. denique nihil atrocius eventurum quam in quod sponte ruant. moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant an per virtutem. **67.** Surdae ad fortia consilia Vitellio aures. obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret coniugi ac liberis. erat illi et fessa aetate parens; quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii assecuta nisi luctum et bonam famam. Quinto decimo calendas Ianuarias audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu palatio degreditur, maesta circum familia; simul ferebatur lecticula parvulus filius, velut in fune-

casibus dubiis edd. ex GH. „i. e. in quo conservando consulere sibi potuerint, si forte res aliter ac vellent caderent, ut per eum ab Vitellio veniam consequi possent.“ Ern. At Ma. *captis diebus*. Sed vide ne simul *illis* mutandum sit in *illi*, h. e. Vespasiano; tanquam Primus quidem et Fuscus et Mucianus reservare Valentem voluerint, Vespasianus autem interfici ut praegravem iusserit. Doed.

Vitellii cliens] Ignotum est quod beneficium Vespasianus tum Vitellio debuerit; simile haud dubie illi quod *Claudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est:* vid. Suet. Vesp. 4.

C. 67. *morte . . praevenit*] Fortuita, ac non invidioso filii scelere maturata, ut insimulat Suet. Vit. 14.

simul ferebatur] Punctum sustuli post *familiam*; nam non unus filiolus, sed ipse Vitellius et familia speciem funebris pompae praebebant. Doed.

69. brem pompam. voces populi blandae et intempestivae; miles minaci silentio. 68. Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem et generis humani paulo ante dominum relicta fortunae suae sede per populum, per urbem exire de imperio. nihil tale viderant, nihil audierant. repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Gaium insidiae, nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant; Piso et Galba tanquam in acie cecidere. In sua concione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus, cedere se pacis et rei publicae causa, retinerent tantum memoriam sui, fratremque et coniugem et innoxiam liberorum aetatem miserarentur, simul filium protendens, modo singulis modo universis commendans, postremo fletu praepediente assistenti consuli (Caecilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut ius necis vitaeque civium, reddebat. Aspernante consule, reclamantibus qui in concione astiterant, ut in aede Concordiae positurus insignia imperii domumque fratris petiturus discessit. Maior hic clamor obsistentium penatibus privatis, in palatium vocantium. interclusum aliud iter, idque solum quod in sacram viam pergeret patebat. Tum consilii inops in palatium rediit. praevenerat rumor eiurari ab eo imperium, scripseratque Flavius Sabinus cohortium tribunis, ut militem cohiberent. 69. Igitur tanquam omnis res publica in Ve-

C. 68. *Simplex*] Consul is suffectus inde a cal. Novembr.

in aede Concordiae] In qua senatus haberi solebat.

aliud iter] More Liviano pro *reliquum* vel *cetera itinera*.

quod in sacram viam pergeret] H. e. quod continuaretur via sacra, exiret in viam sacram. Ern. Durum hoc, etiamsi lectio constaret, cum praesertim coniunctivi *pergeret* nulla appareat ratio. At MSS. *in sacra via*. Suspicor: *idque solum quod pergeret inde, sacra via, patebat.* Appositio pronominis est *sacra via*. Structura *pergere iter* redit Ann. III, 66. IV, 20. XV, 27. Dord.

eiurari imperium] Vid. Ann. XII, 4. At Ma. *iurari*.

spasiani sinum cessisset, primores senatus et plerique 69. equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere. illuc de studiis volgi et minis Germanicarum cohortium affertur. Longius iam progressus erat quam ut regredi posset; et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma impellebant. sed quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani descendentibus qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum. Modicum ibi praelium improviso tumultu sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quod tutissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam senatorum equitumque; quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam victore Vespasiano multi id meritum erga partes simulavere. subierunt obsidium etiam feminae, inter quas maxime insignis Verulana Gratilla, neque liberos neque propinquos sed bellum secuta. Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit; eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fratris filium in Capitolium accivit, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos, et ni sub-

C. 69. *cessisset* edd. ut Ann. I, 1. *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere*, et Plin. Pan. 6, 3. *Confugit in sinum tuum concussa respublica.* At Ma. *cessisset*, et RCA. *cecidisset*, ut Cic. Att. VIII, 3. *Cadendum est in unius potestatem.*

C. 69. *lacum Fundani*] Eius mentio in inscr. ap. Gruter. p. 398. in qua *vicus lacus Fundani dictatori Sullae* aram posuisse memoratur. Cavendum ne confundatur cum lacu Fundano in agro Fundorum, oppidi Italici. Ex Ern.

arcem Capitolii] Distinctam illam ab ipso Capitolio, etiamsi in eodem monte sitam; unde Dion. Hal. X, 14. τὴν ἄκραν προσεχῆ τῷ Καπετωλίῳ.

mixto milite] Scil. ex militibus urbanis et vigilibus; nisi praestat Lud. Schilleri explicatio: *milite cum senatoribus equitibusque mixto.* Doed.

Gratilla] Eadem esse creditur quam posthac Domitianus relegavit. Plin. Epp. III, 11. coll. V, 11. Ma. *Gratilia.*

69. veniretur, artas res nuntiaret. Noctem adeo quietam egit, ut digredi sine noxa potuerit: quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat, et hibernus imber repente fusus oculos auresque impediebat. 70. Luce prima Sabinus, antequam in vicem hostilia coeptarent, Cornelium Martialem e primipilaribus ad Vitellium misit cum mandatis et questu quod pacta turbarentur. Simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot illustres viros. cur enim e rostris fratris domum, imminentem foro et irritandis hominum oculis, quam Aventinum et penates uxoris petisset? ita privato et omnem principatus speciem vitanti convenisse. contra Vitellium in palatium, in ipsam imperii arcem regressum; inde armatum agmen emissum; stratam innocentium caedibus celeberrimam urbis partem; ne Capitolio quidem abstineri. togatum nempe se et unum e senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium praeliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium iudicatur; iam Hispaniis Germaniisque et Britannia desciscentibus fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad condiciones vocaretur. pacem et concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse. si conventionis paeniteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem: quantum occisis uno sene et uno iuvene profici? iret obviam legionibus et de summa re-

C. 70. *deponendi imperii*] Pendent genitivi ex omisso subiecto *speciem* vel simili, quod ex praedicato imaginem mutuandum est.

oculis] Scil. idoneam. Vid. in c. 50.

togatum] Opp. sagatum.

iudicatur] Ita Latini, cum de bello et proeliis loquuntur, sicut et Graeci *κρίνειν*. Cic. Att. X, 7. *Hoc vide non esse iudicium de tota contentione in Hispania.* Curio ap. Caes. B. Civ. II, 32, 6. *Diiudicata iam belli fortuna.* Vell. P. II, 3. *Discordiae civium, ante conditionibus sanari solitae, ferro diiudicatae.* Boxhorn.

utilia] Cur non potius *utilem, pulchram*? Gron. Ideo quod ad similitudinem notissimi: *Triste lupus stabulis*, dicta sunt; vid. Ann. XI, 16.

rum illic certaret: cetera secundum eventum praelii 69. cessura. Trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimio ardori imparem esse modestiam suam. et monuit Martialem, ut per secretam aedium partem occulte abiret, ne militibus internuntius invisae pacis interficeretur. ipse neque iubendi neque vetandi potens, non iam imperator sed tantum belli causa erat. 71. Vixdum regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor. cito agmine forum et imminentia foro templa praetervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinae arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi, dextrae subeuntibus; in quarum tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant. neque illis manus nisi gladiis armatae; et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur. Faces in prominentem porticum iecere. et sequebantur ignem, ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revolsas undique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. Tum diversos Capitolii aditus invadunt, iuxta lucum asyli et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. improvisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. nec sisti poterant scandentes per coniuncta aedificia, quae, ut in multa pace, in altum edita solum Capitolii aequabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint an obsessi,

C. 70. *nimio ardori* Put. At Ma. BG. *nimius ardor*. Suspicor: *cuius nimius ardor; ei imparem esse modestiam suam.* Doed.

militibus ex Ma. BR. restitui. At edd. *a militibus.*

cessura] Pro successura, ut Ann. I, 28.

modestia] Plane ut Ann. I, 11.

C. 71. *cito agmine*] Vide an distinguendum sit: *furens miles aderat. Nullo duce, sibi quisque auctor, cito agmine forum* etc. Doed.

lucum asyli] Credo intelligi locum qui *inter duos lucos* vocabatur, iuxta quem asylum fuit. Ibi viam in Capitolium fuisse patet ex Liv. I, 8. Ex Ern.

69. quae crebrior fama, innitentes ac progressos depulerint. inde lapsus ignis in porticus appositas aedibus; mox sustinentes fastigium aquilae vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. sic Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit. 72. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis si per mores nostros liceret deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum exscindi. Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum quibus armorum causis! quo tantae cladis pre-

fama, innitentes] Ita correxi quod Ma. habet *famam nitentes*. Nam dividuntur oppugnantes: pars e gradu pugnabat, *innitens* aedificiis, ut illi III, 28. *humeris innitebantur;* alteri per tecta in solum Capitolii *enitebantur* progressi. Porro *depulerint* de *conatu* depellendi intelligendum. At edd. *fama, quo nitentes ac progressos depellerent*. Doed.

aquilae] Intell. trabes quae in formam triangulorum redactae efficiebant fastigium templi, *ἀέτωμα, fronton, Giebelfeld.* Bekkeri Anecdd. *ἀετοί· τὰ προνόμια τῶν ναῶν, τὰ φατνώματα τῶν ὀρόφων διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξιν ἀετῶν.* Pausan. I, 24, 5. II, 73. Ex Bach. Vid. Boettiger. in Amalth. T. I. p. 73.

C. 72. *pignus imperii*] Signum vel argumentum, ut Ovid. Met. II, 38. *Pignora da genitor, per quae tua vera propago credar.* Res ex Liv. I, 55. nota.

dedita urbe] Urbem Romam re vera Tuscis deditam esse ex testimoniis veterum scriptorum acute explicatis ostendit Niebuhrius in Hist. Rom. I. pag. 606—609. ed. tert. Male nonnulli editores Tacitum oratorie, non historice, locutum esse opinantur. Ritt. Add. Ottfr. Mueller. Etrusc. I. p. 120.

civili bello] Sullam inter et Marium gesto, a. u. 671. Appian. B. Civ. I, 86. *αἷς ἡμέραις καὶ τὸ Καπιτώλιον ἐπίμπρατο· καὶ τὸ ἔργον τινὲς ἐλογοποίουν Κάρβωνος ἢ τῶν ὑπάτων ἢ Σύλλα πέμψαντος εἶναι· τὸ δ' ἀκριβὲς ἄδηλον ἦν, καὶ οὐκ ἔχω τὴν αἰτίαν ἐγὼ συμβαλεῖν δι' ἣν ἂν οὕτως ἐγένετο,* coll. c. 83. Plut. Sull. 27. Cic. Cat. III, 4. Flor. III, 21.

nunc palam . . pretio stetit] Gemina est in una enunciatione interrogatio, ad modum Homerici: *τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν;* libertate nostro sermoni inconcessa. Ut illic *ὢν* cogitatione addendum, sic h. l. participium *obsessum* repetendum ad *quibus armorum causis*. Tam causas requirit tantae cladis quam eventus. Et causae quidem foedae erant et detestabiles, dominandi cupido et civiles irae; eventus vero sive pretium vile erat aut nullum,

tio stetit? pro patria bellavimus? Voverat Tarquinius 69.
Priscus rex bello Sabino, ieceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis quam quo modicae adhuc populi Romani res sufficerent. Mox Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus capta Suessa Pometia hostium spoliis exstruxere. Sed gloria operis libertati reservata: pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit, ea magnificentia, quam immensae postea populi Romani opes ornarent potius quam augerent. Isdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto quadringentorum quindecim annorum spatio Lucio Scipione, Gaio Norbano consulibus flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit; hoc solum felicitati eius negatum: Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad

quoniam dominus tantum mutatus est, non libertas recuperata salutive patriae consultum. Reprehendat hanc affectus professionem in rerum scriptore, si quis volet, unius Thucydidis admirator, dumne exstirpare conetur, Ritteri exemplo. Doed.

Voverat Tarquinius] Vid. Liv. I, 38. *Aream ad aedem in Capitolio Iovis, quam voverat bello Sabino, iam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis.*

sociorum studiis] Novum hoc, nam quod Liv. I, 44. narrat: Idem Servius proceres Latinorum *perpulit ut Romae fanum Dianae populi Latini cum populo Romano facerent*, ad Capitolium non pertinet.

Horatius Pulvillus] Liv. II, 8. *Nondum dedicata erat in Capitolio Iovis aedes. Valerius Horatiusque sortiti sunt uter dedicaret. Horatio sorte evenit;* coll. VII, 3. Dion. Hal. V, 35.

quadringentorum quindecim] Ratio temporum evincit scribendum esse CCCCXXV. Adi Fastos. Lips.

victor Sulla] Plin. H. N. XXXVI, 5. *Sic est inchoatum Athenis templum Iovis Olympii, ex quo Sulla Capitolinis aedibus advexerat columnas.*

felicitati eius] Plin. H. N. VII, 43. *Unus hominum ad hoc aevi Felicis sibi cognomen asseruit L. Sulla, civili nempe sanguine ac patriae oppugnatione occupatum. . . Hoc tamen nempe felicitati suae defuisse confessus est quod Capitolium non dedicavisset.*

Lutatii Catuli .. mansit] Is enim templum a. u. 685. dedicaverat nomenque foribus aedis inscripserat. Huic nomen Iulii Caesaris substitui decreverat senatus per Caesaris adulationem, narrante Dione XLIII, 14. Id quanquam acceptum ab Caesare, non videtur factum.

inter tanta Caesarum Ryckius. Nam praeter Caesarem etiam Augustus Capitolium exornaverat, ut ipse in marmore

69. Vitellium mansit. ea tunc aedes cremabatur. **73.** Sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit. quippe Vitellianus miles neque astu neque constantia inter dubia indigebat: ex diverso trepidi milites, dux segnis et velut captus animi, non lingua, non auribus competere; neque alienis consiliis regi neque sua expedire; huc illuc clamoribus hostium circumagi; quae iusserat vetare, quae vetuerat iubere. mox, quod in perditis rebus accidit, omnes praecipere, nemo exsequi. postremo abiectis armis fugam et fallendi artes circumspectabant. Irrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine, ferro flammisque miscent. Pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi obtruncantur. Flavium Sabinum inermem neque fugam coeptantem circumsistunt, et Quintium Atticum consulem, umbra honoris et suamet vanitate monstratum, quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecerat. Ceteri per varios casus elapsi, quidam servili habitu, alii fide clientium contecti et inter sarcinas abditi. Fuere qui excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent. **74.** Domitianus prima irruptione apud aedituum occultatus, sollertia liberti lineo amictu turbae sacricolarum immixtus ignoratusque, apud Cornelium

Ancyr. memorat: *Capitolium et Pompeium theatrum, utrumque opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei.* At Ma. *inter ta caesrum.*

C. 73. *competere*] Ex Sall. Fr. ap. Non. *Formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere.* Add. Ann. III, 46.

ferro . . miscent] Ex Liv. I, 29. *Cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet.*

umbra honoris] Usu insignium consularium, quae amovenda in tali periculo fuerant. Ern. Vid. in Germ. 43.

casus] I. e. occasiones vel opportunitates casu oblatas.

audaciam pro latebris] Bella imitatio Sallustiani dicti, Cat. 58. *Audacia pro muro habetur.* Ern.

C. 74. *lineo . . immixtus*] Suet. Dom. I. *Irrumpentibus adversariis et ardente templo apud aedituum clam pernoctavit ac*

**Primum paternum clientem iuxta Velabrum delituit. 69.
ac potiente rerum patre, disiecto aeditui contubernio, modicum sacellum Iovi Conservatori aramque posuit casus suos in marmore expressam; mox imperium adeptus Iovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit. Sabinus et Atticus onerati catenis et ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone voltuque excipiuntur, frementibus qui ius caedis et praemia enavatae operae petebant. Clamore proximis orto sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. stantem pro gradibus palatii Vitellium et preces parantem pervicere, ut absisteret. Tum confossum collaceratumque et absciso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. 75. Hic exitus viri haud sane spernendi. quinque et triginta stipendia in re publica fecerat, domi militiaeque clarus.**

C. 74. *enavatae* edd. At Ma. *enovatae*. *proximis* Ma. At edd. *a proximis*.

mane Isiaci celatus habitu interque sacrificulos vanae superstitionis cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem contulisset, ita latuit, ut scrutantibus qui vestigia subsecuti erant deprehendi non potuerit. Nam lino amicti erant Isidis sacerdotes. Iuven. VI, 533. *Grege linigero circumdatus et grege calvo plangentis populi currit derisor Anubis.* Et extat nummus in eius rei memoriam excusus a Domitiano.

Iovi Conservatori] Memoria extat in Domitiani nummis inscriptis: *Iovi Conservatori SC.* id est *Senatus consulto.* Sacellum araque fuere in Capitolio inter Capitolini et Custodis Iovis templa. Brot.

expressam] Activo prope sensu, pro *expressos* repraesentatosque *habentem*, exemplo Valerii Fl. I, 491. *casusque tuos expressa, Phalere, arma geris.* Similiter *exercita aestas, militia* Ann. I, 17. 35. pro *exercente.*

Iovi Custodi] Sunt etiam quanquam rariores Domitiani nummi inscripti: *Iovi Custodi SC.* Templum illud ingens fuit in Capitolio ultra templum Iovis Capitolini et gradibus Tarpeiae rupis proximum. Brot.

ut absisteret, a precibus. Rupert. Immo, a gradibus palatii atque introiret, et subtrahendo oculos tacite facinus permitteret. Doed.

C. 75. *in republica*] Haec verba hoc loco inepte posita intellexit Ernestius et ante *domi militiaeque* transponit. Ibi tamen si non inepta, at otiosa tamen sunt. Toto versu, non uno verbo promovit ea librarius. Suspicor: *In republica* (scil. *administranda*) *innocentiam . . non argueres.* Nempe garrulitas

69. innocentiam iustitiamque eius non argueres; sermonis nimius erat: id unum septem annis quibus Moesiam, duodecim quibus praefecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. in fine vitae alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. quod inter omnis constiterit, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat. Caedem eius laetam fuisse Muciano accepimus. ferebant plerique etiam paci consultum dirempta aemulatione inter duos, quorum alter se fratrem imperatoris, alter consortem imperii cogitaret. Sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus ac velut vicem reddens, quod interrogantibus quis Capitolium incendisset se reum Atticus obtulerat, eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse et a partibus Vitellii amolitus videbatur.

76. Isdem diebus Lucius Vitellius positis apud Feroniam castris excidio Tarracinae imminebat, clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant. Praeerat, ut supra memoravimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis quam ducum similes. non vigilias agere, non intuta moenium firmare: noctu dieque fluxi et amoena litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro, donisque ac pecuniis acerbe per municipia conqui-

C. 75. *dirempta* edd. At Ma. *direpta*, ut c. 81.

Sabini, quae ei obiiciebatur, *privati* hominis vitium erat. DOED.

C. 76. *supra*] Vid. c. 57.

fluxi] Scil. luxuria, ut Cic. Off. I, 30. *Intelligemus quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere.*

personantes] Transitive vel causative, ut Virg. A. VI, 171. *Cava dum personat aequora concha*, coll. v. 418.

Apinius] Vid. c. 57. unde patet hunc Apinium deficientibus a Vitellio se ducem obtulisse, adeoque a Vespasiani partibus fuisse. ERN.

rendis plus invidiae quam virium partibus addebat. 69.
77. Interim ad Lucium Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit, pollicitusque, si praesidium acciperet, vacuam arcem traditurum, multa nocte cohortes expeditas summis montium iugis super caput hostium sistit. Inde miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit. sternunt inermos aut arma capientes, et quosdam somno excitos, cum tenebris, pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. pauci gladiatorum resistentes neque inulti cecidere; ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicae inter primum tumultum evasere, in quis praefectus classis Apollinaris; reliquae in litore captae, aut nimio ruentium onere pressas mare hausit. Iulianus ad Lucium Vitellium perductus et verberibus foedatus in ore eius iugulatur. fuere qui uxorem Lucii Vitellii Triariam incesserent, tanquam gladio militari cincta inter luctum cladesque expugnatae Tarracinae superbe saeveque egisset. Ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percontatus statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. Quod salutare non modo partibus Ve-

C. 77. *traditurum* edd. At Ma. AB. *tradi futurum*, male repetita syllaba *fu* ex superiore voce *perfugit*. Id Bachius restituit tanquam esset: *fore ut traderetur*, coll. Ann. VI, 37. *Hortatus . . capessere*.

reliquae . . captae, *aut* edd. At Ma. *reliquas . . captae ut*. Suspicor: *reliquas in litore capit aut . . mare hausit*. Subiectum est *miles* ut supra, sive mavis *servus Capitonis*, expeditioni praepositus. Doed.

incesserent Ernest. coll. c. 78. *Nec defuere qui Antonium suspicionibus arguerent*. At MSS. *incesserint* forma perfecti inaudita; nisi scribas *incessierint*.

C. 77. *ruentium*] H. e. irruentium, ut IV, 78.

inter luctum cladesque] Expectes potius *inter luctus clademque*. Doed.

lauream] Ut Plin. Pan. 8. *Allata erat ex Pannonia laurea*, i. e. laureatae litterae, ut Agr. 18. Liv. V, 28.

69. spasiani sed rei publicae fuit. nam si recens victoria miles et super insitam pervicaciam secundis ferox Romam contendisset, haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret. quippe Lucio Vitellio quamvis infami inerat industria; nec virtutibus, ut boni, sed quomodo pessimus quisque, vitiis valebat.

78. Dum haec in partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat. causa tam pravae morae, ut Mucianum opperirentur. Nec defuere qui Antonium suspicionibus arguerent tanquam dolo cunctantem post secretas Vitellii epistolas, quibus consulatum et nubilem filiam et dotales opes pretium proditionis offerebat. alii ficta haec et in gratiam Muciani composita. Quidam omnium id ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum quam inferre, quando validissimae cohortes a Vitellio descivissent, et abscisis omnibus praesidiis cessurus imperio videbatur. sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini corrupta, qui sumptis temere armis munitissimam Capitolii arcem et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem adversus tris cohortes tueri nequivisset. Haud facile quis uni assignaverit culpam, quae omnium fuit. nam et Mucianus ambiguis epistolis victores morabatur, et Antonius praepostero obsequio, vel dum rege-

infami] Nihil ad rem facit Vitellii infamia. Suspicor *infamis*; nam quae statim sequuntur: *vitiis valebat*, postulant ut etiam *industriae* hominis suus auferatur honor, talis epitheti additamento, quo ipsa industria inter vitia numerari possit debeatque. Significatur nimirum *delatoris industria*, ut c. 6. Varus *secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus, unde infami gratia pilum adepto.* Nam III, 38. *datae sunt L. Vitellio delationis partes* adversus Blaesum. Pariter de Silio Italico Plin. Epp. III, 7. *Credebatur sponte accusasse . . mox maculam veteris industriae laudabili otio abluerat.* Doed. At nihil ad rem militarem facit industria delationibus infamis.

C. 78. *Ocriculi*] Oppido Umbriae, hodie *Otricoli.*

ambiguis epistolis] Vid. c. 52. *Mucianus . . media scriptitabat.*

regerit Pichena. Nimirum *vel* pro *etiam* dictum, non pro *sive.*

rit invidiam, crimen meruit; ceterique duces dum per- 69.
actum bellum putant, finem eius insignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mile equitibus praemissus ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat, donec obsessi Capitolii fama cunctos simul exciret. **79.** Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra multo iam noctis serum auxilium venit. illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, tremere urbem, maesta omnia accepit; plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre praelium adversum fuerat; namque incautum et tanquam ad victos ruentem Vitelliani, interiectus equiti pedes, excepere. Pugnatum haud procul urbe inter aedificia hortosque et anfractus viarum; quae gnara Vitellianis, incomperta hostibus metum fecerant. neque omnis eques concors, adiunctis quibusdam qui nuper apud Narniam dediti fortunam partium speculabantur. Capitur praefectus alae Tullius Flavianus; ceteri foeda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis victoribus. **80.** Eo successu studia populi aucta; volgus urbanum arma

Sensus est: Antonius quamquam invidiam exusti Capitolii in Mucianum ut morae auctorem retorquebat, tamen in culpa fuit; nam obsequi tam pravis imperiis non debuerat. At MSS. *regeret.* DOED.

insignivere] H. e. cunctando effecerunt ut bellum, quod properando paene sine sanguine confici poterat, sub ipsum finem, clade Capitolii, clarorum virorum trucidatione et cruenta caede insigne esset.

Salaria via] Hodie *Porta Salara*, quae a Collina Romae porta in Sabinos ferebat, sic dicta a *salinis* circa eam factis, vel ut Festus dicit a *sale*, quod Sabini per eam a mari deferebant. Plin. H. N. XXX, 7. Strab. V, 3. p. 228. Adlers Beschr. d. Stadt Rom 6. p. 59. RUPERTI.

C. 79. *Saxa rubra*] Oppidum propinquum Romae seu ponti Mulvio in via Flaminia. Cic. Phil. II, 31.

foeda fuga] Hoc vereor ut verum sit. Immo consternatio fecit ut fugerent. Itaque legendum puto: *ceteri in foedam fugam consternantur.* ERN. Sicut Liv. X, 43. *Repente in fugam consternantur.* Ablativum equidem defendere nequeo. Ergo assentior, nisi quod praep. *in* non necessario requiritur. DOED.

C. 80. *volgus urbanum*] H. e. populi pars tribubus non descripta; tribus enim iam ante (c. 58.) delectu habito arma ceperant. Ex BITT.

69. cepit. paucis scuta militaria; plures raptis, quod cuique obvium, telis signum pugnae exposcunt. Agit grates Vitellius et ad tuendam urbem prorumpere iubet. Mox vocato senatu deliguntur legati ad exercitus, ut praetexto rei publicae concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum discrimen adiere, aspernante milite condiciones pacis. volneratur praetor Arulenus Rusticus. auxit invidiam, super violatum legati praetorisque nomen, propria dignatio viri. palantur comites, occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus; et ni dato a duce praesidio defensi forent, sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exitium temerasset. Aequioribus animis accepti sunt qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed duci plus auctoritatis. 81. Miscuerat se legatis Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum

quod cuique] Ex Virg. A. VII, 507. *Quod cuique repertum rimanti telum ira facit.* Offensionem habuit *quod*, ad pluralem *telis* relatum, correxitque Heinsius: *quod cuique obvium teli.* At enim ut *telis* plurali *plures*, ita vicissim *quod* singulari *cuique* accommodatum est. Nam singuli singula tela sive gladios sive hastas sive sudes rapuere, h. e. arripuere. Doed.

Volneratur] Plin. Epp. I, 5. *Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte adeo, ut librum recitaret ederetque, in quo Rusticum insectatur atque etiam Stoicorum simiam appellat, adiicit Vitelliana cicatrice stigmosum. Agnoscis Reguli eloquentiam.* Hoc cicatricis Vitellianae convicium est ab vulnere quod tunc accepit. Lips.

palantur non intransitive ut alibi, sed passive accipiendum, pro *dissipantur*, novo usu, non incredibili, si quidem *palari* h. e. passim vagari, deminutivum est verbi *pandere*. Sin corruptum est, non male Ritterus, *pelluntur* proposuit. Doed.

proximus lictor]. Qui proxime ante magistratum ingreditur. Liv. XXIV, 44. *Consul animadvertens proximum lictorem iussit.* Ern.

in exteras gentes] Ut Cic. Verr. IV, 11. *Ordinis auctoritati, quae nisi gravis erit apud socios, in exteras nationes, ubi erit imperii nomen et dignitas?* Similiter Tac. Ann. VI, 22. *Tristia in bonos, laeta apud deteriores.* Respondet nostrum: *für das Ausland.*

C. 81. *Musonius Rufus*] Vid. Ann. XIV, 59.

rum aemulatus; coeptabatque permixtus manipulis, bona pacis ac belli discrimina disserens, armatos monere. id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam. Obviae fuere et virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis. eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura. virgines cum honore dimissae: Vitellio rescriptum Sabini caede et incendio Capitolii dirempta belli commercia. 82. Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, ut castris iuxta pontem Mulvium positis postera die urbem ingrederentur. ratio cunctandi, ne asperatus praelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret. Sed omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant; simul fulgentia per colles vexilla, quanquam imbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. Tripartito agmine, pars ut astiterat Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit; tertium agmen per Salariam Collinae portae propinquabat. Plebs invectis equitibus fusa; miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit. Praelia ante urbem multa et varia, sed Flavianis consilio ducum praestantibus saepius prospera. ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis, ad Sallustianos hortos, per angusta et lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina irru- 69.

belli commercia] Ex Virg. A. X, 532. *Belli commercia Turnus sustulit ista prior iam tum Pallante peremto.*

C. 82. *postera*] Sensus est: ut postera demum die *ingrederentur* agmine modesto; ac non statim *irrumperent* impetu.

consuleret] I. e. parceret, ut Ann. III, 46.

Salariam] Scil. viam, ut c. 78.

praesidiis] I. e. agminibus.

Sallustianos hortos] Vid. Ann. XIII, 47.

69. perant, circumvenirentur. Concurrere et in campo Martio infestae acies. pro Flavianis fortuna et parta totiens victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant; et quanquam pulsi, rursus in urbe congregabantur. 83. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat. quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis aut si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur: nam milite ad sanguinem et caedes obverso spolia in volgus cedebant. Saeva ac deformis urbe tota facies. alibi praelia et volnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes; quantum in luxurioso otio libidinum, quicquid in acerbissima captivitate scelerum, prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis Lucio Sulla, semel Cinna victoribus; nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissae. velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exultabant, fruebantur, nulla partium cura, malis publicis laeti.

desperatione sola] Scil. adiuti, quoniam quidem *una salus victis nullam sperare salutem*; sive per ellipsin sive zeugmate audaciore, tanquam praecesserit: *Flaviani adiuvabantur fortuna*, pro eo quod eodem sensu legitur: *pro Flavianis fortuna*. Doed.

C. 83. *scortis similes*] H. e. pathici.

inhumana commune praedicatum est duplicis subiecti *securitas* et *voluptates intermissae*. Sensus est: Par crudelitas sub Sulla Cinnaque et sub Vitellio, sed ultra quam crudele et prorsus inhumanum sub Vitellio illud erat, quod civitas secure, nullo affectu, nulla rei publicae ac ne partium quidem cura vel miseratione spectabat caedem, et ne tantisper quidem voluptates intermittebat. Nam *inhumanus* i. q. *ferus*, *immanis*, ut II, 83. *bestialisch*. Doed.

festis diebus] Saturnalibus, quae tum maxime celebrabantur Romae: vid. c. 78.

gaudium] Quasi ludi gladiatorii ederentur. Flor. III, 21. *Hoc deerat unum populi Romani malis, ut . . in urbe media ac foro quasi arena cives cum civibus suis gladiatorio more concurrerent.*

fruebantur] Absolute ut IV, 69. Plin. Pan. 34. *Agnoscebamus et fruebamur cum victimae . . ad lenta supplicia gravioresque*

84. Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit, quae acerrimus quisque ut novissimam spem retinebant. eo intentius victores, praecipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem, tormenta, aggeres facesque, quicquid tot praeliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes. Urbem senatui ac populo Romano, templa dis reddita: proprium esse militis decus in castris. illam patriam, illos penates. ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani, quanquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare, suprema victis solatia amplectebantur. multi semianimes super turres et propugnacula moenium exspiravere. Convolsis portis reliquus globus obtulit se victoribus; et cecidere omnes contrariis volneribus, versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit. 69.

Vitellius capta urbe per aversam palatii partem Aventinum in domum uxoris sellula defertur, ut si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. dein mobilitate ingenii, et quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum eius declinantibus. terret solitudo et tacentes loci; tentat clausa, inhorrescit vacuis; fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab

poenas ducerentur. Et Iuven. I, 49. *Marius bibit et fruitur dis iratis*, h. e. vita fruitur etsi deos habet iratos; nec enim *diis* pendet ex *fruitur*. Doed.

C. 84. *castrorum*, praetorianorum.

solatia] Ut *ne morerentur inulti.*

diem vitavisset] I. e. diurni temporis pericula. Bipontini diem fatalem, Ernestius eius diei periculum intelligit.

pudenda latebra] Suet. Vit. 16. *Confugit in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane lectoque et culcita obiectis.* Foedius etiam Xiphil. LXV, 22. *ἐς οἴκημα σκοτεινόν, ἐν ᾧ ἐτρέφοντο κύνες, ἐκρύφθη.*

69. Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur. Vinctae pone tergum manus; laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum appetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputavit ac statim confossus est. 85. Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. Una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti, se tamen imperatorem eius fuisse respondit. ac deinde ingestis volneribus concidit. et volgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem. 86. Patria illi Luceria. septimum et quinquagesimum aetatis annum explebat. consulatum, sacerdotia, nomen locumque inter primores nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. principatum ei detulere qui ipsum non noverant. studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quaesita perinde affuere quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas; quae, ni assit modus, in exitium vertuntur. amicitias dum magnitudine munerum, non constantia morum continere putat, meruit magis quam habuit. rei publicae

C. 86. *patria illi Luceria* Oberlinus. At MSS. *patrem i. Luceriam.*

C. 85. *rostra*] Ibi enim paucis ante diebus princeps concionatus erat: vid. c. 68. 70.

C. 86. *meruit*] H. e. dignus erat fidelioribus amicis quam nactus et expertus est. Nam bonitas animi, quae in munificentia cernitur, digna quidem est quae amicos faciat, non facit tamen, quia bonitas sola, si deest morum constantia, tanquam ex imbecillitate animi profecta risui plerumque et contemptui obnoxia est. Ergo quos sibi obligaverat beneficiis fidelesque ei esse par erat, tamen non erant fideles. In alia omnia discedunt interpretes.

haud dubie intererat Vitellium vinci: sed imputare per- 69.
fidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodi-
dere, cum a Galba descivissent.

Praecipiti in occasum die, ob pavorem magistratuum senatorumque, qui dilapsi ex urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum et Caesarem consalutatum miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.

vinci edd. At Ma. *vicinis*.

imputare] H. e. exprobrare, obiectare, ut Agr. 27. 34. Dum fatetur Tacitus Vitellium imperio indignum fuisse, uni perfidiae crimini eundem exemptum vult, cum praesertim supra *simplicitatis* ei laudem tribuerit, quae contraria est *perfidiae*. Oblique perstringit opinor nescio cuius viri clari vel nobilis scriptoris de Vitellio iudicium, quem nominare aliqua de causa noluit, qui cum ipse duplicis perfidiae reus esset, simplicem Vitellii defectionem, si qua fuit, severius iusto incessiverat. Nam eatenus perfidiae accusari Vitellius poterat, quod senatus auctoritati Othoni imperium deferenti morigeratus non erat. Longe aliter Ritterus: „*imputare perfidiam* „est tanquam egregium facinus „approbare, *ihre Treulosigkeit* „*in Rechnung bringen*. Perfi„diam imputare non poterant: „quippe id quod in Galba displi„cebat, avaritia, eodem vitio „Vespasianus laboravit.“ Contortissima ea videtur ratio. Doed.

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM.

Facies et miseria Romanae urbis. Lucius Vitellius se cum cohortibus dedidit, sed nihilo secius ipse interfectus. Imperium Vespasiano a senatu firmatur. De Helvidio Prisco accuratius, insigni viro. de dissidiis eius cum Eprio Marcello. Mucianus inter haec urbem ingreditur. is Calpurnium Pisonem interfici iubet. Initia et motus Germanici belli, quod duce Civili Batavi primi sumpsere, postque eos Canninefates. Praesidia et castella Romana eiiciunt aut exscindunt, Aquilium primipilarem et post Munium Lupercum legatum praeliis vincunt. Batavorum veteranae cohortes ad Civilem abeunt, quas transitu arcere Herennius Gallus conatus item funditur. Castra Vetera a Civili obsidentur. Seditio militum Romanorum contra Hordeonium. et summa belli Voculae permissa. is contra Civilem duxit, et primo victus praeter spem fortuito vicit. Iterum seditio in Hordeonium, quem et interficiunt. Quaedam Romae et apud patres gesta. iurgia, accusationes. Vitelliani milites compositi. Alii in praetorium lecti. Lucii Pisonis in Africa caedes. Capitolium Romae restitutum. Treveri et Lingones a Romanis deficiunt, et reliquae Galliae nutant. ipsae legiones cohortesque Romanae parum fidae, et a Gallis corrumpebantur. Vocula interficitur. Sacramentum Romani pro imperio Galliarum dicunt. idem legiones fecere, quae in Veteribus diu obsessae. Nec Agrippinenses ultra cunctati quin se victoribus adiungerent. Lingones interea a Sequanis fusi. At Romae imperium periclitari visum, et Domitianus ipse ad hoc bellum accingitur cum Muciano. legiones quattuor statim praemissae. Galli interea deliberant, et pluribus sanioribusque cum servitute pax placuit. Petilius Cerialis Treveros magna pugna vicit. Defectores plerique ad Romana signa rediere. Paulo post acre iterum certamen cum Civili et Classico, cuius initio ambiguo laetus Romanis finis fuit. Vespasiani in Aegypto facta et edita ab eo miracula. itemque de oraculis et sortibus ad eius imperium.

Gesta illo ipso anno, cuius parte postrema consules imperator Vespasianus iterum, Titus filius.

---

69. **1.** Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coeperat. Armati per urbem victores implacabili odio victos consectabantur. plenae caedibus viae, cruen-

ta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors 69.
obtulerat. Ac mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos; si quem procerum habitu et iuventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. quae saevitia recentibus odiis sanguine explebatur; dein verterat in avaritiam; nihil usquam secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes. Initium id perfringendarum domuum, vel si resisteretur, causa caedis; nec deerat egentissimus quisque e plebe, et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes et fortunae captae urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandae victoriae impares: quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis; pax et quies bonis artibus indigent. 2. Nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat. Praefectura praetorii penes Arrium Varum, summa potentiae in Primo Antonio. is pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapere. Ceteri modestia vel ignobilitate ut in bello obscuri, ita praemiorum expertes. Civitas pavida et

C. 1. *procerum habitu*] Tanquam proceritate Germanici milites agnoscerentur.

dein verterat] Expectares *vertebat;* sed plusquamperfectum praetulit, quia haec enunciatio dignatione non plus quam parenthesis valet. Quare dubitavi an distinctionem emendarem: *dein (verterat in avaritiam) nihil .. clausum sinebant.* Doed.

prodere ultro] H. e. prodere etiam, non satis rati eos non defendere. Cave *ultro* pro *sponte* dictum putes. Ceterum post *e plebe* distinctionem restitui a Walthero sublatam; nam *dominos* nemo praeter *servos* prodere poterat; plebecula autem non sibi deerat, quin domos perfringentibus et resistentes occidentibus operam suam commodaret. Doed.

fortunae sunt species et formae singulae fortunae. Phaedr. IV, 16. 1. *Cum de fortunis quidam quereretur suis.* Cic. Rosc. Am. 20. *Ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis.*" Walth. Ut *τύχαι, ξυμφοραί.* Edd. cum Put. *fortuna.*

C. 2. *sedemque*] Palatium, ut III, 68.

69. servitio parata occupari redeuntem Tarracina Lucium Vitellium cum cohortibus exstinguique reliqua belli postulabat. praemissi Ariciam equites; agmen legionum intra Bovillas stetit. nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere, et miles infelicia arma haud minus ira quam metu abiecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per urbem incessit, nemo supplici voltu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis volgi immobiles. paucos erumpere ausos circumiecti pressere; ceteri in custodiam conditi. Nihil quisquam locutus indignum, et quanquam inter adversa, salva virtutis fama. Dein Lucius Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius quam adversis abstractus. 3. Isdem diebus Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur, discordibus municipiorum animis magis inter semet quam contumacia adversus principem. Viso milite quies. et minoribus coloniis impunitas; Capuae legio tertia hiemandi causa locatur, et domus illustres afflictae, cum contra Tarracinenses nulla ope iuvarentur. tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. solatio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo affixus in isdem anulis, quos acceptos a Vitellio gestabat. At Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit, laetus et spei certus:

occupari redeuntem] Occupari L. Vitellii reditum, invadi in ipso itinere, antequam Romam rediisset et partium suarum reliquiis sese iunxisset.

pressere] I. e. oppressere, ut Ann. XIV, 5.

vigilantior] Scil. ipso principe.

abstractus] Scil. in perniciem, ut Ann. IV, 13. *Ni . . paternis adversis foret abstractus.*

C. 3. *Tarracinenses*] Quanquam Flavianas partes iuverant. Vid. III, 76.

gratia] Scil. referenda vel debita.

diximus] Vid. III, 77.

principibus solita] Scil. decerni. Extat pars huius SC. sa-

quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, 69.
motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Aegyptum, Iudaeam Syriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur. addidere alacritatem Vespasiani litterae tanquam manente bello scriptae. ea prima specie forma: ceterum ut princeps loquebatur, civilia de se et rei publicae egregia. Nec senatus obsequium deerat: ipsi consulatus cum Tito filio, praetura Domitiano et consulare imperium decernuntur. 4. Miserat et Mucianus epistolas ad senatum, quae materiam sermonibus praebuere. Si privatus esset, cur publice loqueretur? potuisse eadem paucos post dies loco sententiae dici. ipsa quoque insectatio in Vitellium sera et sine libertate. id vero erga rem publicam superbum, erga principem contumeliosum, quod in manu sua fuisse imperium donatumque Vespasiano iactabat. ceterum invidia in occulto, adulatio in aperto erant. Multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civili data; sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco et Arrio Varo praetoria insignia. Mox

C. 4. *civili* edd. At Ma. *civilium*. Suspicor cum Bachio *civium*, ut III, 62. *ludicro iuvenum* restitui pro communi *iuvenalium*. Doed.

tis ampla in aenea tabula, Romae reperta in Basilica Lateranensi, edita a Grutero p. 242. et ab Orellio T. I. p. 567.; etsi quidam verentur ne supposita sit. Vid. I, 47. *Decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores*. Paulo post etiam consulatus addebatur et filiis honores.

ea prima . . forma] Haec erat forma litterarum primum et obiter legenti, sed si accuratius considerabatur, reperiebatur loqui ut iam confecto bello, ut princeps, qui principatum iam adeptus esset. Ern.

obsequium senatus] Genitivo subiectivo. Ut civiliter scripserat Vespasianus, ita obsequiose agebat senatus. Haec contra Lamallium, qui obsequium principis erga senatum intelligit.

C. 4. *sine libertate*] Quia sine periculo victo mortuoque insultabatur. Lips.

fingebatur] Scil. causa esse triumphalium dandorum; nam nullo praetextu et, id quod verum erat, civile propter bellum

69. deos respexere; restitui Capitolium placuit. eaque omnia Valerius Asiaticus consul designatus censuit: ceteri voltu manuque, pauci, quibus conspicua dignitas aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus assentiebantur; ubi ad Helvidium Priscum praetorem designatum ventum, prompsit sententiam ut honorificam in bonum principem, falsa aberant; et studiis senatus attollebatur. Isque praecipuus illi dies magnae offensae initium et magnae gloriae fuit.

5. Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus Tarracinae municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium illustre altio-

C. 5. *Tarracinae municipio* edd. scil. *genitus*. At Ma. *regione Italiae Carecinae municipio*. Suspicor: *Helvidius Priscus, origine Carecina, e municipio Italiae, Cluvio patre*. Sic Ann. XII, 24. *Clausus, origine Sabina*. Hist. II, 50. *Origo illi e municipio Ferentino*. Commemorantur *Καρακινοι*, *Καρακηνοί*, Samnitium gens, apud Zonar. Ann. VIII, 7. Ptolem. p. 66. ed. Paris. Doed.

praemio ornare et senatu indignum et adversus Mucianum contumeliosum videbatur. Narratur ea expeditio III, 46. sed tanquam in Dacos, non Sarmatas.

voltu, capite annuentes, *manuque* scil. porrigenda. Vopisc. Aurel. 20. *Aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus*, coll. Sen. Ep. 8.

falsa aberant] Variavit structuram, cuius constantia postulabat: *ita falsis vacuam* vel tale quid, quod ad amussim responderet adiectivo. Fortasse *ita* ex MS. Agr. asciscendum est post *principem*, non magis tamen necessarium quam I, 75. *Ut bello impares, in pace nihil amissuri*, coll. III, 11. V, 7. Sin corruptela subest, suspicabor transposito verbulo: *prompsit sententiam honorificam ut in bonum principem; falsa aberant, et studiis*, h. e. honorifice in principem ut in bonum dixit, ex animi sententia, sed neque adulatione laudem foedavit nec Mucianos, Antonios, Fuscos falsis laudibus extulit. Et plausit eius sapientiae vel eloquentiae senatus. Doed.

isque praecipuus] Pro praecipue. Quare comma post *dies* delevi. Praeterea plene ante *isque* distinxi, nam novus ordo narrandi orditur. Nihil illa in Vespasianum oratio offensae vel gloriae contraxit, sed hoc demum cum Marcello certamen, cui illustrando proxime sequentia praefatur. Doed.

C. 5. *iterum*] Prima eiusdem mentio II, 91.

Helvidius Priscus] Longe a Tacito diversum est Dionis Cassii iudicium LXVI, 12.

qui ordinem . . duxisset] H.

ribus studiis iuvenis admodum dedit, non ut plerique, 69.
ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rem publicam capesseret. doctores sapientium secutus est qui sola bona quae honesta, mala tantum quae turpia, potentiam, nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis annumerant. Quaestorius adhuc a Paeto Thrasea gener delectus e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit, civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitae officiis aequabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. 6. Erant quibus appetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur. Ruina soceri in exilium pulsus, ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseae accusare aggreditur. ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat: nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. primo minax certamen et egregiis utriusque orationibus testatum. mox dubia voluntate Galbae, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus,

ut plerique ut edd. At MSS. alterum *ut* omittunt. Ac defendit Sellingius ita, ut semel scriptum *ut* bis intelligatur.

doctores sapientium] H. e. ex sapientibus vel philosophis eos doctores secutus est. Edd. ex G. *doctores sapientiae.*

c. quoniam duxerat. Nam is ipse honor primipilatus patrem ex municipio obscurissimo cum suis in urbem traxerat ibique filio iuveni copiam altiorum studiorum fecerat. Doed.

altioribus studiis] Vid. in Agr. 7.

Quaestorius adhuc] Schol. in Iuven. V, 36. *Helvidius . . tam industrius fuit, ut cum sub Nerone Achaiam quaestor administraret, civitates quaedam, quas non adierat, inclamarent: αἱ ἡμεῖν πρέπον!* quod corruptum ex *καὶ ἡμῖν πρέπον!* scil. *ἐστὶν ἐπαρχέσαι σε.*

exuitur] Simplic. Comm. in Epict. Ench. 48. *διὸ καὶ ἔσχατος λέγεται τῶν παθῶν χιτὼν ἡ φιλοδοξία.* Ex Platonis Stoicorumve scriptis ductam hanc imaginem augurantur.

Ruina soceri] Vid. Ann. XVI, 33. — *rediit*] Apollonia, quo concesserat in exilium. Schol. Iuv. V, 36.

Marcellum Eprium] Vid. Ann. XVI, 22. 28.

testatum] Intellige certaminis illius testimonia superfuisse in his orationibus, quae Tacito adessent. Walth.

69. variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium.

Ceterum eo senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad principem legatos. hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium. Priscus eligi nominatim a magistratibus iuratis, Marcellus urnam postulabat, quae consulis designati sententia fuerat. 7. sed Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur. paulatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quaerente Helvidio: Quid ita Marcellus iudicium magistratuum pavesceret; esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret: ni memoria flagitiorum urgeretur. sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent. pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures imperatoris imbuant. fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio, quorum accusatores etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere. hoc senatus iudicio velut admoneri principem quos probet, quos reformidet. nullum maius boni imperii instrumentum quam bonos amicos esse. satis Marcello quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit; frueretur praemiis et impunitate, Vespasianum melioribus relinqueret. 8. Marcellus non suam sententiam impugnari, sed consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera

a magistratibus iuratis] H. e. a consulibus, iureiurando ante obstrictis, se nominaturos quos e republica censerent. Vid. Ann. I, 74. IV, 31. Liv. X, 41.

C. 7. *ni . . urgeretur*] Supplenda est apodosis: *ne pavesceret*. Doed. Alia huius loci condicio atque eorum plurimorum, de quibus dictum in A. I, 23. Immo *ni* est acerbe perstringentis; quod in suspicionis indicio esse solet *nisi forte*. Bernh.

Thrasea, *Sorano*] Vid. Ann. XVI, 21. *Sentio*, homine alioquin ignoto, cui quidam *Senecae* nomen substituere.

C. 8. *vetera exempla*] Non quasi semper legati sorte olim missi sed saepe, ut ap. Cic. Att.

exempla, quae sortem legationibus posuissent, ne am- 69.
bitioni aut inimicitiis locus foret. nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur; sufficere omnes obsequio. id magis vitandum, ne pervicacia quorundam irritaretur animus novo principatu suspensus et voltus quoque ac sermones omnium circumspectans. se meminisse temporum quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint; ulteriora mirari, praesentia sequi; bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare. non magis sua oratione Thraseam quam iudicio senatus afflictum: saevitiam Neronis per eiusmodi imagines illusisse, nec minus sibi anxiam talem amicitiam quam aliis exilium. denique constantia, fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu qui simul servierit. suadere etiam Prisco, ne supra principem scanderet, ne Vespasianum senem triumphalem, iuvenum liberorum patrem, praeceptis coerceret. quomodo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Haec magnis utrinque contentionibus iactata diversis studiis accipiebantur. Vicit pars quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum annitentibus retinere morem. et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu invidiae, si ipsi eligerentur.

9. Secutum aliud certamen. praetores aerarii (nam tum a praetoribus tractabatur aerarium) publicam paupertatem questi modum impensis postulave-

I, 19. Dion. C. LIX, 23. *πρέσβεις τε ἐπ' αὐτοῖς ἄλλους κλήρῳ καὶ τὸν Κλαύδιον αἱρετὸν ἔπεμψαν.* Lips.

principis honor] Obiectivo accipiendum genitivo.

illusisse] Sensus est: Nero quoties pervertere quempiam destinaverat, talibus iuris iustitiaeque imaginibus, quales erant accusationes ab ipso iussae, utebatur, ut illuderet hominum iudiciis.

mediis] H. e. moderatis, ut I, 19. *medie*, et IV, 23. *nimii.*

C. 9. *praetores aerarii*] Vid. Ann. XIII, 29.

69. rant. eam curam consul designatus ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem principi reservabat: Helvidius arbitrio senatus agendum censuit. Cum perrogarent sententias consules, Volcatius Tertullianus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statueretur. Censuerat Helvidius, ut Capitolium publice restitueretur, adiuvaret Vespasianus. eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit: fuere qui et meminissent. **10.** Tum invectus est Musonius Rufus in Publium Celerem, a quo Baream Soranum falso testimonio circumventum arguebat. ea cognitione renovari odia accusationum videbantur. sed vilis et nocens reus protegi non poterat: quippe Sorani sancta memoria; Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amicitiae, cuius se magistrum ferebat. Proximus dies causae destinatur. nec tam Musonius aut Publius quam Priscus et Marcellus ceterique motis ad ultionem animis expectabantur.

11. Tali rerum statu, cum discordia inter pa-

C. 10. *ad ultionem* Lipsius. At MSS. *adulationibus*.
C. 11. *patres* edd. ex G. At MSS. *partes*.

oblivio nominativus est; nec opponitur *silentio*, sed tanquam res *sponte* nata *consilio* modestorum. Nam *oblivium* non nisi pluraliter usurpatur. Doed.

C. 10. *Musonium Rufum*] Vid. Ann. XIV, 59.

Celerem] Vid. Ann. XVI, 32.

corruptorque] Si vulgari sensu accipietur, hysterologia existet; nam *corrumpere* praeceptis ac disciplina sua Celer Soranum ante debuerat quam *proderet* delatione. Quocirca *corruptor* pro *eversore* dictus est ut II, 92. Ann. II, 23. XV, 71. Doed.

amicitiae] H. e. amici, ut Ann. IV, 40. *Longe anteisse patris mei amicitias*, coll. II, 27. 77. Suet. Tib. 51. *Omnes amicitias et familiaritates . . intra breve tempus afflixit.* Non ignoro quidem abstracta *plurali* plerumque numero pro concretis poni vel singulari pro collectivis, ut *servitia* et *servitium;* at ne illud quidem sine exemplo. Propert. III, 11, 18. *Quae viva sequatur coniugium.* Apud ipsum Tacitum Ann. XII, 65. codices praeter Ma. *coniugium* exhibent, nuper demum expulsum. At edd. cum Lipsio: *amici et*, coll. Iuven. III, 116. *Stoicus occidit Baream delator amicum discipulumque senex.* Sed displicet *et qui* cum indicativo *ferebat* structum. Doed.

tres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, 69.
non leges, non princeps in civitate essent, Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis voltu tegeretur. Sed civitas rimandis offensis sagax verterat se transtuleratque. ille unus ambiri, coli. nec deerat ipse, stipatus armatis, domos hortosque permutans, apparatu, incessu, excubiis vim principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit caedes Calpurnii Galeriani. is fuit filius Gai Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne et decora ipsi iuventa rumore volgi celebrabantur, erantque in civitate adhuc turbida et novis sermonibus laeta, qui principatus inanem ei famam circumdarent. iussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem via Appia fuso per venas sanguine exstinguitur. Iulius Priscus praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus se ipse interfecit, pudore magis quam necessitate. Alfenus Varus ignaviae infamiaeque suae superfuit. Asiaticus enim (is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit.

12. Isdem diebus crebrescentem cladis Germanicae famam nequaquam maesta civitas excipiebat; caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias non ut mala loquebantur. Id bellum quibus cau-

decora . . iuventa] De formae specie intelligendum ut I, 53. non de morum honestate. Et *ipsi* Graeco more pro *ipsius*. Doed. Desideramus fidem tantae figurae. E litterarum vestigiis revocandum videtur *ipsius*. Bernh.

ignaviae infamiaeque] Per *ἓν διὰ δυοῖν* dictum. Sensus est: Alfenus Vitellio suoque splendori superstes fuit ad infamiam ignaviae suae tolerandam. Fuerat enim praetorio praefectus Vitellii beneficio, sed ignavior quam ut cum principe suo interire vellet.

Asiaticus enim] Causali coniunctione haec annexa, tanquam in *Alfenus Varus* lateret *unus* vel *solus*. Olim suspicabar: *Asiaticus (is enim libertus) malam.. expiavit*, coll. IV, 11. Nunc parenthesin statuere satis habui. De Asiatico vid. II, 57. Doed.

69. sis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant pars Chattorum, seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; nec opibus Romanis, societate validiorum, attriti viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti; mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erant et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere. 13. Iulius Paulus et Claudius Civilis regia stirpe multo ceteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecit. Iniectae Civili catenae, missusque ad Neronem et a Galba absolutus sub Vitellio rursus discrimen adit, flagitante supplicium eius exercitu. inde causae irarum, spesque ex malis nostris. Sed Civilis ultra

C. 12. *inter vada sitam* edd. ex GV. Vid. V, 12. *Superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.* At Ma. *iuvata sit an;* unde L. Walchius: *insulam iuxta sitam.*

C. 13. *multo* edd. *multos* Ma.

mare Oceanum] Ut Hor. A. P. 18. *flumen Rhenum.* Vid. in III, 42.

tergum ac latera] Duro anacolutho, tanquam *cuius* antecesserit, non *quam.*

Erant et domi per synesin ut Ann. VI, 42. *Spernuntur Parthus.* At edd. *Erat.* Reliqua vix sana sunt. Nam unde infinitivus *perrumpere* pendere dicatur? Quodsi ita sententiam suppleas: *Erat et domi delectus* (et egregius) *eques . . ad id delectus, ut arma . . . perrumperet,* praeter duritiem offensioni erit *praecipuo studio*, pro quo expectares *praecipua arte.* Suspicor: *Erant et domi delectatus eques . . . perrumpere.* Meminit eorum Tacitus quae Agr. 18. coll. Ann. XIV, 29. narraverat. Tunc enim auxiliares et haud dubie Batavi in insulam Monam cum armis equisque transnavere. Id quod tunc *necessitate* iubente fecerunt, idem antea ac domi *delectationis* causa exercere consueverant. Doed. Latitat, opinor, in *erant* verbum illud, ex quo pendebat infinitivus *perrumpere.* Bernh.

ultra quam barbaris solitum ingenio solers; et Serto- 69.
rium se aut Hannibalem ferens simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium praetendit, missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus averteret accita Vitellio auxilia et tumultus Germanici specie retentare legiones iubebatur. eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat, inclinato in Vespasianum animo et rei publicae cura, cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armatorum milia Italiam irrupissent. **14.** Igitur Civilis desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex eventu iudicaturus, novare res hoc modo coepit. Iussu Vitellii Batavorum iuventus ad delectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent; rursus impubes sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. hinc invidia; et compositae seditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos volgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. Neque enim societatem, ut olim, sed tanquam mancipia haberi. quando legatum, gravi quidem comitatu

averteret Ma. ut Ann. XII, 49. At edd. *avertere*.

C. 14. *compositae* Lipsius ex R. ut II, 100. *Secretum componendae proditionis*, coll. V, 22. At Ma. *compositi*.

C. 13. *oris dehonestamento*] Nam et Sertorius et Hannibal altero oculo privatus fuit. Liv. XXII, 2. Plutarch. Sert. 1. Kiessl.

C. 14. *desciscendi certus*, scil. a Vitellio; *altiore consilio*, desciscendi ab imperio Romano.

societatem] H. e. socios populi Romani esse.

quando legatum . . venire?] Raro legatum consularem ad se venire, qui quanquam non sine molestiis suis ob comitatum et superbiam tamen exoptatus veniret, tum ob honorificum aditum tum ut querelas provincialium audire posset.

69. et superbo cum imperio, venire? tradi se praefectis centurionibusque; quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula. instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam praedam et senes. attollerent tantum oculos, et inania legionum nomina ne pavescerent. at sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientes. ne Romanis quidem ingratum id bellum; cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriae rationem non reddi. 15. Magno cum assensu auditus barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. Missi ad Canninefates qui consilia sociarent. ea gens partem insulae colit, origine, lingua, virtute par Batavis; numero superantur. Mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes missas in Germaniam, ut supra rettulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni. pater eius multa hostilia ausus Gaianarum expeditionum ludibrium impune spreverat. igitur ipso rebellis familiae omine placuit, impositusque scuto more gentis et sustinentium humeris vibratus dux de-

C. 15. *omine* Waltherus ex GHB. At Ma. *homine*, Lipsius *nomine*.

sinus] Nempe qui explendi sint, ut III, 69. *In sinum eius omnis respublica cessit*, coll. c. 19. II, 92.

imputaturos, scil. *se esse*, non, *Romanos*. Hoc dicit: Si vincemur, Vespasiano culpam rebellionis tribuemus tanquam Primi Antonii litteris excitati; sin vincemus ipsi, excusatione non indigebimus.

C. 15. *adigit*, in conspirationem vel ad sacramentum.

ut supra] Vid. II, 69.

Gaianarum] Puerilem illam expeditionem describit Suet. Cal. 43. Vid. Agr. 13. G. 31.

more gentis] Mos igitur ille ignotus Romanis eo quidem aevo, nam postea irrepsit, sed non nisi cum barbaris. Galli, Gothi, Franci hunc in cooptando principe ritum habuerunt. Ex Lips. Scuto levati ter in gyrum portabantur. Grimm. Antiq. Iur. Germ. p. 234.

ligitur. Statimque accitis Frisiis (transrhenana gens 69.
est) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, Oceano irrumpit. nec praeviderant impetum hostium milites, nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat. capta igitur et direpta castra. Dein vagos et pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. simul excidiis castellorum imminebant; quae a praefectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque et quod militum in superiorem insulae partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus quam robur: quippe viribus cohortium abductis Vitellius e proximis Nerviorum Germanorumque pagis segnem numerum armis oneraverat. 16. Civilis dolo grassandum ratus incusavit ultro praefectos, quod castella deseruissent: se cum cohorte, cui praeerat, Canninefatem tumultum compressurum, illi sua quisque hiberna repeterent. Subesse fraudem consilio et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem ducem eius belli sed Civilem esse patuit, erumpentibus paulatim indiciis, quae Germani, laeta bello gens, non diu occultaverant. Ubi insidiae parum cessere, ad vim transgressus Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit. Directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno, et obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc appulerant. Nec diu certato Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit, perculsique milites improvisa proditione a sociis hostibusque caedebantur. Eadem etiam navibus perfidia. pars remigum e Batavis, tanquam imperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant. mox contra tendere, et puppes hostili

praevidissent edd. At Ma. *providissent.*

Nerviorum] Qui Germanicam originem affectabant. Germ. 28.

C. 16. *eius belli*] Tumultus Canninefatum.

propriis cuneis] Dativus est, pro *in proprios cuneos.* Nam propria Germanis haec acies. Germ. 6. *Acies per cuneos componitur.*

69. ripae obiicere. ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant, donec universa quattuor et viginti navium classis transfugeret aut caperetur. 17. Clara ea victoria in praesens, in posterum usui; armaque et naves, quibus indigebant, adepti magna per Germanias Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur. Germaniae statim misere legatos auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque affectabat, captos cohortium praefectos suas in civitates remittendo, cohortibus abire an manere mallent data potestate. manentibus honorata militia, digredientibus spolia Romanorum offerebantur. simul secretis sermonibus admonebat malorum, quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos, quanquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse. prima acie fusum victumque Romanum. quid si Galliae iugum exuant, quantum in Italia reliquum? provinciarum sanguine provincias vinci. ne Vindicis aciem cogitarent: Batavo equite protritos Aeduos Arvernosque; fuisse inter Verginii auxilia Belgas, vereque reputantibus Galliam suismet viribus concidisse. nunc easdem omnium partes, addito, si quid militaris disciplinae in castris Romanorum viguerit, esse secum, veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. servirent Syria

C. 17. *si . . exuant*] Protasin haec efficiunt apodoseos: *reliquum* scil. *fore*. Quare interrogationem sustuli post *exuant*. Et *Quid* quodammodo abundat ante *quantum* vel praeparandae finitiori interrogationi inservit, ut Hor. Ep. I, 6, 7. *Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis, quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?* coll. Cic. Caecil. 11, 35. Divin. II, 9. Rosc. Am. 17, 49. Phil. II, 1. Vid. in Dial. 7. Doed. Praecepit observationem Wunderl. Obss. in Tibull. p. 45.

reputantibus dativus est, ut G. 6. *In universum aestimanti plus penes peditem roboris*, coll. Agr. 11.

addito . . viguerit] Distinctionem prorsus mutavi. Vulgo: *addito, si quid . . viguerit. Esse secum veteranas cohortes, quibus . . occubuerint.* Nempe verba *addito .. viguerit* vix possunt significare quod vulgo putant: praeterea se ut Romanorum socios militari disciplina imbutos. Doed.

Asiaque et suetus regibus Oriens: multos adhuc in 69.
Gallia vivere ante tributa genitos. nuper certe caeso Quintilio Varo pulsam e Germania servitutem, nec Vitellium principem sed Caesarem Augustum bello provocatum. libertatem natura etiam mutis animalibus datam, virtutem proprium hominum bonum. deos fortioribus adesse. proinde arriperent vacui occupatos, integri fessos. dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque. 18. Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit. ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen trepidi nuntii afferebant, Munium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis praeerat) egredi adversus hostem iubet. Lupercus legionarios e praesentibus, Ubios e proximis, Treverorum equites haud longe agentis raptim transmisit, addita Batavorum ala, quae iam pridem corrupta fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret. Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsus pudorem. Ut virorum

C. 18. *pulsus* ex Ma. ascivi; genitivus est substantivi vel supini, pro fugae, novo quidem usu, sed quoniam et *pellere*

multos . . vivere] Caute legas. Si enim de prima servitute et stipendio quod Caesar imposuit capis, capieris. Quomodo enim vera haec assertio, cum ab eo tempore ad hunc diem anni sint inter fere CXX? Nec tam vitales, ut opinor, tunc nostri Galli. Sed ad Augustum eiusque aevum id referri verius erit, qui censum tributumque instituit, quod penderent Galli, idque in consulatu suo septimo. Lips.

mutis] Cic. N. D. II, 53. *An bestiarum? Nihilo probabilius deos mutarum et nihil intelligentium causa tantum laborasse.*

arriperent] Virg. A. IX, 13. *Rumpe moras omnes et turbata arripe castra*, coll. infra c. 33.

occupatos, bello et discordiis.

69. cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor. nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens statimque in nos versa. sed legionarius miles, quanquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia, foeda fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani; et fuit interim effugium legionibus in castra quibus Veterum nomen est. Praefectus alae Batavorum Claudius Labeo, oppidano certamine aemulus Civili, ne interfectus invidia apud populares vel, si retineretur, semina discordiae praeberet, in Frisios avehitur.

19. Isdem diebus Batavorum et Canninefatium cohortes, cum iussu Vitellii in urbem pergerent, missus a Civile nuntius assequitur. intumuere statim superbia ferociaque, et pretium itineris donativom, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut assequerentur, sed causam seditioni. Et Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent quae sciebant negaturum. spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere, ut Civili iungerentur. Hordeonius adhibitis tribunis centurionibusque consultavit, num obsequium abnuentes vi coerceret. mox insita ignavia et trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito delectu suppletae legiones angebant, statuit continere intra castra militem. Dein paenitentia, et arguentibus ipsis qui suaserant, tanquam secuturus, scripsit Herennio Gallo legionis primae legato, qui

hoc sensu frequentissimum et Tacitus talium substantivorum amantissimus est, non prorsus absono. Edd. *pulsis*. DOED.

C. 18. *Sonuit acies*] Vid. in Germ. 3.

nequaquam par] Quod valde Romani observabant et velut omen habebant eventus. Appian. Parth. 27. Liv. IV, 37.

totis campis] Vid. in V, 3.

invidia] Ex Ma.RA. h. e. causa invidiae, ut saepe *odium*, scil. *esset*, quod et ipsum addunt RA. At edd. *invidiam*.

in Frisios] Vid. c. 56.

Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos: se cum 69.
exercitu tergis eorum haesurum. et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrinque copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, aliisque litteris Gallum monuit, ne terreret abeuntes. Unde suspicio sponte legatorum excitari bellum, cunctaque quae acciderant aut metuebantur non inertia militis neque hostium vi sed fraude ducum evenire.
20. Batavi cum castris Bonnensibus propinquarent, praemisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret. Nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus totiens bellassent: longa atque irrita militia fessis patriae atque otii cupidinem esse. si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros. Cunctantem legatum milites perpulerant, fortunam praelii experiretur. tria milia legionariorum et tumultuariae Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava sed procax ante periculum manus, omnibus portis rumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti. sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis pellitur legio, et vallum portasque trepidi petebant. ibi plurimum cladis: cumulatae corporibus fossae, nec caede tantum et volneribus sed ruina et suis plerique telis interire. Victores colonia Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi, Bonnense praelium excusabant, tanquam petita pace, postquam negabatur, sibimet ipsi consuluissent.

21. Civilis adventu veteranarum cohortium iusti iam exercitus ductor, sed consilii ambiguus et vim

C. 20. *rumpunt* ex Ma. ut Ann. II, 17. *rupturus. erumpunt* Edd.
interire] Infinitivo historico. At edd. *interiere.*

C. 20. *ruina*] H. e. in fossas ruendo.

69. Romanam reputans, cunctos qui aderant in verba Vespasiani adigit, mittitque legatos ad duas legiones, quae priore acie pulsae in Vetera castra concesserant, ut idem sacramentum acciperent. Redditur responsum, neque proditoris neque hostium se consiliis uti: esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos; proinde perfuga Batavus arbitrium rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris poenas expectaret. Quae ubi relata Civili, incensus ira universam Batavorum gentem in arma rapit. iunguntur Bructeri Tencterique et excita nuntiis Germania ad praedam famamque. 22. Adversus has concurrentis belli minas legati legionum Munius Lupercus et Numisius Rufus vallum murosque firmabant. subversa longae pacis opera, haud procul castris in modum municipii exstructa, ne hostibus usui forent. Sed parum provisum, ut copiae in castra conveherentur: rapi permisere. ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quae adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, assultante per campos equite. simul naves in adver-

C. 22. *ut copiae* Lipsius. At Ma.B. *vi copiae*, alii *ni copiae*. Intelliguntur copiae lixarum extra castra, in procestriis haberi solitae. Gutmann.

lucisque Lipsius ex C. coll. Germ. 7. *Effigies et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt.* Ma. *iuusque*, unde alii *iugisque*.

C. 21. *arbitrium* revocavi ex Ma.BG. ut Liv. XXIV, 45. *libera de quoque arbitria agere.* Curt. VI, 1. *Non est ausus ipse agere arbitria victoriae*, h. e. legem parendi victis dicere. Gronov. Obss. IV, 11. Etiam Ann. XIII, 14. exhibet Med. *Pallas velut arbitrium regni agebat.* At editt. *arbitrum*, ut *senatorem agere* Ann. XV, 28. vel *exulem* I, 4. cum significatione falsae speciei ac simulationis. Doed.

C. 22. *concurrentis*] Hoc est ingruentis undique, propter concursum populorum ad Civilem. Sic *concursum occupationum* dixit Cic. Epp. VII, 33. Ern. Concurrebat enim Batavorum bellum cum Germanico.

sum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium 69.
signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire praelium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos. Et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum Romanorum tuebantur; sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata et bello ministra aderat. 23. Pars castrorum in collem leniter exsurgens, pars aequo adibatur. quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat, neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. inde non loco neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, eminus lacessentes. post ubi pleraque telorum turribus pinnisque moenium irrita haerebant et desuper saxis volnerabantur, clamore atque impetu invasere vallum, appositis plerique scalis, alii per testudinem suorum. scandebantque iam quidam, cum gladiis et armorum incussu praecipitati sudibus et pilis obruuntur, praeferoces initio et rebus secundis nimii. Sed tum praedae cupidine adversa quoque tolerabant. machinas etiam, insolitum sibi, ausi. nec ulla ipsis sollertia: perfugae captivique docebant struere

armatorum] *Romanorum;* Intelliguntur *milites Romani*, iique primum distinguuntur a *negotiatoribus* aliisque colonis, qui postquam aedificiis suis *in modum municipiis exstructis* privati in castra propinqua confugerant, *Romani* quidem, non tamen *armati* aderant; deinde a *lixis*, qui quamvis utcunque *armati* ad belli ministeria, non tamen *Romani* erant. Alii *Romanorum* cum B. omisere. Doed.

sed lixarum] Haec quoque spei hostilis pars erat; quare punctum sustuli post *tuebantur*.

C. 23. *neque .. id malorum*] Scil. *fore*, ut c. 55. Ann. XIV, 3.

satis placebant] Per attractionem pro *vim et arma satis fore placebat*, h. e. videbatur, ut Ann. VI, 7. *Placitum eandem poenam irrogari*, coll. IV, 19.

sibi quaeque gens] Pro *in se* vel *in suos* i. e. seorsim, ut nos: *jede stand für sich*.

nimii] H. e. elati, ut I, 35. *nimii verbis;* contra supra c. 8. *medii* pro moderatis.

69. materias in modum pontis, mox subiectis rotis propellere, ut alii superstantes tanquam ex aggere praeliarentur, pars intus occulti muros subruerent. sed excussa balistis saxa stravere informe opus. Et crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae, ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur, donec desperata vi verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum imbellis turbae. simul ex inopia proditio, et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur. **24.** Flaccus interim cognito castrorum obsidio, et missis per Gallias qui auxilia concirent, lectos e legionibus Dillio Voculae duoetvicesimae legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret, ipse navibus, invalidus corpore, invisus militibus. Neque enim ambigue fremebant emissas a Magontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos. non Primi Antonii neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse. aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum obscura eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hor-

C. 28. *fremebant* Rhenanus; *premebant* Ma.AB.

in modum pontis] Scil. cum turre. Totam machinam describit Veget. IV, 17. *Turri plures rotae mechanica arte subduntur quibus ad murum admovetur; plures autem accipit scalas ac diverso genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus partibus habet arietem, cuius impetus destruit muros; circa mediam vero partem accipit pontem, factum de duabus trabibus septumque de vimine, quem subito prolatum inter turrem murumque constituunt, et per eum egredientes de machina bellatores in civitatem transeunt. In superioribus autem turris illius partibus contati et sagittarii collocantur, qui defensores urbis ex alto contis missilibus saxisque prosternant.*

C. 24. *ipse navibus*] Scil. celeraturus vel profecturus, brachylogice. Nam ex c. 25. satis patet, Flaccum non remansisse; sed noluerat utpote *invalidus* terrestri itinere fatigari, nec utpote *invisus* praesentia sua militum odia ad contumelias vel caedem sui incendere. At edd. cum Pichena *pavidus* vel cum Gronovio *ignavus*. Alterutrum si scripsisset Tacitus, haud dubie *animo* addidisset, concinnitati consulturus. Doed.

deonium e cubiculo et lectulo iubere quicquid hosti 69.
conducat. tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valitudine regi. quin potius interfecto traditore fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent. His inter se vocibus instinctos flammavere insuper allatae a Vespasiano litterae; quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit, vinctosque qui attulerant ad Vitellium misit. 25. Sic mitigatis animis Bonnam, hiberna primae legionis, ventum. Infensior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: eius iussu directam adversus Batavos aciem, tanquam a Magontiaco legiones sequerentur, eiusdem proditione caesos, nullis supervenientibus auxiliis; ignota haec ceteris exercitibus, neque imperatori suo nuntiari, cum accursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit. Hordeonius exemplares omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit, instituitque pessimum facinus, ut epistolae aquiliferis legionum traderentur; a quis ante militi quam ducibus legebantur. Tum e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret. motusque Bonna exercitus in coloniam Agrippinensem, affluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuvabant: mox valescentibus Germanis pleraeque civitates adversum nos armatae spe libertatis et, si exuissent servitium, cupidine imperitandi. Gliscebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant. quin idem ille arguebat ultro conscientiam ducis, tanquam

malo omine] Ob cognomentum Hordeonii infaustum, *Flacci* h. e. flaccidi, invalidi. Vid. in cap. 53. At Ma. *homine.*

C. 25. *imperatori suo*] Vitellio.

exemplares] Scil. *libros* pro vulgari *exemplaria*, ut Fronto Ep. II, 5. p. 160. Rom. *Exemplares eorum excerptorum nullos feci.*

epistolae] Scil. ad ipsum scriptae et ab ipso accipiendae.

usurpandi iuris] Scil. causa, ut Sall. Iug. 88. *Quae postquam gloriosa modo nec patrandi belli cognovit*, coll. Liv. XXVII, 9. Plaut. Rud. V, 3, 18. Ex Lips.

69. nuntius inter Civilem Flaccumque falso crimine testis veri opprimeretur. Conscendit tribunal Vocula mira constantia, prehensumque militem ac vociferantem duci ad supplicium iussit. et dum mali pavent, optimus quisque iussis paruere. Exin consensu ducem Voculam poscentibus, Flaccus summam rerum ei permisit. 26. Sed discordes animos multa efferabant, inopia stipendii frumentique, et simul delectum tributaque Galliae aspernantes, Rhenus incognita illi caelo siccitate vix navium patiens, arti commeatus, dispositae per omnem ripam stationes, quae Germanos vado arcerent, eademque de causa minus frugum et plures qui consumerent. apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque et vetera imperii munimenta desererent. quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira dei vocabatur.

Ingressis Novesium sexta decuma legio coniungitur. additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus; nec ausi ad hostem pergere loco cui Gelduba nomen est castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant. utque praeda ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, ductus a Vocula exercitus. pars cum Herennio Gallo permansit. 27. Forte navem haud procul castris frumento gravem, cum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant. non tulit Gallus, misitque subsidio cohortem. auctus et Germanorum numerus, paulatimque aggregantibus se auxiliis acie certatum. Germani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. Victi, quod tum in morem verterat,

C. 26. *a Vocula* edd. At Ma.B. *Vocula* fortasse vere; ut Ann. III, 3. *Augusta Tiberio cohibitam.*

C. 26. *arti commeatus*] H. e. rara commeandi vel abeundi venia. Nam de frumenti inopia paulo supra monitum.

Novesium] Hodie *Neuss.*

Gelduba] Hodie *Gelb.*

non suam ignaviam sed perfidiam legati culpabant. 69
protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore, quo pretio, quibus consciis prodidisset exercitum, dicere iubent. redit in Hordeonium invidia. illum auctorem sceleris, hunc ministrum vocant, donec exitium minitantibus exterritus proditionem et ipse Hordeonio obiecit, vinctusque adventu demum Voculae exsolvitur. Is postera die auctores seditionis morte affecit. tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque. haud dubie gregarius miles Vitellio fidus, splendidissimus quisque in Vespasianum proni. inde scelerum ac suppliciorum vices et mixtus obsequio furor, ut contineri non possent qui puniri poterant.

28. At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. ille, ut cuique proximum, vastari Ubios Treverosque, et alia manu Mosam amnem transire iubet, ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret. Actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur. Caesae cohortes eorum in vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. nec quievere Ubii quo minus praedas e Germania peterent, primo impune, dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. Contusis Ubiis gravior et successu rerum ferocior Civilis obsidium legionum urgebat, intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat; Transrhenanos praelium poscentis ad scindendum vallum ire,

C. 28. *Romanorum nomen* ex Ma. Graeca structura pro *nomine*, ut Soph. Phil. 605. *ὄνομα δ' ὠνομάζετο Ἕλενος*, coll. Thuc. IV, 64. Quin ipse Tac. G. 6. *Centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur*. Usitatiorem structuram G. praebet, *nomine*. Sed Gruterus Ritterusque ambo vocabula pro glossemate habent. Ceterum vide num *Romanum nomen* scribendum sit. Dord.

Marcodurum] Hodie *Düren*, inter coloniam Agrippinae et Aquisgranum.

69. detrusosque redintegrare certamen iubet, superante multitudine et facili damno. nec finem labori nox attulit. 29. Congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili, et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia. unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus. nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus ferratas sudes, gravia saxa non forte iaciebat. ubi sonus molientium aut appositae scalae hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi; multos in moenia egressos pugionibus fodere. Sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit. 30. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae (is aequissimus locus) propinquantem promoti contra validi asseres et incussae trabes perfregere, multa superstantium pernicie. pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione. simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura struebantur. Praecipuum pavorem intulit suspensum

C. 29. *effulgens* edd. At Ma. *et fulgens*.

C. 29. *casus incerti* quales intelligantur non perspicio. Et est haec notio generalior quam pro loci ingenio ac propemodum vaga. In Ma. desunt haec verba, sed in margine scripta: *corsus inceppti*. Suspicor: *cursus incerti* h. e. discursus. Id circumscribi lex concinnitatis iubebat. Doed.

tendere arcus] H. e. *intendere* ut Ann. XII, 56. *Propugnaculis ex quis catapultae ballistaeque tenderentur*, h. e. dirigerentur. Suspecti fuere Lipsio *arcus*, quia rarus eorum apud Germanos usus. Non tamen nullus, nedum Batavis. Et oppugnantibus nullum aliud telum utile est. Substitui voluit Lipsius *armis*, Oelschlaegerus *acrius*, felicius certe quam Ritterus, qui *tendere artus* non commendavit, sed in textum continuo recepit.

et nutans machinamentum, quo repente demisso prae- 69.
ter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra castra effundebantur. Civilis omissa oppugnandi spe rursus per otium assidebat, nuntiis et promissis fidem legionum convellens.

31. Haec in Germania ante Cremonense praelium gesta, cuius eventum litterae Primi Antonii docuere, addito Caecinae edicto; et praefectus cohortis e victis, Alpinius Montanus, fortunam partium praesens fatebatur. Diversi hinc motus animorum. auxilia e Gallia, quis nec amor neque odium in partes, militiae sine affectu, hortantibus praefectis statim a Vitellio desciscunt. Vetus miles cunctabatur. sed adigente Hordeonio Flacco, instantibus tribunis, dixit sacramentum, non voltu neque animo satis affirmans; et cum cetera iurisiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut levi murmure et plerumque silentio transmittebant. 32. Lectae deinde pro concione epistolae Antonii ad Civilem suspiciones militum irritavere, tanquam ad socium partium scriptae et de Germanico exercitu hostiliter. Mox allatis Geldubam in castra nuntiis eadem dicta factaque, et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret: si Vespasianum iuvare aggressus foret, satisfactum coeptis. Ad ea Civilis primo calli-

C. 31. *militiae* Waltherus ex Ma. Vid. in III, 18. Rhenanus *militia.*

C. 30. *machinamentum*] Simile hoc erat ferreis illis manibus, quibus Archimedes Scyllam Homericam imitatus naves Romanorum suspensas evertebat; vid. Liv. XXIV, 34. Pendebat ex tigno transversario et versatili tolleno oneratus plumbo, quo maiore libramento ac vi ad solum recelleret. Id *pondus* verso tigno unde pendebat, intus et ipsum vertebatur.

convellens] I. q. corrumpens vel corrumpere tentans, ut II, 94. *convulsum castrorum decus.*

C. 31. *Caecinae edicto*] Is enim tum consul. Videtur cohortatus esse edicto alias legiones, ut partes Flavianas amplecterentur. Ern.

C. 32. *armis falsis*] H. e. falsa specie belli pro Vespasiano suscepti.

69. de: post ubi videt Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas, orsus a questu periculisque, quae per quinque et viginti annos in castris Romanis exhausisset, „egregium“ inquit „pretium laborum recepi, necem fratris et vincula mea et saevissimas huius exercitus voces, quibus ad supplicium petitus iure gentium poenas reposco. vos autem Treveri ceteraeque servientium animae, quod praemium effusi totiens sanguinis expectatis nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures et dominorum ingenia? en ego praefectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel septa ferro fameque premimus. denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus.“ Sic accensum, sed molliora referre iussum dimittit. ille ut irritus legationis redit, cetera dissimulans, quae mox erupere. 33. Civilis parte copiarum retenta veteranas cohortes, et quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque eius mittit, Iulio Maximo et Claudio Victore, sororis suae filio, ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alae Asciburgii sita; adeoque improvisi castra involavere, ut non alloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare. Auxilia passim circumfusa sunt. eques prorupit, exceptusque compositis hostium ordinibus terga in suos vertit. caedes inde, non praelium. et Nerviorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudavere. sic ad legiones perventum; quae amissis signis intra vallum sternebantur, cum repente novo

auxi-

dominorum ingenia] Ut nostris moribus exutis Romanorum simillimi fiamus. Vid. c. 64.

excidimus] Suspicor *exscidimus*, ut c. 34. Vid. Synon. Lat. T. V. p. 70.

C. 33. *subsignano milite*] Vid. in I, 70.

terga in suos] Contra rationem videtur ut terga in suos verterint. Itaque Muretus *in suos* delebat. Sed sensus est: terga dedisse equitem et ad suos refugisse. Ex Acidal.

auxilio fortuna pugnae mutatur. Vasconum lectae a 69. Galba cohortes ac tum accitae, dum castris propinquant, audito praeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt, latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novesio aliis a Magontiaco universas copias advenisse credentibus. is error Romanis addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur; eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. caesorum eo die in partibus nostris maior numerus et imbellior; e Germanis ipsa robora. 34. Dux uterque pari culpa meritus adversa prosperis defuere. nam Civilis si maioribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset, castraque perrupta exscidisset. Vocula nec adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque, dein victoriae parum confisus tritis frustra diebus castra in hostem movit, quem si statim impellere cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuit. Tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tanquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset. circumferebantur signa vexillaque; ostentati etiam captivi. Ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis; unde ma-

C. 33. *Romanis* deest in ABMR.

C. 34. *illico* Freinsh. ut Ann. XIII, 52. At MSS. *illic*.

Vasconum] Gens validissima in Hispania Tarraconensi, ad Pyrenaeum pertinens, hodie *Basken.*

a Galba, cum proconsul Hispaniae esset.

Fortissimus . . Batavis] Suspicor excidisse *caeduntur* vel *caesi;* distinguenda enim erat paucorum et fortissimorum sors a multitudine, quae fundebatur. Ergo quos fugere pudebat, perierunt, reliqui fugerunt, et pedites quidem incondita fuga, equites autem tanquam se reciperent. DOED.

prima acie] Initio proelii.

C. 34. *prosperis defuere*] Parum instando victoriae.

nec adventum] Pro *primum non . . exploravit* positum, spectat ad seq. *dein*. Vid. Madvig. in Cic. Finn. p. 806.

69. ior indici fides. simul vastatione incendiisque flagrantium villarum venire victorem exercitum intellegebatur. In conspectu castrorum constitui signa, fossamque et vallum circumdari Vocula iubet: depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent. hinc in ducem clamor pugnam poscentium; et minari assueverant. ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique praelium sumpsere. Nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus. Varia apud Romanos fortuna, et seditiosissimus quisque ignavus. quidam recentis victoriae memores retinere locum, ferire hostem, seque et proximos hortari, et redintegrata acie manus ad obsessos tendere, ne tempori deessent. Illi cuncta e muris cernentes omnibus portis prorumpunt. ac forte Civilis lapsu equi prostratus, credita per utrumque exercitum fama volneratum aut interfectum, immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit. Sed Vocula omissis fugientium tergis vallum turresque castrorum augebat, tanquam rursus obsidium immineret, corrupta totiens victoria non falso suspectus bellum malle. 35. Nihil aeque exercitus nostros quam egestas copiarum fatigabat. impedimenta legionum cum imbelli turba Novesium missa, ut inde terrestri itinere frumentum adveherent: nam flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile. qui ubi rursum missos Novesium frumentatores datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus invadit, praemissis qui pontes et viarum angusta insiderent. Pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec praelium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus, ut fuerant, castris, quae relictorum illic militum praesi-

corrupta . . victoria] H. e. irrita facta ut Ann. II, 23. *miles* .. *officia prudentium corrumpebat*, coll. XV, 71.

dio tenebantur. non erat dubium quantum in regressu 69.
discriminis adeundum foret frumentatoribus onustis perculsisque. Addit exercitui suo Vocula mile delectos e quinta et quinta decuma legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem et ducibus infensum. Plures quam iussum erat profecti palam in agmine fremebant, non se ultra famem insidias legatorum toleraturos. at qui remanserant, desertos se abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc seditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in castra abnuentibus. 36. Interim Civilis Vetera circumsedit; Vocula Geldubam atque inde Novesium concessit. Civilis capit Geldubam; mox haud procul Novesio equestri praelio prospere certavit. Sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur. et adventu quintanorum quintadecumanorumque auctae legiones donativom exposcunt, comperto pecuniam a Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit. idque praecipuum fuit seditionis alimentum. effusi in luxum et epulas et nocturnos coetus veterem in Hordeonium iram renovant, nec ullo legatorum tribunorumve obsistere auso (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, — nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset. Ubi sedato impetu metus rediit, centuriones cum epistolis ad civitates Galliarum misere, auxilia ac stipendia oraturos. 37. Ipsi, ut est volgus sine rectore praeceps, pavidum, socors, adventante Civile, raptis temere armis ac statim omissis, in

C. 36. *mox . . prospere certavit*] Suspicor cum Gutmanno excidisse *Vocula* post *mox*. In causa suspicandi est series sententiarum: Crederes mitigatos esse prospero proelio militum animos erga duces; *sed* secus erat. Quodsi vicisset Civilis, verba *secundis* .. *perinde* prorsus otiarentur. Idem Strombeckius sensit. Ceterum quo concinnitas periodi et iterata *Voculae* et *Civilis* oppositio sentiretur, removi punctum post *circumsedit* promovique capitis initium. Dord.

stipendia] H. e. pecuniam quae in stipendiis militum consumeretur. Liv. II, 54. Ern.

fugam vertuntur. Res adversae discordiam peperere, iis qui e superiore exercitu erant causam suam dissociantibus. Vitellii tamen imagines in castris et per proximas Belgarum civitates repositae, cum iam Vitellius occidisset. Dein mutati in paenitentiam primani quartanique et duoetvicesimani Voculam sequuntur; apud quem resumpto Vespasiani sacramento ad liberandum Magontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Chattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, satietate praedae nec incruenti. in via dispersos et nescios miles noster invaserat. Quin et loricam vallumque per fines suos Treveri struxere, magnisque in vicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles foedarent.

(a. u. 823.) (a. C. 70.) 38. Interea Vespasianus iterum ac Titus consulatum absentes inierunt, maesta et multiplici metu suspensa civitate, quae super instantia mala falsos pavores induerat, descivisse Africam res novas moliente Lucio Pisone. Is praeerat provinciae, nequaquam turbidus ingenio: sed quia naves saevitia hiemis prohibebantur, volgus alimenta in dies mercari solitum, cui una ex re publica annonae cura, clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat, augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, nec victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla unquam civilis victoria satiavit. 39. Calendis Ianuariis in senatu, quem Iulius Frontinus praetor urbanus vo-

C. 37. *incruenti. In via* Lipsius. At Ma. *incruentari via a.* Suspicor: *incruentati. Via dispersos*, ut Ovid. Met. XII, 497. *Manet imperfossus ab omni inque cruentatus Caeneus Elateius ictu.* Et Suet. Vesp. c. 12. *Herculis monumentum extat via Salaria.* DOED.

C. 37. *ad liberandum .. obsidium*] H. e. solvendum, ut Cicero, *Quaeque promissa liberantur iure praetorio.*

loricam] Vid. in Ann. IV, 49.

C. 38. *ex re publica*] Vid. I, 1.

C. 39. *Iulius Frontinus*] Idem ille esse creditur, qui stratage-

caverat, legatis exercitibusque ac regibus laudes gra- 70.
tesque decretae; et Tertio Iuliano praetura, tanquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equestris data. Et mox eiurante Frontino Caesar Domitianus praeturam cepit. eius nomen epistolis edictisque praeponebatur, vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus instigantibus amicis aut propria libidine audebat. Sed praecipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio, quos recentes clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem saevierant. et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis maioribus et fraterna imagine fulgentem, ad capessendam rem publicam hortatus, haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans discessu Cluvii Rufi vacuam; simul amicis eius tribunatus praefecturasque largitur. dein postquam inanem animum spe et cupidine impleverat, vires abolet dimissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor. et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. pars exercitus in Germanias ducebatur. Sic egesto quicquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia magistratuum.

mata et de aquaeductibus scripserit. Penes eum erat convocari senatum, quoties abessent consules. Vid. I, 47.

Hormo] Vid. III, 12.

vis penes Mucianum Lipsius, ut II, 39. *Honor imperii penes Titianum, vis ac potestas penes Proculum;* coll. Ann. III, 30. Vid. Agr. 7. *Initia ac statum verbis Mucianus regebat, admodum iuvene Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante.* At MSS. *ius.*

maioribus] Suspicor cum Boettichero: *moribus.* Idem mendum Ann. II, 1. sustulit Lipsius.

fraterna imagine] Erat enim frater Pisonis a Galba adoptati. Vid. I, 47.

70. **40.** Quo die senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modica disseruit, decorus habitu; et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Caesare de restituendis Galbae honoribus, censuit Curtius Montanus, ut Pisonis quoque memoria celebraretur. Patres utrumque iussere: de Pisone irritum fuit. Tum sorte ducti per quos redderentur bello rapta, quique aera legum vetustate delapsa noscerent figerentque, et fastos adulatione temporum foedatos exonerarent, modumque publicis impensis facerent. Redditur Tertio Iuliano praetura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse; Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et Publium Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum. Insignis publica severitate dies ne privatim quidem laude caruit. iustum iudicium explesse Musonius videbatur: diversa fama Demetrio Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset. ipsi Publio neque animus in periculis neque oratio suppeditavit. Signo ultionis in accusatores dato, petit a Caesa-

C. 40. *oris confusio*] De rubore: vid. in Agr. 45.

Referente Caesare] Erat enim praetor urbanus Domitianus.

Curtius Montanus] Vid. Ann. XVI, 28.

irritum fuit] Non celebrata postea eius memoria; nulla enim ante fuerat. Brot.

fastos] Cogita de ludis sacrisque per adulationem temporum decretis constitutisque in honorem pessimorum quoque e familia Caesarea hominum perque annos celebrandis et ideo in fastos relatis (vid. Ann. I, 15.), nec non de aliis varii generis mutationibus, quos servitium fastis pepererat. Vid. Ann. XVI, 12. Quibus oneribus maculisque foedati fasti erant exonerandi, liberandi. Aptissime igitur haec cohaerent cum iis quae sequuntur: *modumque publicis impensis facerent.* Walth.

honor] Sine officio, ut ornamenta tantum praetoris retineret et praetor extra ordinem videretur. Walth.

iudicium] Pro ipsa causa et accusatione, ut Cic. Famm. IX, 25. *Noli pati litigare fratres et iudiciis turpibus conflictari.* Gutmann. Laudabatur Musonius quod accusationem Celeris susceptam non omisisset. Vid. c. 10. Ernestius *indicium.*

Demetrio] Vid. Ann. XVI, 34.

re Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium 70.
potestatem senatui faceret, per quos nosceret quem quisque accusandum poposcisset. consulendum tali super re principem respondit. **41.** Senatus inchoantibus primoribus iusiurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant nihil ope sua factum quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba iurisiurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. Probabant religionem patres, periurium arguebant. eaque velut censura in Sariolenum Voculam et Nonium Actianum et Cestium Severum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret. nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet. Ad Pactium Africanum transgressi eum quoque proturbant, tanquam Neroni Scribonios fratres concordia opibusque insignes ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cuius fatigabatur interrogationibus, ultro conversus, miscendo quae defendere nequibat, societate culpae invidiam declinavit.

42. Magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam

commentariorum id genus mentionem facit Suet. Cal. 15. *Commentarios ad matris fratrumque suorum causas pertinentes, ne cui postmodum delatori aut testi maneret ullus metus, convectos in forum .. concremavit;* coll. Tib. 61. Traianus in Plin. Epp. X, 106. *Referri in commentarios meos iussi.*

C. 41. *concepit*] Ut c. 31.

probabant .. arguebant] Sensus est: Quoties aliquis culpae manifestus deorum metu trepidabat ac verba mutabat eoque se noxium quadamtenus esse confitebatur, laudabant patres, quod religionem saltem et iurisiurandi reverentiam inter scelera sua retinuisset; sin quis constantiam simulabat, et conscientiam flagitii impudentia et audacia mentiendi et infitiandi velare conabatur, eum arguebant conclamando peierare. Dorn.

Scribonios] Vid. Ann. XIII, 18.

miscendo] H. e. participando, ut Agr. 24. Ann. XI, 24. XVI, 34.

defendere] H. e. depellere, refellere. Vid. XIII, 56.

70. Vipstanus Messala adeptus est, nondum senatoria aetate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Regulum subversa Crassorum et Orfiti domus in summum odium extulerat; sponte [ex SC.] accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi sed in spem potentiae videbatur. et Sulpicia Praetextata Crassi uxor quattuorque liberi, si cognosceret senatus, ultores aderant. Igitur Messala non causam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus ut post caedem Galbae datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo appetitumque morsu Pisonis caput obiectaret. „Hoc certe, inquit, Nero non coegit, nec dignitatem aut salutem illa saevitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios quam periclitari ipsi maluerunt; te securum reliquerat exul pater et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax aetas, nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. Libidine sanguinis et hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum caede nobili imbuisti, cum ex funere rei publicae raptis consularibus spoliis, septuagiens sestertio saginatus et sacerdotio fulgens, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres; cum segnitiam Ne-

C. 42. *Saginatus* Faernus. At MSS. *signatus*.

C. 42. *senatoria aetate*] Erat annus vitae vicesimus quintus. Vid. Ann. XV, 28.

Crassorum] Plin. Epp. I, 5. *Crassum et Camerinum Regulus . . sub Nerone accusaverat.*

ex SC.] Haec verba aperte repugnant voci proximae *sponte*. Transposita videntur. Igitur paulo infra legendum esse suspicor: *Si ex SC. cognosceret Senatus.* Doed.

opponens] Scil. deprecando, excusando, non purgando.

Montanus] Vid. Ann. XVI, 28. 33.

Pisonis] Nam Piso frater erat Crassi, H. I, 48. ideoque Regulo invisus aut tanquam ultor futurus fratris formidabilis.

consularibus spoliis] Praemiis quae everso per accusationem Orfito consulari acceperat. Nam ipse consulatum nondum adeptus erat Regulus, qui mox diserte *quaestorius* dicatur. Ern.

ronis incusares, quod per singulas domos seque et de- 70.
latores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis aetas instructa sit, et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, iuvenes Regulum imitentur. Invenit etiam aemulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? et quem adhuc quaestorium offendere non audemus, praetorium et consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? idem crediderant, qui Tiberio, qui Gaio superstites fuerunt, cum interim intestabilior et saevior exortus est. non timemus Vespasianum: ea principis aetas, ea moderatio. sed diutius durant exempla quam mortales. Elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat. optimus est post malum principem dies primus."

43. Tanto cum assensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius posse etiam Marcellum prosterni. igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli unquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis. Quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia, „imus,"

Retinete] Bella imitatio Cic. Verr. II, 31. Ern.

nequitia] Plin. Epp. I, 5. *Regulus omnium bipedum nequissimus*, coll. II, 20. IV, 2. VI, 2.

mortales Oelschlaegerus, ut II, 72. V, 4. Ann. XVI, 13. Agr. 11. At MSS. *mores*. Accedit emendationi quantulumcunque auctoritatis ex MS. A. qui a secunda manu habet: *quam hoies* h. e. *homines*. Edd. cum Lipsio *auctores*. Quin ipsum illud *mores* retinuit Gutmannus, h. s. Quamvis optime moratus sit Vespasianus, tamen mores principis una cum principe intereunt; at exempla poenarum a delatoribus repetitarum diutius valent ad deterrendum. Dord.

optimus . . primus] Defuncto malo principe senatus statim pravos mores tollere nititur, sed paulatim deinde refrigescit. Vid. I, 4. Pich.

C. 43. *Cluvii Rufi*] Neroni familiaris. Suet. Ner. 21. Dio C. LXIII, 14.

crimine, delationum et accusationum, *exemploque* Cluvii Rufi, quem parum esset imitatus Eprius.

70. inquit, „Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare.“ Sequebatur Vibius Crispus, ambo infensi, voltu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens, donec accursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies. **44.** Proximo senatu, inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus: simul eos qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tanquam rogaret. Patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus, ne sperni senatus iudicium et cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum senatorii ordinis egressos exilium in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam, stupro cognitam et nuptias suas abnuentem, impotens amoris interfecerat; Sosianus pravitate morum multis exitiosus. ambo gravi senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem poena retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si reverterentur: accusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur.

45. Reconciliavit paulisper studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patruitus senator pulsatum se in colonia Seniensi coetu multitudinis et iussu magistratuum querebatur; nec finem iniuriae hic stetisse: planctum et lamenta et su-

Octavius] Vid. Ann. XIII, 44.

Sosianus] Vid. Ann. XIV, 48. et XVI, 21.

C. 45. *Seniensi*] Hodie *Siena.* Fuit colonia Sena Iulia cum aliis Etruriae ab Augusto Caesare deducta vel instaurata.

planctum et lamenta] An Senienses lasciviae causa iis similia in Manlio lusere, quae Apuleius in Thessalia passus est, dum Risus anniversarius dies celebratur? Certe enim haec *planctus . . imaginem* lusum (immo ludibrium) sapiunt, quo ille vi-

premorum imaginem praesenti sibi circumdata cum 70
contumeliis et probris, quae in senatum universum iacerentur. Vocati qui arguebantur, et cognita causa in convictos vindicatum. additumque senatus consultum, quo Seniensium plebes modestiae admoneretur. Isdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur lege repetundarum, et exilio ob saevitiam.

46. Inter quae militaris seditio prope exarsit. Praetorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati; et lectus in eandem spem e legionibus miles promissa stipendia flagitabat: ne Vitelliani quidem sine multa caede pelli poterant; sed immensa pecunia fer . . . qua tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem et urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. eos Mucianus diduci, et Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum, separatim assistere iubet. Illos primus statim aspectus obstupefecerat, cum ex diverso velut aciem telis et armis trucem, semet clausos nudosque et illuvie deformes aspicerent. ut vero huc illuc distrahi coepere, metus per omnes et praecipua Germanici militis for-

C. 46. *sed immensa . . . erat*] Ma. perturbato foliorum ordine *sed immensa pecunia fer . . .* ac statim *ne* (c. 52. sub init.) *criminantium* usque ad finem c. 53. ac tum demum *qua tanta vis hominum retinenda erat. ingressus castra* cet. Ceteri codices similiter turbant. Suspicor: *sed immensa pecunia terrebat, qua tanta vis hominum retinenda erat*, h. e. deterrebat Mucianum vel senatum, quominus omnes, qui praetorianam militiam flagitabant, asciscerentur. Aut scribendum: *sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat*, ut est in MS. Agr. Multi *ferebatur* vel *dicebatur qua* edidere. DOED.

vus ut vita functus a Seniensibus habitus sit. SALINER.

C. 46. *memoravimus*] Vid. c. 2.

70. mido, tanquam ea separatione ad caedem destinaretur. prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere; ne desererentur soli, neu pari causa disparem fortunam paterentur, modo Mucianum modo absentem principem, postremum caelum ac deos obtestari, donec Mucianus cunctos eiusdem sacramenti, eiusdem imperatoris milites appellans, falso timori obviam iret. namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum iuvabat. isque finis illa die. Paucis post diebus alloquentem Domitianum firmati iam excepere. spernunt oblatos agros, militiam et stipendia orant. preces erant, sed quibus contradici non posset. Igitur in praetorium accepti. dein quibus aetas et iusta stipendia dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli; quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur. **47.** Ceterum verane pauperie an uti videretur, actum in senatu ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur; praepositusque ei curae Pompeius Silvanus. nec multo post necessitas abiit, sive omissa simulatio. Abrogati inde legem ferente Domitiano consulatus quos Vitellius dederat, funusque censorium Flavio Sabino ductum, magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis.

48. Sub idem tempus Lucius Piso proconsule interficitur. ea de caede quam verissime expediam, si pauca supra petiero ab initio causisque talium facino-

prensare . . pectora] Suspicor: *pressare*, ut Ovid. Met. VIII, 538. *Cineres ad pectora pressat;* coll. Virg. Aen. VII, 518. Nam *manus*, *genua* prehenduntur, non item *pectora*, nisi ab iratis et vim inferentibus. Frequens confusio; vid. I, 36. 66. Mox *innecti* Lipsius. At Ma.G. *invecti*. Doed.

pari causa] Ablativi absoluti sunt. Milites orabant ne, cum par ipsorum causa esset, disparem fortunam paterentur. Petersen. Waltherus *pari in causa* substituit.

C. 47. *funus censorium*] Vid. in Ann. IV, 15.

fortunae . . miscentis] Ex Hor. C. I, 35, 13. *Valet ima summis mutare . . deus.*

C. 48. *petiero*] H. e. repetiero. Edd. cum Rhenano *repetiero*.

rum non absurda. Legio in Africa auxiliaque tutandis 70.
imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. Mox Gaius Caesar turbidus animi, ac Marcum Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit. aequatus inter duos beneficiorum numerus, et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine. Legatorum vis adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus maior aemulandi cura, proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant. **49.** Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus, sumptuosae adolescentiae neque modica cupiens, et affinitate Vitellii anxius. is crebris sermonibus tentaveritne Pisonem ad res novas an tentanti restiterit, incertum, quoniam secreto eorum nemo affuit, et occiso Pisone plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecta tutius bellum. Inter quae Claudius Sagitta, praefectus alae Petrinae, prospera navigatione praevenit Papirium centurionem a Muciano missum, asseveravitque mandata interficiendi Pisonis centurioni data; cecidisse Galerianum consobrinum eius generumque; unam in audacia spem salutis, sed duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet. Nihil ad ea moto Pisone, centurio a Muciano missus ut portum Carthaginis attigit, magna

C. 49. *suspecta* edd. *suscepta* Ma.

turbidus animi] H. e. vecors, ut Ann. XIII, 3. *turbata mente.*

beneficiorum numerus] H. e. numerus honorum locorumque militarium, qui assignarentur eorum arbitrio, ita divisus est, ut uterque totidem crearet. Ern.

C. 49. *alae Petrinae*] Vid. I, 70.

Galerianum] Vid. c. 11.

70. voce laeta Pisoni omnia tanquam principi continuare, obvios et subitae rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari. Volgus credulum ruere in forum, praesentiam Pisonis exposcere, gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri et adulandi libidine. Piso, indicio Sagittae vel insita modestia, non in publicum egressus est neque se studiis volgi permisit. centurionemque percontatus, postquam quaesitum sibi crimen caedemque comperit, animadverti in eum iussit, haud perinde spe vitae quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri cruentas legati sanguine manus ad caedem proconsulis rettulisset. Anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis, ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne qua motus novi causa vel forte oreretur. 50. Sed ubi Festo consternatio volgi, centurionis supplicium, veraque et falsa more famae in maius innotuere, equites in necem Pisonis mittit. illi raptim vecti obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis irrumpunt destrictis gladiis, et magna pars Pisonis ignari, quod Poenos auxiliares Maurosque in eam caedem delegerat. Haud procul cubiculo obvium forte servum, quisnam et ubi esset Piso, interrogavere. servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit, ac statim obtruncatur. Nec multo post Piso interficitur: namque aderat qui nosceret, Bebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus et in causas malo-

quaesitum..caedemque] Sensus est, centurionem vulgavisse laetas illas voces ad tentandum Pisonis animum, ut si alacrem vidisset paratumque ad capessendum imperium, conscientiam criminis in eo magis urgeret et iustius ac maiori ludibrio illum occideret; Pisonem autem cognito centurionis dolo iussisse in eum animadverti. PICHENA.

Clodii Macri] Vid. I, 26.

C. 50. *Bebius Massa*] Vid. Agr. 45.

iamtunc] Nam posthac sub Domitiano atrocissime saeviebat. Plin. Epp. VII, 33.

in causas] Sensus est: et quem ad causas malorum sub Domitiano toleratorum illustrandas saepe denuo arcessiturus sim. Similiter Iuven. IV, 1. *En iterum Crispinus! Et est mihi saepe vocandus in partes.*

rum quae mox tulimus saepius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem tendit, praefectumque castrorum Cetronium Pisanum vinciri iussit, proprias ob simultates, sed Pisonis satellitem vocabat; militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis affecit, neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur. Mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis iam per arma atque acies exercebantur. nam populus Oeensis multitudine inferior Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam. unde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant, donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes et recepta omnis praeda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

51. At Vespasiano post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis, pari audacia fortunaque hibernum mare aggressi, nuntiavere. Aderant legati regis Vologesi quadraginta Parthorum equitum milia offerentes. magnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri neque indigere. Gratiae Vologeso actae, mandatumque, ut legatos ad senatum mitteret et pacem esse sciret. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus adversam de Domitiano famam accipit, tanquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur. igitur validissimam exercitus partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli per-

neutrum ex merito] Scil. faciens.

inter agrestes] Ad *raptu* solum referendum, non ad *exercebantur*.

latrociniis fecundam] H. e. latrocinia frequentantem; ut II, 92. *fecunda gignendis inimicitiis*. Ann. XIII, 52. *fecundum gignendo sale*.

mapalium ulterioribus] Haec iungenda sunt, non *inaccessa mapalium*, quae iuncta non intelligerem. Sensus est: Aliquam praedam per inaccessa et persequentibus alis invia vagantes in ulteriora gentis suae castra vendiderant. Dord.

C. 51. *mare aggressi*] Tanquam luctaturi cum eius periculis.

70. petranda. 52. Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur, ne criminantium nuntiis temere accenderetur integrumque se ac placabilem filio praestaret. Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum. nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens bono esse animo iubet belloque et armis rem publicam attollere: sibi pacem domumque curae fore. Tum celerrimas navium frumento onustas saevo adhuc mari committit. quippe tanto discrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Vespasiano commeatus subvenere.

53. Curam restituendi Capitolii in Lucium Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. ab eo contracti haruspices monuere, ut reliquiae prioris delubri in paludes avehenrentur, templum isdem vestigiis sisteretur: nolle deos mutari veterem formam. Undecimo calendas Iulias serena luce spatium omne quod templo dicabatur evinctum vittis coronisque. ingressi milites quis fausta nomi-

C. 52. *suum . . indiscretum*] H. e. liberos cuiusque esse ei artissimo vinculo coniunctos, ut omnia parenti liberisque communia sint. Ern.

C. 53. *contracti haruspices*] Cur *contracti?* Nonne Romae hoc quidem tempore *collegium haruspicum?* Vid. A. XI, 15. Erant sane Romae haruspices hac aetate, sed illi Vestino haud sufficere videbantur, ideoque quotquot supererant in Etruria, unde origo huius disciplinae sacerdotiique, convocavit. Ritter.

in paludes] Scil. Ostienses, ut Ann. XV, 43.

templum] Non distinguitur h. l. templum a delubro, magnificentius alioquin aedificium a modico.

fausta nomina] Cic. Divin. I,

mina felicibus ramis. dein virgines Vestales, cum pue- 70.
ris puellisque patrimis matrimisque, aqua vivis e fontibus amnibusque hausta perluere. Tum Helvidius Priscus praetor, praeeunte Plautio Aeliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area et super cespitem redditis extis, Iovem, Iunonem, Minervam praesidesque imperii deos precatus, uti coepta prosperarent sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas quis ligatus lapis innexique funes erant contigit. Simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi, studio laetitiaque connixi, saxum ingens traxere. passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae, nullis fornacibus victae, sed ut gignuntur. Praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. altitudo aedibus adiecta: id solum religio an-

C. 53. *coepta . . pietate* edd. At Ma. *ceptas . . pietates.*

102. *Cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur; quod idem in delectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Plin. H. N. XXVIII, 2, 5. *Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legimus?* Plaut. Pers. IV, 4, 73. Fest. v. *Lacus Lucrinus.* Lips. Vid. in c. 24.

felicibus ramis] Felici arbore (dis grata interpretatur Macrobius II, 16.) decerptis. Ammianus in religione simili XXIX, 1. *Linteis quidam indumentis amictus, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans.* Huic usui maxime laurus. Liv. XL, 37. *Omnes coronati et lauream in manu tenentes supplicaverunt.* Lips.

vivis I. Gronovius, i. e. iugibus, perennibus ideoque sacris; ut Liv. I, 45. Sil. It. XII, 750. *Corpora nunc viva sparguntur gurgitis unda.* Nam iis fontibus solis sanctitas inest. At Ma. *trimis.* Extrusit veram lectionem prava repetitio syllabarum antecedentium. — *perluere* Rhenanus, ut Tertull. Bapt. 5. *Villas domos templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim.* At Ma. *pluere.*

praeeunte] Scil. verba precationis. Vid. Suet. Claud. 22. Plin. H. N. XXVIII, 2. Walth.

suovetaurilibus] Varro R. R. II, 1. *Populus Romanus cum lustratur suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.*

redditis] Serv. in Virg. G. II, 194. *Reddi dicebantur exta, cum probata et elixa arae superponebantur.* Suet. Aug. 1.

lapis, fundamento destinatus.

metallorum primitiae] H. e. primae massae e metallis erutae. Forcell.

nuere et prioris templi magnificentiae defuisse creditum.

54. Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum. Nam Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere, Vitellianae legiones vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati, volgato rumore a Sarmatis Dacisque Moesica ac Pannonica hiberna circumsideri. paria de Britannia fingebantur. Sed nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, impulerat. captam olim a Gallis urbem, sed integra Iovis sede mansisse imperium. fatali nunc igne signum caelestis irae datum, et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi superstitione vana Druidae canebant. incesseratque fama primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse ne deessent libertati, si populum Romanum continua civilium bellorum series et interna mala fregissent. **55.** Ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit, quo coniuratio intellegeretur; interfecto Hordeonio commeavere nuntii inter Civilem Classicumque praefectum alae Treverorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios. regium illi genus et pace belloque clara origo: ipse e maioribus suis hostis populi Romani quam socius iactabat. Miscuere sese Iulius Tu-

creditum edd. ex G. unde femininum *credita* supplendum est ad *religio annuere*. At Ma. *crede*. Suspicor: *credebatur*, ut in loco valde turbato; vid. in c. 46. Nam praestat ad sensum et structuram imperfectum; et *id* simul obiectum prioris infinitivi, simul subiectum posterioris est. Dord.

C. 54. *in populum Romanum*] Adhuc enim a Vitellio solo descivisse videbatur, ut Vespasiano pareret.

C. 55. *socius iactabat*] H. e. socium se esse iactabat. Hom. Il. XIII, 54. *Ἕκτωρ ὃς Διὸς εὔχετ' ἐρισθενέος πάϊς εἶναι*, quod saepe imitati Latini. Plaut. Asin. III, 3, 43. *Viginti minae . . quas hodie adolescens Diabolus ipse daturus dixit.* Virg. Aen. II, 377. *Sensit medios delapsus in hostes.*

tor et Iulius Sabinus, hic Trevir, hic Lingonus; Tu- 70
tor ripae Rheni a Vitellio praefectus, Sabinus super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebatur, proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. ubi quos idoneos rebantur conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt. nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque. sed plurima vis penes Treveros ac Lingonas. Nec tulere moras consultandi. certatim proclamant, furere discordiis populum Romanum, caesas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnis exercitus suis quemque bellis distineri: si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate disceptaturas Gallias, quem virium suarum terminum velint. 56. Haec dicta pariter probataque. De reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. plerique interficiendos censebant, turbidos, infidos, sanguine ducum pollutos. vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniae pertinaciam accenderent. alliciendos potius in societatem. legatis tantum legionum interfectis ceterum volgus conscientia scelerum et spe impunitatis facile accessurum. Ea primi consilii forma. missique per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium,

C. 55. *Lingonus*, ut Martial. VIII, 75, 2. et Inscr. Gallica in Iahn. Annall. Vol. XI. p. 302. At edd. *Lingon*, ut mox *Lingonas.*

incendebatur edd. At Ma. *incedebat*, fortasse vere: superbiam vel incessu prae se ferebat, quoniam Iulio Caesare se ortum gloriabatur. Vid. Ann. IV, 23. XIV, 53. *Per haec suburbana incedit?* Quintil. I, 3, 1.

disceptaturas Victorius, h. e. deliberaturas et decreturas, ut Ann. XIV, 18. *disceptator agrorum.* At Ma. *disceperas*, unde Rhenanus *dispecturas.*

hic . . hic] Pro *ille . . hic*, ut Ann. XIV, 8. *Hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere.* Virg. Ecl. IV, 56. Cic. Famm. IX, 16. Walth.

capi . . urbem] A Flavianis.

C. 56. *ceterum vulgus*] H. e. ceteros, nempe vulgus, ut G. 25. Ann. III, 42.

70. quo incautiorem Voculam opprimerent. nec defuere qui Voculae nuntiarent. Sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. inter ambiguos milites et occultos hostes optimum e praesentibus ratus mutua dissimulatione et isdem quibus petebatur artibus grassari, in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum et extra conventum amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit; pollicitusque, si praesidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum, accepta peditum equitumque modica manu nihil apud Batavos ausus quosdam Nerviorum Betasiorumque in arma traxit, et furtim magis quam bello Canninefates Marsacosque incursabat. 57. Vocula Gallorum fraude illectus ad hostem contendit. nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor per speciem explorandi praegressi cum ducibus Germanorum pacta firmavere. tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii et ultores deos. sic olim Sacrovirum et Aeduos, nuper Vindicem Galliasque singulis praeliis concidisse. eadem rursus numina, eadem fata ruptores foederum expectarent. melius divo Iulio divoque Augusto notos eorum animos: Galbam et infracta tributa hostiles spiritus induisse. nunc hostes, quia molle servitium; cum spoliati exutique fuerint,

extra conventum] H. e. extra oppidum et fines Batavorum; nam *conventus* dicebantur oppida in provinciis selecta, in quibus praetores et proconsules *conventus* iuridicos agebant et pro tribunali ius reddebant. Gron. Vid. Agr. 9. Plin. Epp. III, 1. Nisi potius significat: extra facultatem suos conveniendi et conspirandi, in separationem. Cic. Deiot. 2. *Dico extra conventum et frequentiam.* At Ma. *extra commentum.*

diximus] Vid. c. 18.

Marsacosque] Plin. H. N. IV, 15. Dio C. LX, 8.

C. 57. *Sacrovirum*] Vid. Ann. III, 40. IV, 18.

amicos fore. Haec ferociter locutus, postquam persta- 70.
re in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere Novesium concedit. Galli duum milium spatio distantibus campis consedere. illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent, pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quanquam plerique fugam suadebant, audendum ratus vocata concione in hunc modum disseruit. 58. „Nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior. nam mihi exitium parari libens audio, mortemque in tot malis [hostium] ut finem miseriarum expecto. Vestri me pudet miseretque, adversus quos non praelium et acies parantur, id enim fas armorum et ius hostium est: bellum cum populo Romano vestris se manibus gesturum Classicus sperat, imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos si fortuna in praesens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanae legiones perire praeoptaverint, ne loco pellerentur. socii saepe nostri exscindi urbes suas seque cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt; neque aliud pretium exitus quam fides famaque. Tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis demoventur. Nobis, super arma et viros et egregia castrorum munimenta, frumentum et commeatus quamvis longo bello pares. pecunia nuper etiam donativo suffecit; quod sive a Vespasiano sive a Vitellio datum interpretari mavoltis, ab imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pavetis aciem, indignum

C. 58. *hostium* post *malis* irrepsit ex inferiore versu: *et ius hostium*.

C. 58. *pro me securior*] Ut Agr. 27. *Securi pro salute.*

suffecit] Vid. c. 19.

70. id quidem: sed est vallum murique et trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego displiceam. sunt alii legati, tribuni, centurio denique aut miles. ne hoc prodigium toto terrarum orbe volgetur, vobis satellitibus Civilem et Classicum Italiam invasuros. An, si ad moenia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriae inferetis? horret animus tanti flagitii imagine. Tutorin Trevero agentur excubiae? signum belli Batavus dabit? et Germanorum catervas supplebitis? quis deinde sceleris exitus, cum Romanae legiones contra direxerint? transfugae e transfugis et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi deis errabitis? Te, Iuppiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te, Quirine Romanae parens urbis, precor venerorque, ut si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis. militibus Romanis aut innocentiam detis aut maturam et sine noxa paenitentiam."

59. Varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. digressum Voculam et de supremis agitantem liberti servique prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire. Et Classicus misso Aemilio Longino, desertore primae legionis, caedem eius maturavit. Herennium et Numisium legatos vinciri satis visum. Dein sumptis Romani imperii insignibus in castra venit. nec

direxerint, scil. aciem.

Si vobis . . cordi] E Liv. IX, 8. *Vos, dii immortales, precor quaesoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium cum Samnitibus bellum gerere.* Lips.

sine noxa] H. e. antequam noxam admiserint.

C. 59. *maturavit*] Non satis dilucide hunc flagitii scelerumque ordinem narravit Tacitus. Percussorne aderat Longinus an sicarius? Quid miles Romanus, dum caedes patratur, dum vincula iniiciuntur? Festinat scriptor prae pudore ac dolore et quaecunque tradit, in iis quasi *eluctantium verborum* est, ut Tiberius Ann. IV, 31. Doed.

Herennium et Numisium] Vid. c. 19. 22. 26.

insignibus] Lictoribus cum fascibus. Ern.

illi, quanquam ad omne facinus durato, verba ultra 70
suppeditavere quam ut sacramentum recitaret. Iuravere qui aderant pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis attollit.

Divisae inde inter Tutorem et Classicum curae. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occisis Magontiaci tribunis, pulso castrorum praefecto qui detrectaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur: aliter nihil spei, famem ferrumque et extrema passuros. adiecere qui missi erant exemplum suum. **60.** Obsessos hinc fides inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant, absumptis iumentis equisque et ceteris animalibus, quae profana foedaque in usum necessitas vertit. virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiaeque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis vitam orantes. Neque ante preces admissae quam in verba Galliarum iurarent. tum pactus praedam castrorum dat custodes, qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent, atque ipsos leves abeuntes prosequerentur. Ad quintum fere lapi-

C. 60. *atque ipsos* Pichena. At MSS. *atqui*, unde edd. cum Rhenano *ac qui ipsos*, nec *εὐφώνως*, nec opus fuit ut duplex custodum genus excedentibus adderetur. Dord.

altis ordinibus] Qui alibi *primi* vocantur; primorum ordinum centurionem fecit.

flagitium navaverat] Pro: *operam navaverat flagitio perpetrando*. Vid. V, 25. *Si Vespasiano bellum navaverint*. Cic. Famm. IX, 2. Ex Ern.

C. 60. *pactus* edd. At Ms. *pacti*. Suspicor: *quam in verba Galliarum iurarent, pacti praedam castrorum. Tum dat custodes*. Nam pacisci aliquid tam is dicitur qui *promittit* quam ille qui *stipulatur*. Dord.

leves] Ut Germ. 6. *sagulo leves*.

70. dem coorti Germani incautum agmen aggrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere: ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane Civile et increpante Germanos, tanquam fidem per scelus abrumperent. simulata ea fuerint, an retinere saevientes nequiverit, parum affirmatur. Direptis castris faces iniiciunt; cunctosque qui praelio superfuerant, incendium hausit. 61. Civilis barbaro voto, post coepta adversus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum deposuit. et ferebatur parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque puerilibus figendos obtulisse. Ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior. Munius Lupercus legatus legionis inter dona missus Veledae. ea virgo nationis Bructerae late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas. tuncque Veledae auctoritas adolevit: nam prosperas Germanis res et excidium legionum praedixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti reservantur pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum hiberna subversa cremataque, iis tantum relictis quae Magontiaci ac Vindonissae sita sunt. 62. Legio sexta decuma cum auxiliis simul deditis a Novesio in coloniam Treverorum transgredi iubetur, praefinita die intra quam castris excederet. Medium omne tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque caesorum apud Vetera exemplo paventes; melior pars ru-

C. 61. *barbaro voto*] Paul. Diac. Langob. III, 7. *Sex millia Saxonum qui bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos rasuros, nisi se de Suevis hostibus ulciscerentur;* coll. Tac. G. 31.

Munius Lupercus] Vid. c. 18.

Veleda] Cf. c. 65.

Vindonissae] Hodie *Windisch*, in pago Bernensi.

bore et infamia: quale illud iter! quis dux viae! et 70. omnia in arbitrio eorum quos vitae necisque dominos fecissent. alii nulla dedecoris cura pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare; quidam expedire arma telisque tanquam in aciem accingi. Haec meditantibus advenit proficiscendi hora, expectatione tristior. quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. Revolsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis; silens agmen et velut longae exsequiae; dux Claudius Sanctus effosso oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris altera se legio miscuerat. Et volgata captarum legionum fama cuncti, qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis volgi, spretisque Sancti promissis aut minis Magontiacum abeunt; ac forte obvio interfectore Voculae Longino, coniectis in eum telis initium exsolvendae in posterum culpae fecere. Legiones nihil mutato itinere ante moenia Treverorum considunt.

63. Civilis et Classicus, rebus secundis sublati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent dubitavere. Saevitia ingenii et cupi-

C. 62. *inhonora* Victorius. At Ma. *inhora* ut II, 31. *inhostum*.
C. 63. *ingenii* Lipsius; *ingenti* MSS.

C. 62. *quale illud . . fecissent*] Pendent haec ex partic. *reputantes*, quod latet quodammodo in *rubore*. Vulgo interrogationes statuunt; nos exclamandi signa substituimus. Nec enim quaerunt vel ambigunt, quis futurus sit *viae dux*, sed conqueruntur, quod hostem et rebellem pro viae duce habituri sunt, olim monstrare ipsi viam consueti. Similis narrationis praecipitatio Ann. I, 40. Doed.

expectatione tristior] Liv. IX, 5. *Haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura.*

exsolvendae in posterum] Vix dubitandum quin Longinus mox captivus sceleris poenas dederit, et ipse Tacitus eam ultionem narraverit in deperdita historiarum parte.

70. dine praedae ad excidium civitatis trahebantur. obstabat ratio belli, et novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum honorate custodierant. Sed Transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque; neque alium finem belli rebantur quam si promisca ea sedes omnibus Germanis foret, aut disiecta Ubios quoque dispersisset. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis mandata apud concilium Agrippinensium edi iubent; quae ferocissimus e legatis in hunc modum protulit. „Redisse vos in corpus nomenque Germaniae communibus deis et praecipuo deorum Marti grates agimus; vobisque gratulamur quod tandem liberi inter liberos eritis. nam ad hunc diem flumina ac terras et caelum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent, vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus. Sed ut amicitia societasque nostra in aeternum rata sit, postulamus a vobis, muros coloniae, munimenta servitii, detrahatis: — etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur —; Romanos omnes in finibus vestris trucidetis: haud facile libertas et domini miscentur. bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quicquam aut segregare causam suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim maioribus nostris. quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus

iubent edd. *iuberent* Ma.

C. 63. *in corpus*] Ut G. 39. Ann. XIII, 27.

sub custode] Vid. Germ. 41.

detrahatis] Ut Ann. XV, 17. *detraheret castella.*

lucem diemque est ἓν διὰ δυοῖν.

subiectos quam armis valent. Sincerus et integer et 70
servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperitabitis." 65. Agrippinenses sumpto consultandi spatio, quando neque subire condiciones metus futuri neque palam aspernari condicio praesens sinebat, in hunc modum respondent. „Quae prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis, consanguineis nostris, iungeremur. Muros civitatis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere tutius est. Si qui ex Italia aut provinciis alienigenae in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim et nobiscum per connubium sociatis, quique mox provenere, haec patria est; nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis. Vectigal et onera commerciorum resolvimus. sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes, donec nova et recentia iura in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem et Veledam, apud quos pacta sancientur." Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem et Veledam missi cum donis cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. Sed coram adire alloquique Veledam negatum. arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. ipsa edita in turre: delectus e propinquis consulta responsaque, ut internuntius numinis, portabat.

66. Civilis societate Agrippinensium auctus proximas civitates affectare aut adversantibus bellum inferre statuit. occupatisque Sunicis, et iuventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret,

C. 65. *olim* emphaticum est, pro *iampridem*.

provenere] E nobis nati sunt. Nam *provenire* usitatum de prole, ut *proventus*. Ern.

consulta] Ut II, 4. Significat res de quibus quis consulitur.

C. 66. *affectare*] H. e. allicere, ut Sall. Iug. 70. *Civitates formidine aut ostentando praemia affectare;* coll. supra c. 17.

Sunicis] Fortasse circa *Sinzig* habitantibus.

70. Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat. pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani transnatantes terga Labeonis invasere. Simul Civilis, ausus an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, et clara voce, „non ideo“ inquit „bellum sumpsimus, ut Batavi et Treveri gentibus imperent. procul haec a nobis arrogantia. accipite societatem. transgredior ad vos, seu me ducem seu militem mavoltis.“ Movebatur volgus condebantque gladios, cum Campanus ac Iuvenalis, ex primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumveniretur profugit. Civilis Betasios quoque ac Nervios in fidem acceptos copiis suis adiunxit, ingens rerum, perculsis civitatium animis vel sponte inclinantibus.

67. Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monumentis Caesarem se salutari iubet, magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus affuit: fusi Lingones. Sabinus festinatum temere praelium pari formidine deseruit. utque famam exitii sui faceret, villam in quam perfugerat cremavit, illic voluntaria morte interisse creditus. Sed quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum eius constantiam et insigne Epponinae

Betasiorum] Vid. c. 56.

ingens rerum] Ut Ann. I, 69. *Femina ingens animi.* At suspicor cum Rupertio: *ingens virium.*

C. 67. *monumentis*] H. e. tabulis et columnis, quibus foedus Romanorum cum Lingonibus et ceteris circa populis sancitum fuerat. Liv. XXVI, 24. *Haec convenerunt conscriptaque biennio post Olympiae ab Aetolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita.* Memnon de Romanis et Heracleensibus: καὶ χαλκοῖ πίνακες δύο τῆς ὁμολογίας ἴσας καὶ ὁμοίας ἔφερον. Ex Gron.

melioribus] H. e. melius moratis, utpote fidelibus.

Epponinae] Delituit cum eo uxor in sepulcro subterraneo per novem annos, et duos ibi ex eo filios genuit. Deinde cum marito Romam perducta iussu Vespasia-

uxoris exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit. resipiscere paulatim civitates fasque et foedera respicere, principibus Remis, qui per Gallias edixere, ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret. 70.

68. At Romae cuncta in deterius audita Mucianum angebant, ne quanquam egregii duces (iam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. Nec relinquenda urbs sine rectore. et Domitiani indomitae libidines timebantur, suspectis, uti diximus, Primo Antonio Varoque Arrio. Varus praetorianis praepositus vim atque arma retinebat. eum Mucianus pulsnm loco, ne sine solatio ageret, annonae praefecit. utque Domitiani animum Varo haud alienum deleniret, Arretinum Clementem, domui Vespasiani per affinitatem innexum et gratissimum Domitiano, praetorianis praeposuit, patrem eius sub Gaio Caesare egregie functum ea cura dictitans; laetum militibus idem nomen, atque ipsum, quanquam senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere. Assumuntur e civitate clarissimus quisque, et alii per ambitionem. Simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo, ille spe ac iuventa properus, hic moras nectens quis flagrantem retineret, ne

C. 68. *ne quanquam . . tolerarent* Mercerus: MSS. *nequaquam . . tolerare.* Idem mendum Agr. 16.

praepositus edd. *praeposito* Ma.

ni occisa est. Ea mulier Xiphilino LXVI, 3. et 16. *Πεπονίλα*, Plutarcho Erot. extr. c. 25. *Ἐμπονή* vocatur. Walth.

C. 68. *uti diximus*] Vid. c. 11.

ad utraque munia] Scil. senatoris et praefecti praetorio. Novo propemodum exemplo sociavit haec munia Mucianus; nam postquam Maecenas instituit, ut praefecti ex ordine equestri sumerentur (Dio C. LII, 124.), nemo senator praefectura functus erat praeter unum Seianum. Utrumque exemplum dissimulat Suet. Tit. 6. *Praefecturam quoque praetorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam.*

Assumuntur] Scil. ex suspectis Muciano, quos ille honoris specie ad bellum Gallicum ablegabat. Pich.

70. ferocia aetatis et pravis impulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Legiones victrices sexta et octava, Vitellianarum unaetvicesima, e recens conscriptis secunda Penninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur; quarta decuma legio e Britannia, sexta ac decuma ex Hispania accitae.

Igitur venientis exercitus fama et suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates in Remos convenere. Treverorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Tullio Valentino. is meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit, turbidus, miscendis seditionibus et plerisque gratus vecordi facundia. 69. At Iulius Auspex e primoribus Remorum, vim Romanam pacisque bona dissertans, et sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri, iamque super caput legiones, sapientissimum quemque reverentia fideque, iuniores periculo ac metu continuit. et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat obstitisse Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio steterant. Deterruit plerosque provinciarum aemulatio: quod bello caput, unde ius auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent,

victrices sexta et octava Savilius, coll. II, 83. 85. At Ma. *vim XI VIII.*

sexta ac decuma Savilius, coll. II, 58. III, 44. At MSS. *tertia ac prima.*

miscendis seditionibus] Scil. idoneus ut III, 49. *Seditiosa et corrumpendae militiae.* Ann. XI, 9. Quare commate distinxi post *turbidus.* Doed.

C. 69. *reverentia fideque*] H. e. reverentia fidei imperio Romano obligatae.

quod bello . . peteretur?] Delevi interrogationem post *caput*, ut *unde* relativum esset. Nam dux quidem facilis erat ad inveniendum, non tamen qui tanta auctoritate esset praeditus, quanta Romani imperatores, quibus *iustum imperium*, *quibus auspicium esset;* vid. Liv. XXII, 1. coll. XXVIII, 27.

sedem imperio legerent? Nondum victoria, iam discordia erat, aliis foedera, quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus. taedio futurorum praesentia placuere. Scribuntur ad Treveros epistolae nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili venia et paratis deprecatoribus, si paeniteret. Restitit idem Valentinus, obstruxitque civitatis suae aures, haud perinde instruendo bello intentus quam frequens concionibus. 70. Igitur non Treveri neque Lingones ceteraeve rebellium civitates pro magnitudine suscepti discriminis agere. ne duces quidem in unum consulere, sed Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur, Classicus segne plerumque otium trahens velut parto imperio fruebatur. ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniae ripam et ardua Alpium praesidiis claudere. Atque interim unaetvicesima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxilariis cohortibus per Raetiam irrupere. accessit ala Singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. praeerat Iulius Briganticus sorore Civilis genitus, ut ferme acerrima proximorum odia sunt, invisus avonculo infensusque. Tutor Treverorum copias, recenti Vangionum, Caeracatium, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis spe aut metu subactis legionariis; qui primo cohortem prae-

per iurgia P. Manut. *periuria* MSS.

C. 70. *fruebatur*] Absolute dictum ut III, 83.; *parto imperio* ablativi absoluti sunt.

superiorem . . ripam] Scil. occupare, quod ex seq. *claudere* mutuandum.

Vindonissa] I. e. a statione sua, quae Vindonissae erat, Helvetiorum oppido; hodie *Windisch*. Ern.

Singularium] Qui sint ignoratur. Memoratur in Inscr. p. 1028, n. 2. apud Gruterum *praepositus equitum singulariorum Augg.* et p. 367. n. 2. *vir ex singularibus imp.* et apud Orellium n. 3529. *mil. coh. VII pr. singulari tribuni*. Waltherus *μονομάχους* intelligit, non turmatim pugnantes.

Caeracatium] Hoc uno loco nominantur.

70. missam a Sextilio Felice interficiunt, mox ubi duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere, secutis Tribocis Vangionibusque et Caeracatibus. Tutor Treveris comitantibus, vitato Magontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navae fluminis abruperat, sed incursu cohortium quas Sextilius ducebat et reperto vado proditus fususque. Ea clade perculsi Treveri, et plebes omissis armis per agros palatur: quidam principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates quae societatem Romanam non exuerant perfugere. Legiones a Novesio Bonnaque in Treveros, ut supra memoravimus, traductae se ipsae in verba Vespasiani adigunt. Haec Valentino absente gesta; qui ubi adventabat furens cunctaque rursus in turbas et excidium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatem abscessere. Valentinus ac Tutor in arma Treveros retrahunt, occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris.

71. Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Magontiacum venit. eius adventu erectae spes. ipse pugnae avidus et contemnendis quam cavendis hostibus melior ferocia verborum militem incendebat, ubi primum congredi licuisset, nullam praelio moram facturus. Delectus per Galliam habitos in civitates remittit ac nuntiare iubet sufficere imperio legiones: socii ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent. Auxit ea res Gallorum obsequium: nam recepta iuventute facilius tributa toleravere, proniores ad officia, quod spernebantur. At Civilis et Classicus ubi pulsum Tutorem, caesos

Bingium] Hodie *Bingen*, nunc quidem in dextra Navae ripa, tunc in sinistra, ut ex Taciti descriptione colligitur. Byck. Immo non in ipso vico consedit Tutor, sed prope vicum in altera et sinistra Navae ripa.

ut supra] Vid. c. 62.

Mediomatricos] Ubi hodie *Metz*. Vid. I, 63.

sos Treveros, cuncta hostibus prospera accepere, tre- 70.
pidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne summae rei periculum faceret. Eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod erat militum Magontiaci quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit; quem locum magna Treverorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosella amne septum. et addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste, quem temere collectum haud ita loco iuvari, ut non plus suis in virtute foret. Paulum morae in ascensu, dum missilia hostium praevehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinae modo praecipitantur. et pars equitum aequioribus iugis circumvecta nobilissimos Belgarum, in quis ducem Valentinum, cepit. 72. Cerialis postero die coloniam Treverorum ingressus est, avido milite eruendae civitatis. Hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam; horum scelere clausas caesasque legiones. quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiae raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? stare in confinio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem. redigeretur praeda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur. Cerialis a metu infamiae, si licentia saevitiaque imbuere militem

C. 71. *Rigodulum*] Prope Treveros; vid. c. 72. Hodie *Reol.*

ruinae modo] De colle acervatim prosternuntur instar trabium lapidumve aedificii collapsi. Liv. IV, 33. *Ruinae similem stragem eques quacunque pervaserat dedit.* V, 47. *Ruina tota prolapsa acies in praeceps deferri.* Rup.

C. 72. *coloniam Treverorum*] Idem quod c. 75. *Augusta Treverorum*, *Trier.*

eruendae] I. e. funditus delendae; ex Virg. Aen. II, 611. Ern.

sedem] Scil. belli, ut I, 65. III, 32.

a metu] H. e. propter metum ut Senec. Clem. 20. *a duabus cau-*

70. crederetur, pressit iras. et paruere, posito civium bello ad externa modestiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. Stabant conscientia flagitii maestae, fixis in terram oculis. nulla inter coeuntes exercitus consalutatio. neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. Nec perinde periculum aut metus quam pudor ac dedecus obstupefecerat, attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans quae militum ducumque discordia vel fraude hostium evenissent; primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum facinorum neque imperatorem neque se meminisse. Tunc recepti in eadem castra, et edictum per manipulos, ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret. Mox Treveros ac Lingonas ad concionem vocatos ita alloquitur. 73. „Neque ego unquam facundiam exercui, et populi Romani virtutem armis affirmavi. sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura sed vocibus seditiosorum aestimantur, statui pauca disserere, quae profligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixisse. Terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed ma-

consalutatio edd. At Ma. *consultatio.*

sis, coll. Curt. V, 13. Hand. Tursell. T. 1. p. 26.

C. 73. *Neque ego*] Est imitatio orationis Livianae XXVIII, 27. Ern.

quam nobis dixisse] Aspernatur ac proiicit Cerialis his verbis gloriam oratoris, quam alii passim duces talibus alloquiis captare videbantur; denique ambitionis suspicionem deprecatur, tanquam aliud quidquam praeter Gallorum commoda spectet. Ac simplicitate dictionis eximia et quaesito sensuum laconismo differt haec oratio a ceteris Taciti orationibus, quarum in nulla tam consulto et pari arte elocutionem ingenio dicentis accommodavit. Nec saepius Thucydides idem fecit quam in oratione Sthenelaidae ephori, I, 86. Dord.

ioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad 70.
exitium fatigabant; et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. Quot praeliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum poteretur. An vos cariores Civili Batavisque et Transrhenanis gentibus creditis quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt? eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. 74. Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius concederetis. Nos, quanquam totiens lacessiti, iure victoriae id solum vobis addidimus quo pacem tueremur. nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cetera in communi sita sunt. ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has aliasque provincias regitis. nihil separatum clausumve. et laudatorum principum usus ex aequo, quamvis procul agentibus: saevi proximis ingruunt. quomodo sterilitatem aut ni-

acciti auxilio] Vid. Caes. B. G. I, 31.

Quot praeliis . . tractaverimus] Vid. Germ. 37.

C. 74. *addidimus*] H. e. imposuimus, ut Virg. Aen. VI, 90. *Teucris addita Iuno.* Lucil. Fr. *Si mihi non praetor siet additus atque agitet me.* Intt. in Sen. Herc. F. 1237.

sine armis] H. e. sine exercitibus, ut Ann. I, 2.

et laudatorum] Sulla ad Bocchum Sall. Iug. 102. *Tibi vero nulla amicitia opportunior nostra, primum quod procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par ac si prope adessemus.*

quomodo] Praeiverat Sen. Const. Sap. 9. *Omnia itaque sic patitur ut hiemis rigorem et intemperantiam coeli, ut fervores morbosque et cetera forte accidentia.* Similia Dio Ciceronem loqui facit XLIV, 32. Lips.

mios imbres et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur, nisi forte Tutore et Classico regnantibus moderatius imperium speratis, aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulsis, quod di prohibeant, Romanis quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convellentium non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum causae. Proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, colite. moneant vos utriusque fortunae documenta, ne contumaciam cum pernicie quam obsequium cum securitate malitis." Tali oratione graviora metuentes composuit erexitque.

75. Tenebantur victore exercitu Treveri, cum Civilis et Classicus misere ad Cerialem epistolas, quarum haec sententia fuit: Vespasianum, quanquam nuntios occultarent, excessisse vita; urbem atque Italiam interno bello consumptam; Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatium suarum contentos; si praelium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Civili et Classico nihil: eum qui attulerat, ipsas epistolas ad Domitianum misit.

Hostes divisis copiis advenere undique. plerique culpabant Cerialem passum iungi quos discretos inter-

Nam pulsis . . existent] Similia Pseudo - Sallust. Ep. ad Caes. extr.

eodem iure] Postquam in civitatem et adeo senatum asciti sunt Galli: Ann. XI, 25.

utriusque fortunae] Fidelium sociorum felicitas, desciscentium infortunia.

C. 75. *si . . velit*, et mox *si . . mallet*, tanquam illud simile veri sit, hoc dissimile et paene incredibile.

cipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. 70.
Apud Germanos diversis sententiis certabatur. 76. Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud quam praedam victoribus? et tamen, quod roboris sit, Belgas secum palam aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanam affirmabat, coeuntibus undique exercitibus. Transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia; nec subitum militem sed veterem expertumque belli. nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere; pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, maiora apud Romanos, et neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit. Quodsi statim congrediantur, nullas esse Ceriali nisi e reliquiis Germanici exercitus legiones, foederibus Galliarum obstrictas. idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. Ausuros rursus venturosque in manus non imperiti adulescentuli, verba et conciones quam ferrum et arma meditantis, sed Civilis et Classici; quos ubi aspexerint, redituram in animos formidinem, fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. Neque Treveros aut Lingonas benevolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit. Diremit consiliorum diversitatem approbata Tutoris sententia Classicus; statimque exsequuntur. 77. Media acies Ubiis Lingonibusque data: dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique. Pars montibus, alii viam inter Mosellamque flumen, tam impro-

C. 76. *quod roboris sit*] Ut V, 6.

non iuberi] Vid. Germ. 11.

formidinem] Proprie dictum, reliqua tropice pro *fugae famisque et precariae vitae recordationem.*

C. 77. *Pars . . assiluere*] Sensus est: alii montibus decurrentes, alii per eam planitiei

70. visi assiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit, perrupta legionum castra, fusi equites, medius Mosellae pons qui ulteriora coloniae adnectit ab hostibus insessus. Cerialis turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate et fortissimi cuiusque accursu recuperatum pontem electa manu firmavit. Mox in castra reversus palantes captarum apud Novesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac prope circumventas aquilas videt. incensus ira, „non Flaccum“ inquit, „non Voculam deseritis. nulla hic proditio; neque aliud excusandum habeo quam quod vos Gallici foederis oblitos praedixi, memoriam Romani sacramenti tenere credidi. annumerabor Numisiis et Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus aut hostium ceciderint. ite, nuntiate Vespasiano vel, quod propius est, Civili et Classico, relictum a vobis in acie ducem. venient legiones quae neque me inultum neque vos impunitos patiantur.“ 78. Vera erant, et a tri-

C. 76. *praedixi* Rhenanus, h. e. antea dixi, ut Vell. Pat. I, 4. Plin. Epp. X, 15. At MSS. *praedixerim* practereaque Ma. *temere* pro *tenere*. Edd. cum Lipsio: *Foederis oblitos redisse in memoriam Romani sacramenti temere credidi.* Quid quod ipsum illud *praedixerim* retineri potest, si variare structuram Tacitus quam constantiae laudem apud grammaticos mereri maluit; nam *excusandum habeo quod* tam recte coniunctivo quam indicativo iungitur. Doed.

partem, quae est viam inter et Mosellam, improvisi castris assiluere. Nihil in his obscurum, nihil cur excidisse nonnulla suspiceris; ac ne duritia quidem structurae, si qua est, scriptoris morem modumque excedit. At Ma. *alii alii*, dittographiae vitio, et mox *improvisa*. Suspicor *improviso*, ut Cic. Divin. 1, 24. *Improviso eos in castra irrupisse*. Edd. *improvisi* ex Agr. cui nulla auctoritas. Doed.

Numisiis et Herenniis] Vid. c. 59. 70.

relictum . . ducem] Haec ad Sullae exemplum. Plutarch. Sull. 21. ὑμεῖς δὲ τοῖς πυνθανομένοις· ποῦ προδεδώκατε τὸν αὐτοκράτορα; μεμνημένοι φράζειν, ὡς ἐν Ὀρχομενῷ! coll. Appian. Mithr. 49.

bunis praefectisque eadem ingerebantur. Consistunt 70.
per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste et impedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis, suis quisque locis, pugnam ciebant, Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad praedam instigantes. et cuncta pro hostibus erant, donec legio unaetvicesima patentiore quam ceterae spatio conglobata sustinuit ruentes, mox impulit. Nec sine ope divina mutatis repente animis terga victores vertere. ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quae primo impetu disiectae summis rursus iugis congregabantur ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravom inter ipsos certamen omisso hoste spolia consectandi. Cerialis ut incuria prope rem afflixit, ita constantia restituit; secutusque fortunam castra hostium eodem die capit exscinditque. 79. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenses, offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant; unde metus et iustae preces invocantium, antequam hostes reparatis viribus ad spem vel ad ultionem accingerentur. Namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum, integra quae et ex Chaucis Frisiisque composita Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuntius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium; qui largis epulis vinoque sopitos Germanos clausis foribus igne iniecto cremavere. simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem et alius me-

C. 79. *integra quae et*] Haec coniunxi. Pichena *integra, quae* deleto *et*. At Ma. *integraque et*. Doed.

C. 78. *Sed obstitit*] Haec tanquam *vera causa* corruptae victoriae opponitur illi quam ipsi Batavi ferebant.

C. 79. *Tolbiacum*] Hodie *Zülpich*.

79. tus, ne quarta decuma legio adiuncta Britannica classe afflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit, eaeque civitates in deditionem acceptae. classem ultro Canninefates aggressi sunt, maiorque pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudinem, sponte commotam ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Cannifates fudere. Classicus quoque adversus equites Novesium a Ceriale praemissos secundum praelium fecit. Quae modica sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant.

80. Isdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici iubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum asciri inter comites a Domitiano passus est, favore militum anxius et superbia viri, aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis. Profectus ad Vespasianum Antonius ut non pro spe sua excipitur, ita neque adverso imperatoris animo. trahebatur in diversa, hinc meritis Antonii, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistolis: simul ceteri ut infestum tumidumque insectabantur, adiunctis prioris vitae criminibus. neque ipse deerat arrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset. alios ut imbelles, Caecinam ut captivom ac dediticium increpat. unde paulatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitia.

81. Per eos menses quibus Vespasianus Alexan-

C. 80. *adverso animo*] Ut Ann. III, 29. *Utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum.* At edd. *averso.*

famam .. lacerabant] Ut Liv. XXXVIII, 54. *Populum Romanum ne morte quidem P. Scipionis exsatiari, nisi et ipsius fama sepulti laceretur.*

C. 80. *adiunctis . . criminibus*] Vid. II, 86.

vocare] Pro *provocare* ut G. 14. Ann. II, 81. *Praemiis vocans.*

levior ad ipsius Antonii ingenium moresque pertinet, *vilior* ad eiusdem gratiam et caritatem ac ceterorum de eo existimationem.

driae statos aestivis flatibus dies et certa maris oppe- 70.
riebatur, multa miracula evenere, quis caelestis favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu; monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. alius manum aeger eodem deo auctore ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari; atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci. Postremo aestimari a medicis iubet, an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. medici varie disserere: huic non exesam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravom artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. id fortasse cordi deis, et divino ministerio principem electum. denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur

C. 81. *integrari* edd. ex G. At BMR. *integrare*, scil. vim salubrem.

C. 81. *statos . . dies*] *Certa maris* erant a XV aut XXVII Maii (utrumque enim habet Veget. V, 9.) usque ad XIV Septembris. A XIV Sept. usque ad XI Novembr. *navigatio* sed *incerta;* ab XI Nov. usque ad X Martii *maria clausa*, et ab illo tempore ad XV Maii *navigatio periculosa*: ut satis appareat Vespasianum non solvisse nisi Maio extremo. Savil.

oris excremento] Plin. H. N. XXVIII, 7. *Credamus ieiunae salivae illitu assidue arceri lippitudines*, *matutina quotidie velut inunctione.*

aestimari] Pro composito *existimari*, quod substituit Ernestius. Vid. Ann. XIII, 17.

huic . . illi elapsos] Cave haec pronomina ad illos duos referas, qui tum remedium poposcerant. Sensus est: Medici consulti, num caecitas ac debilitas essent sanabiles, negabant simpliciter posse responderi; variam enim esse caecorum et debilium conditionem; aliis exesam esse vim luminis, aliis non exesam, aliis artus posse integrari, aliis non posse; illos miraculo sanari, hos ne miraculo quidem. Ergo nihil periculi Vespasiano si tentaret. Omissa sunt antitheta ut Ann. I, 55. *Ipsi tempus fore quo crimina* (vera a falsis) *et innoxios* (a noxiis) *discerneret*. Dord.

70. Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quicquam ultra incredibile, laeto ipse voltu, erecta quae astabat multitudine, iussa exsequitur. statim conversa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

82. Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. Arceri templo cunctos iubet. atque ingressus intentusque numini, respexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Basiliden, quem procul Alexandria plurium dierum itinere et aegro corpore detineri haud ignorabat. Percontatur sacerdotes num illo die Basilides templum inisset; percontatur obvios num in urbe visus sit; denique missis equitibus explorat illo temporis momento octoginta milibus passuum afuisse. tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est. 83. Origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptiorum antistites sic memorant. Ptolemaeo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditae moenia templaque et religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio et maiore quam humana specie iuvenem, qui moneret ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret: laetum id regno, magnamque et inclitam sedem fore quae excepisset. simul visum eundem iuvenem in caelum igne plurimo

C. 82. *sacram sedem*] Serapidis.

Basiliden] Suet. Vesp. 7. *Cum de firmitate imperii capturus auspicium aedem Serapidis summotis omnibus solus intrasset ac propitiato multum deo tandem se convertisset, verbenas coronasque et panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est, quem neque admissum a quoquam et iam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi longeque abesse constabat.*

tunc divinam] Sensus est: Tunc agnovit, illum quem conspexisset, ipsum deum fuisse, responsi loco apparentem; cumque consulenti sub persona Basilidis βασιλείαν vel imperium portendisse. Doed.

C. 83. *Origo dei*] Vid. Diod. I, 11—27. Macrob. Sat. 1, 20.

attolli. Ptolemaeus omine et miraculo excitus sacer- 70.
dotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intellegere, nocturnos visus aperit. atque illis Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine exciverat, quaenam illa superstitio, quod numen, interrogat. Timotheus quaesitis qui in Pontum meassent cognoscit urbem illic Sinopen, nec procul templum, vetere inter accolas fama, Iovis Ditis: namque et muliebrem effigiem assistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum appetens, neglegere paulatim aliasque ad curas animum vertere, donec eadem species terribilior iam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret, ni iussa patrarentur. Tum legatos et dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri iubet; praecepitque navigaturis, ut Pythicum Apollinem adeant. Illis mare secundum, sors oraculi haud ambigua: irent, simulacrumque patris sui reveherent, sororis relinquerent. 84. Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata regis sui Scydrothemidi allegant. qui versus animi modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri; saepe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto Ptolemaeus non studium, non preces omittere. dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo ultra moraretur. cunctantem varia pernicies morbique et manifesta cae-

C. 83. *praecepitque.* Suspicor *praecipitque*, ob sequens *adeant*. Doed.

sors] De effato, primitivo, ut opinor, significatu; est enim nomen verbi *serere*, *ἐρεῖν*.

C. 84. *versus animi*, diversus, h. e. in diversa tractus dubitatione; non pro *eversus*, ut videtur Walthero coll. Ann. III, 34. 36. At Put. *diversus*; Guelf. *diversis*; les. *adversus*.

70. lestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata concione iussa numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit. volgus adversari regem, invidere Aegypto, sibi metuere templumque circumsedere. Maior hinc fama tradidit deum ipsum appulsas litori navis sponte conscendisse. Mirum inde dictu tertio die tantum maris emensi Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum loco cui nomen Rhacotis. fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Haec de origine et advectu dei celeberrima. nec sum ignarus esse quosdam qui Seleucia urbe Syriae accitum, regnante Ptolemaeo quem tertia aetas tulit; alii auctorem eundem Ptolemaeum, sedem ex qua transierit Memphim perhibent, inclutam olim et veteris Aegypti columen. Deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin, antiquissimum illis gentibus numen, plerique Iovem ut rerum omnium potentem,

adversari regem] Ut I, 38. Ann. I, 28. Male Muretus *aversari* substituit. Nam qui *aversantur*, *tacite* spernunt vel oderunt; qui *aversantur*, *propalam* refragantur et obsistunt, ut illi qui tunc templum circumsedere. Dord.

pro magnitudine] Dionys. Perieg. 255. *ἔνθα Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον χρυσῷ τιμήεντι κεκασμένον.*

Rhacotis] Olim promontorium et vicus, deinde pars Alexandriae navalibus imminens. Strab. XVII. p. 792. Plin. H. N. V, 10.

Serapidi . . antiquitus sacratum] Ergo nomen Serapidis iam prius cognitum fuerat apud Aegyptios; simulacrum vero Sinopense antiquo nomine coli coepit. Walth. Plutarch. Isid. et Osir. 28. p. 362. A. *εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο, τὸν Σάραπιν.*

tertia aetas] Est Ptolemaeus Euergetes.

plerique Iovem] Haud facile dictu est, quamnam ex his interpretationem probaverit Tacitus, Iovemne intelligat an Plutonem. Nec sibi ipse constat. Nam cum supra dicit: *Iovis Ditis; namque et muliebrem effigiem assistere, quam plerique Proserpinam vocent*, manifesto Plutonem, quem Cic. N. D. II, 26. *Ditem patrem* nominat, interpretatur, ob viciniam Proserpinae. Contra paulo post, cum Apollo eiusdem dei simulacrum *patris sui* vocasse dicitur, non *patrui sui*, Iovem Ditem non potuit non pro ipsius Iovis appellatione habuisse. Ergo nunc nomine *Ditis* inductus de *Dite patre* cogitavit ut *plurimi*, nunc nomine *Iovis*, ut *plerique*, de *Iove rerum omnium potente*. Dord.

plurimi Ditem patrem, insignibus quae in ipso manifesta aut per ambages coniectant. 70.

85. At Domitianus Mucianusque antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treveris gestarum nuntios accepere. Praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus, nequaquam abiecto animo, quos spiritus gessisset, voltu ferebat. auditus ideo tantum ut nosceretur ingenium eius, damnatusque inter ipsum supplicium exprobranti cuidam patriam eius captam accipere se solatium mortis respondit. Sed Mucianus quod diu occultaverat ut recens exprompsit: quoniam benignitate deum fractae hostium vires forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum. Si status imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Caesarem in acie stare: Canninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos. ipse Lugduni vim fortunamque principatus e proximo ostentaret, nec parvis periculis immixtus et maioribus non defuturus. 86. Intellegebantur artes, sed pars obsequii in eo ne deprehenderentur. ita Lugdunum ventum. unde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem eius tentavisse, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. Qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis salubri temperamento elusit ut vana pueriliter cupientem. Domitianus sperni a senioribus iuventam

C. 85. *ostentaret* Rhenanus; *ostentare* MSS.

manifesta scil. vident, *aut per ambages* scil. significata *coniectant*.

interventurum] Ac tamen intervenit. Nam Domitianus, quasi eius auspiciis et virtute confectum fuerit hoc bellum, laudatur a Sil. It. III, 607. *At tu transcendens, Germanice, facta suorum iam puer auricomo performidare Batavo.* Et Ioseph. B. Iud. VII, 4, 2. Brot.

C. 86. *in eo ne deprehenderentur*] H. c. in intellectu tanquam in delicto. Ann. I, 11. *Patres quibus unus metus, si intelligere viderentur.*

iuventam suam] Nondum impleverat septimum decimum aetatis annum.

70. suam cernens modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus, studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris aemulationi subduceretur, cuius disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

simplicitatis .. imagine] Tanquam abhorreret natura sua ab illa calliditate et vafritie, quam omnis reipublicae administratio exigeret; et *modestiae*, tanquam suae sibi mediocritatis conscius esset, vel tanquam gloriae cupidinem sperneret, ut Ann. I, 11.

in altitudinem] Scil. animi *Verschlossenheit*, ut Ann. III, 44. *Tiberius in securitatem compositus . . altitudine animi an compererat modica esse et vulgatis leviora.* Hist. II, 91. *Qui altiorem iracundiam eius verebantur.* Porro *conditus* eodem sensu dictum quo Ann. I, 24. *abstrusus et tristissima quaeque maxime dissimulans Tiberius.* Ernestius *in solitudinem* proposuit, Oelschlaegerus *in aegritudinem.*

amorem carminum] Hinc adulationes Plinii H. N. praef. ad Titum: *Quantus in poetica es! o magna fecunditas animi! Quemadmodum fratrem quoque imitareris excogitasti.* Et Quintil. X, 1, 91. IV. prooem. 4. Sil. It. III, 618. Et creditur auctor Arateorum, sub Germanici cognomento vulgatorum.

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM.

Titi in Iudaeos urbemque sacram expeditio. Ea occasione de gentis origine, moribus, religione urbisque ipsius opere et situ accuratius et uberius dictum. Germanici belli progressus, praelia aliquot inter Civilem et Cerialem; quae denique pax (ita apparet ex fine mutilati libri) excepit.

---

1. Eiusdem anni principio Caesar Titus, perdomandae Iudaeae delectus a patre et privatis utriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et alloquiis officia provocans, ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres eum in Iudaea legiones, quinta et decuma et quinta decuma, vetus Vespasiani miles, excepere. addidit e Syria duodecumam et abductos Alexandria duoetvice- 70.

C. 1. *privatis* Rhenanus coll. III, 65. *Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat.* At Ma. *praelatis.*

C. 1. *super fortunam* Lipsius: „Titus, inquit, iam tum „privatus clarus bello; nunc mul„to promptior ut parem vel su„periorem se potius fortuna hac „imperatoria ostenderet." At Ma. et Vat. *superiori unam*, Bud. *superior unam.* Unde suspicor: *ut superior una re crederetur*, h. e. ut una tantum in re, in *virtutis* comparatione superior ceteris crederetur, *fortuna* autem par, etsi ad imperatorium iam tum fastigium elatus. Cic. Petit. Cons. 3. *Alterum, Caelius etiam cum multo esset inferior genere, superior nulla re paene superavit.* Lipsii coniectura editoribus adhuc placuit, Pichena comparante Sall. Iug. 64. *monere ne tum prava inciperet, neu super fortunam animum gereret.* Atqui ibi *super fortunam* diverso sensu et cum vituperatione dictum est. Dord.

comitate .. provocans] Suum cuique vocabulo addendum est cogitatione contrarium: ac non *arrogantia* et *imperiis obsequium poscens.*

70. simanos tertianosque. Comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae, simul Agrippa Sohaemusque reges, et auxilia regis Antiochi, validaque et solito inter accolas odio infensa Iudaeis Arabum manus, multi quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus composito agmine, cuncta explorans paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra facit. 2. Sed quia famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire.

Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis. argumentum e nomine petitur: inclitum in Creta Idam montem; accolas Idaeos aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari. Quidam regnante Iside exundantem per Aegyptum multitudinem ducibus Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exoneratam; plerique Aethiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradunt Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos, mox proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Syriae coluisse. Clara alii Iudaeorum initia: Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse. 3. Plurimi auctores consentiunt, orta

per

Agrippa, cognomento *alterius*, rex Galilaeae Trachonitidis partisque Iudaeae: Ioseph. Ant. XX, 7. — *Sohaemus*, rex Ituraeorum: II, 81. Ann. XII, 23. XIII, 7. — *Antiochus*, rex Commagenorum.

C. 2. *in babarum*] Ut Ann. VI, 42. *Neque in barbarum corrupta.*

ac Iuda] Lactant. IV, 10. *Postea vero cum in deserta quadam parte Syriae consedissent, omiserunt vetus nomen Hebraei, et quoniam princeps examinis eorum Iuda erat, Iudaei sunt appellati.*

Solymos] Hom. Il. VI, 184. *Σολύμοισι μαχήσατο κυδαλίμοισι*, coll. 204. Et Odyss. V, 283. *Ἐνοσίχθων τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν.*

nomen e Rhenanus. At MSS. *nomine.* Locutio ducta ex Virg. G. 1, 137. *Navita tum stellis numeros et nomina fecit.*

per Aegyptum tabe quae corpora foedaret, regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis alias in terras avehere iussum. Sic conquisitum collectumque volgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moysen unum exulum monuisse, ne quam deorum hominumve opem expectarent utrisque deserti, sed sibi ut duci caelesti crederent, primo, cuius auxilio [credentes] praesentes miserias pepulissent. assensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat. iamque haud procul exitio totis cam-

C. 3. *Bocchorim*] Sumpsit haec ex Lysimacho, ut videre potes ap. Ioseph. c. Apion. I. extr. Lips.

conquisitum, ex suis quemque latebris, et *collectum* in unum agmen.

vastis locis] Tertull. Apol. 16. e Taciti loco affert *in vastis Arabiae locis*. Scilicet nomen Arabiae ut Tacito de hac re edoctior de suo addidit. Orosius I, 10. ut noster. Walth.

sed sibi ut duci caelesti Oberlin. At Ma. B. *et sibimet duci caelesti*. Et GHB. *sed sibimet ut duci caelesti*. Et C. *ni sibimet duci caelesti;* denique A *ut* (suprascr. *et*) *sibimet duci caelesti*. Suspicor: *utrisque deserti, et semet illi ut duci caelesti crederent, primo cuius .. pepulissent.* Non *se* statim Moses qui nullodum genti suae beneficio commendatus esset, Tacito quidem auctore, ducem reliquis obtulit ac potius obtrusit, sed *aliquem* ducem expectari iussit, et eum quidem quem praesentis miseriae propulsatorem experturi fuerint. Interim sine duce proficiscerentur, donec divinitus illo beneficii omine monstraretur aliquis dux. Intelligit autem Tacitus per *praesentes miserias* (*Noth des Augenblicks*) nihil praeter aquae inopiam ac sitim, easque opponit *futuris* miseriis, quae ex viae ignoratione et erroribus instabant. Atqui fors tulit, ut Moses qui ducem omine monstrandum expectare iusserat, idem ipse aquae fontem aperiret, ideoque quoniam praesentes miserias pepulisset, ex composito viae dux legeretur. Ita illustrantur etiam verba c. 4. *Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant.* Nam asini illi agrestes non solum Mosi viam fontis monstraverant, sed etiam ceteris eodem actu copiam fecerant idoneum viae ducem deligendi. Violenta illa nostra correctio haberi non debebit; nam *sibimet* natum videtur ex *se-illimet*, pari turbatione et vocabuli per interpositionem diremptione qua II, 98. *Etesi-flabro aquilonis-arum*. Proxima verba *primo .. pepulissent* Rittero glossema sunt. Nos *credentes* solum delemus, dittographia syllabarum *crederent* et *praesentes* ortum. Doed.

inopia aquae] Vid. Exod. 15, 23.

totis campis] H. e. longe lateque, ut IV, 18. *Totis campis palantur*. Tibull. I, 3, 61. *Fert casiam non culta seges totosque*

70. pis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit. id levamen; et continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus obtinuere terras, in quis urbs et templum dicata. **4.** Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. profana illic omnia quae apud nos sacra, rursum concessa apud illos quae nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere, caeso ariete velut in contumeliam Hammonis. bos quoque immolatur, quem Aegyptii Apin colunt. sue abstinent, merito cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. Alii honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod de septem

C. 4. *Idaeis* Lipsius. *Iudaeis* MSS.

per agros Floret odoratis terra benigna rosis. Propert. I, 9, 21. *Pueri totis arcum sentire medullis*, ut recte emendatum est pro *toties*. Virg. Ecl. I, 12. Olim huius ignarus usus suspicabar: *tostis campis*, h. e. aridis ac sole exustis, ut Ovid. Fast. IV, 939. *Est canis* (*Icarium dicunt*) *quo sidere moto tosta sitit tellus.* Catull. XLV, 6. *In Libya Indiave tosta.* Doed.

C. 4. *incesta*] Sicut patrui nuptiae cum fratris filia, Ann. XII, 6. 7. at Iudaeis concessae, Levit. 18.

errorem sitimque] Vid. in c. 3.

caeso ariete] Vid. Levit. 16, 3. Idque *in contumeliam Hammonis* factum ait, quod Iuppiter Hammon arietinum cornu gerebat.

merito ex Ma. revocavi, h. e. culpa, causa, ut II, 37. Vatin. ad Cic. Fam. V, 9. *Mea fortuna obtrectatores invenit, non meo quidem mehercules merito*; coll. XIV, 2. *Pisonem nostrum merito eius amo plurimum.* At edd. *memoria*. Doed.

septimum quoque annum] Pro *annum quoque septimum*, ut Ann. XI, 13. De re vid. Levit. 23, 4.

sideribus quis mortales reguntur altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur; ac pleraque caelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant. 5. Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur; cetera instituta sinistra foeda pravitate valuere. nam pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc gerebant, unde auctae Iudaeorum res; et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu. Sed adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus,

conficiant Lipsius; *coniciant* V. At Ma.B. *commearent.* HEIG. *commeare.* Suspicor: *ac pleraque caelestium viam suam et cursum septimos per numeros commeare. Et hi ritus* sqq. Pendet infinitivus ex *alii* scil. *tradunt*, et novam praeter Saturnum causam reddit, cur septimus numerus habeatur sanctus. Bezzenbergero debetur *viam.* Ita Plaut. Capt. I, 2, 82. *Nam meus scruposam victus commeat viam.* Etiam III, 50. *viam* in *vim* corruptum legitur. Doed.

C. 5. *valuere*] Pro *invaluere.* Sensus est: Cetera Iudaeorum instituta et per se sinistra sunt et ob ipsam pravitatem suam longe lateque etiam apud alias gentes pravorum plausu invalescere coeperunt. Ita demum seq. *nam* intelligetur.

nam pessimus quisque] Intelligit Tacitus eos qui Romae et apud alias gentes sacris se Iudaicis initiari voluerant, tanquam per Iudaeorum instituta et religiones initiatis, dummodo stipes ac tributa templo Hierosolymitano mitterent, etiam nefaria concederentur, quae per patrias religiones illicita essent. Cic. Flacc. 28. *Cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis Hierosolyma exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret*, coll. Philon. Leg. ad Gai. p. 1023. Ioseph. Ant. XIV, 12. Iuven. XIV, 100. *Romanas autem soliti contemnere leges Iudaicum ediscunt et servant et metuunt ius, tradidit arcano quodcunque volumine Moyses.* Quapropter Ann. II, 85. *Actum de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis.* Nempe tali spe nemo nisi *pessimus quisque* ducebatur ad externas superstitiones. At Broterius Iudaeos *ἐν διασπορᾷ* agentes intelligit, qui patrias locorum quae habitabant religiones spreverint et suis ipsi sacris fideles tributa singulis annis Hierosolyma miserint. Ii cur *pessimi* dicantur, non video. Doed.

unde auctae . . promptu] Duae incrementorum causae memorantur; primum *externae*, per tributa et stipes alienigenarum undique terrarum tributa congerentium, deinde *intestinae*, quia nemo unquam Iudaeus Iudaeum nec fraudabat nec indigentem esse sinebat. Sed post *promptu* plene distinxi; nam *hostile odium* non numeratur in his causis. Doed.

proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent; inter se nihil illicitum. circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. transgressi in morem eorum idem usurpant, nec quicquam prius imbuuntur quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere. Augendae tamen multitudini consulitur. nam et necare quemquam ex agnatis nefas, animosque praelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant. hinc generandi amor et moriendi contemptus. Corpora condere quam cremare e more Aegyptio, eademque cura et de infernis persuasio.

Caelestium contra. Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur: Iudaei mente sola

alienarum] Scil. *gentium*, quod ex praec. *gens* repetendum.

ex agnatis] De nefando patrum Romanorum iure liberos occidendi optime disseruit Zumpt. *über den Stand der Bevölkerung im Alterthum* p. 68. Agnati hic et Germ. 19. non eo sensu dicti quo in iure civili (de quo luculenter egit G. F. Puchta Curs. Institutt. T. II. p. 279. seqq.), sed intelliguntur liberi super numerum patri destinatum vel gratum nati, sive post testamentum factum, sive ex secundo matrimonio; Graece *ἐπίγονος adgnatus* in Gl. Philox. Plat. Legg. V. p. 740. C. *εἰ δὲ καὶ ἐκ διαφόρων τινὲς μητέρων εἶεν, ἐπίγονος ἂν ὁ δεύτερος τῷ προτέρῳ ὀνομάζοιτο.* Eosdem intellexerim apud Polyb. V, 65. *ἐκ μὲν τῶν κατοίκων καὶ τῶν ἐπιγόνων*, quod non debebat verti: *ex inquilinis et horum liberis.* Cf. Plin. H. N. XI, 52. *Membra animalibus agnata mutila sunt, sicut sextus semper homini digitus.* Add. Varro R. R. III, 16, 29. Fr. Ulpian. L. 68. §. 2. D. de usufructu 7, 1. *Plane si gregis vel armenti sit usu fructus legatus, debebit ex agnatis gregem supplere.* Intelligitur mos Romanorum, eiusmodi pueros in ipso matris utero abortivis necare. Vid. Plaut. Trucul. 97. Iuven. VI, 595. Ioseph. c. Apion. II, 24. *τέκνα τρέφειν ἅπαντα προσέταξε· καὶ γυναιξὶν ἀπεῖπε μήτ' ἀμβλοῦν τὸ σπαρὲν μήτε διαφθείρειν· ἀλλὰ ἣν φανείη, τεκνοκτόνος ἂν εἴη ψυχὴν ἀφανίζουσα καὶ τὸ γένος ἐλαττοῦσα.* Dord.

condere non est infinitivus historicus sed subiectum sententiae; praedicatum latet in *e more* h. e. *pars moris Aegyptii.* Quare comma sustuli post *cremare.*

eademque cura scil. condendi, cum magna copia aromatum; vid. Intt. ad Ev. Iohann. XIX, 39. Quanquam differt hic mos ab Aegyptio condiendi vel *ταριχεύσεως* more. Mox *caelestium* ex remotiore nomine *cura* pendet.

mente sola] Idem iisdemque prope verbis de Iudaeis testatur quod de Germanis c. 9. *Deorum nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident.*

unumque numen intelligunt; profanos qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum. igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt. non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta, Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. quippe Liber festos laetosque ritus posuit, Iudaeorum mos absurdus sordidusque.

6. Terra finesque qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur, a meridie Aegyptus obiacet; ab occasu Phoenices et mare; septentrionem a latere Syriae longe prospectant. Corpora hominum salubria et ferentia laborum. Rari imbres, uber solum. Fruges nostrum ad morem, praeterque eas balsamum et palmae. palmetis proceritas et decor. balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhi-

sinunt I. Fr. Gronov. At MSS. *sunt*, vel ideo mendosum quod urbibus suis, non *eorum* praecedit. Sed aptius videtur *sistunt*, ut Virg. A. II, 245. *Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.* Ipse Tacitus *sistere* pro statuere habet H. IV, 53. Doed.

summum illud] Sensus est: deum tam excelsum esse ut imitatione exprimi non possit, et tam aeternum, ut interituris simulacris non debeat.

honor] Durum est quod ex praec. *haec* mutuandum huc est *hic*. Suspicor: *Caesaribus is honor*, ut Agr. 46. *Is verus honor, ea coniunctissimi cuiusque pietas.* Doed.

Liberum] Plutarch. Sympos. IV, 6, 2.

C. 6. *fruges* Lipsius. At Ma. BG. *exuperant fruges*, quod tuetur Bachius interpretatus: fruges quales Romanorum quoque sunt, eminent ex ubere solo; coll. Plin. H. N. XIV, 1. Virg. A. II, 206. *Iubaeque sanguineae exsuperant undas.* Ego suspicor: *uber solum; exsuperantes fruges, nostrum ad morem;* intransitive ut Sil. It. I, 56. *Hannibal exsuperans astu.* Gell. VI, 8. *Mulier exsuperanti forma.* Sive *exsuperant* retinere malis, hoc quoque intransitive accipiendum, ut Virg. A. XII, 19. *Quantum ipse feroci virtute exsuperas.* Verba *nostrum ad morem* scil. habitae, satae, tractatae, ad *genera* frugum spectat, non ad *copiam*, quandoquidem Italia tunc temporis indiga frugum erat. Doed.

si vim ferri] Plin. H. N. XII, 25. *Inciditur vitro, lapide os-*

70. beas, pavent venae, fragmine lapidis aut testa aperiuntur; humor in usu medentium est. Praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Iordanen alit funditque. Nec Iordanes pelago accipitur, sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. incertae undae superiacta, ut solido, ferunt; periti imperitique nandi perinde attolluntur. certo anni tempore bitumen egerit; cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. ater suapte natura liquor et sparso aceto concretus innatat. hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt: inde nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas. nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur. Sic veteres auctores. sed gnari locorum tradunt undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad litus; mox, ubi vapore terrae, vi solis inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut saxa

seisve cultellis; ferro laedi vitalia odit.

erigit] Scil. terra Iudaea, ut Germ. 46. *Quicquid silvarum ac montium erigitur.* Doed.

fidum nivibus] H. e. fida nivi statio.

unum atque alterum] Ioseph. B. Iud. III, 10. *ἀρχόμενος δὲ φανεροῦ ῥεύματος ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἄντρου κόπτει μὲν τὰ τῆς Σεμεχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ τέλματα, διαμείψας δὲ ἑτέρους ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους, μετὰ πόλιν Ἰουλιάδα διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην· ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρούμενος ἐρημίαν εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην.*

immenso ambitu] Plin. H. N. V, 16. *Longitudine excedit centum mille passuum, latitudine maxima XXV. implet, minima sex;* coll. Ioseph. B. I. IV, 8. 4.

incertae dicuntur *undae*, quia tam lenis aquae motus est, ut vix discernas undaene sint an aqua immota. Similiter Ann. II, 23. *Variis undique procellis incerti fluctus*, h. e. qui non discernas quanam a parte impellantur. Sed speciose Oelschlaegerus: *Inertes undae*, ut Ovid. Heroid. XVIII, 122. *A te cum redeo, clivus inertis aquae*, coll. Germ. 45. *mare pigrum ac prope immotum.* Agr. 10. Hist. III, 42.

sparso, asperso.

pelli, h. e. appelli.

discindi. 7. Haud procul inde campi, quos ferunt olim 70.
uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu arsisse; et manere vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclitas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, solo caeloque iuxta gravi. Et Belus amnis Iudaico mari illabitur; circa cuius os lectae arenae admixto nitro in vitrum excoquuntur. modicum id litus et egerentibus inexhaustum.

8. Magna pars Iudaeae vicis dispergitur; habent et oppida. Hierosolyma gentis caput. Illic immensae opulentiae templum, et primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum. ad fores tantum Iudaeo aditus; limine, praeter sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit,

C. 7. *fulminum iactu*] Ut Cic. Divin. II, 18. Catil. III, 8. At Orosius I, 5. citat *fulminum ictu*, quod tanquam aptius cum Lipsio probavi in Synon. Lat. T. V. p. 63.

torridam edd. *torrida* Ma. non deterius.

herba tenus aut flore Rhenanus, h. e. usque dum herbascunt aut florent, ut Dial. 9. *Laus in herba vel flore praecepta.* At Ma. *herbas tenues aut flores.*

Ego sicut inclitas edd. At Ma. *Et sicut indicas.* Alii *Iudaicas.*

arenae edd. At Ma. *harenae*, secundum Varronem, rectius; est enim a *χεράς*. Vid. Reden und Aufsätze p. 366.

C. 8. *dein regia* Mercerus, coll. c. 11. *Alia intus moenia regiae circumiecta. deingia* Ma.

Belus] Plin. H. N. V, 19, 17. *Belus qui e Cendavia palude nasci creditur, quinque mille passuum spatio in mare perfluens iuxta Ptolemaidem coloniam lentus currit, insalubri potu, sed cerimoniis sacer, limosus, vado profundus.*

lectae] Pro *collectae*.

modicum id litus] Plin. H. N. XXXVI, 26. *Quingentorum est passuum non amplius litoris spatium, idque tantum multa per saecula gignendo fuit vitro.* Mox *et* est pro *et tamen*.

despectissima pars servientium; postquam Macedones praepotuere, rex Antiochus demere superstitionem et mores Graecorum dare annisus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est: nam ea tempestate Arsaces desciverat. Tum Iudaei Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (et Romani procul erant), sibi ipsi reges imposuere; qui mobilitate volgi expulsi, resumpta per arma dominatione fugas civium, urbium eversiones, fratrum, coniugum, parentum neces aliaque solita regibus ausi superstitionem fovebant, quia honor sacerdotii firmamentum potentiae assumebatur. 9. Romanorum primus Gnaeus Pompeius Iudaeos domuit, templumque iure victoriae ingressus est. inde volgatum nulla intus deum effigie vacuam sedem et inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox civili inter nos bello, postquam in ditionem Marci Antonii provinciae cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea po-

C. 9. *inter nos* edd. ex A. At Ma.CR. *interno.*

C. 8. *demere superstitionem*] Vid. Maccab. I, 1, 43.

Parthorum bello] Nullum fuit Parthorum bellum, nullus Arsaces imperante Antiocho Epiphane. Arsacis enim defectio multo ante contigerat sub Antiocho II. sive Θεῷ a. u. 504. Antiochus contra Epiphanes posteaquam edixit, ut Graecam omnes religionem profiterentur, in Armenios expediit eorumque regem Artaxiam proelio victum cepit, a. u. 589. Ex Brot. Ergo Antiochum II. cum Antiocho IV. Armenios cum Parthis, Artaxiam cum Arsace confudit Tacitus.

invalidis] Sub Demetrio I. eiusque successoribus. Iustin. XXXVI, 1. 3. Maccab. I, 13.

mobilitate volgi] Haec intelligenda de bello civili, quod Iudaeos inter et regem eorum Alexandrum Iannaeum per sex annos exarsit a. u. 663. Ioseph. Ant. XIII, 12. B. Iud. I, 4. Brot.

C. 9. *Pompeius*] Flor. III, 5. Cic. Flacc. 28.

nulla . . effigie vacuam] Simili structurae ubertate Soph. Oed. R. 57. ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω. Alii MSS. *nullas . . effigies* exhibent, quod probat Waltherus.

rex Parthorum] Vel potius regis Orodis filius. Non error est Taciti sed latior nominis usus, ut II, 26. *rex Epiphanes*, utque Cic. Cat. m. 17. *Cyrum minorem regem Persarum* appellat. Missus a patre Iudaea potitus est a. u. 714. Anno seq. a P. Ventidio, quem Antonius adversus Parthos miserat, victus et interfectus est. Dio C. XLVIII, 26.

titus, interfectusque a Publio Ventidio, et Parthi trans 70.
Euphraten redacti; Iudaeos Gaius Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. Post mortem Herodis nihil expectato Caesare Simo quidam regium nomen invaserat. is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus; et gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies. Dein iussi a Gaio Caesare effigiem eius in templo locare arma potius sumpsere; quem motum Caesaris mors diremit. Claudius defunctis regibus aut ad modicum redactis Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit; e quibus Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatrae et Antonii nepte in matrimonium accepta, ut eiusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. 10. Duravit tamen patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum procuratorem: sub eo bellum ortum. et comprimere coeptantem Cestium Gallum Syriae legatum varia praelia ac saepius adversa excepere. Qui ubi fato aut taedio occidit, missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolymam urbes victore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Iudaeos, per otium transiit. pace per Ita-

Sosius] Dio XLIV, 22.

Herodi, scil. *Magno*.

Simo] Herodis servus, dux seditionis, de quo Ioseph. Ant. XVII, 10.

Quintilio Varo] Idem ille qui in Germania periit; vid. Vell. Pat. II, 117.

tripartito] Nam Archelaus tetrarcha fuit Iudaeae, Herodes Galilaeae, Philippus Ituraeae et Trachonitidis.

a Gaio] A Caligula enim iussi sunt effigiem eius nomine *novi Iovis illustris Gaii* in templo locare. Ioseph. B. Iud. II, 10.

redactis] Unus tunc Herodes, frater Agrippae Magni, regnum Chalcidis occupabat.

Felix] Vid. Ann. XII, 54. Fuit is *progener Antonii*, quia neptem Antonii ex Cleopatra in matrimonium duxerat; idemque *Claudii nepos*, quia is ex Druso et Antonia minore natus nepos erat Antonii.

C. 10. *taedio*] Scil. vitae, morte voluntaria.

70. liam parata et externae curae rediere. Augebat iras quod soli Iudaei non cessissent. simul manere apud exercitus Titum ad omnes principatus novi eventus casusve utilius videbatur.

Igitur castris, uti diximus, ante moenia Hierosolymorum positis instructas legiones ostentavit. 11. Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri, et si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit. mox cessere hostes, et sequentibus diebus crebra pro portis praelia serebant, donec assiduis damnis intra moenia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi. neque enim dignum videbatur famem hostium opperiri; poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. Ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos; ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta; et turres, ubi mons iuvisset, in sexagenos pedes, inter devexa in centenos vicenosque attollebantur, mira specie, ac procul intuentibus pares. alia intus moenia regiae circumiecta, conspicuoque fastigio turris Antonia, in honorem Marci Antonii ab Herode appellata. 12. Templum in modum

C. 10. *parata*] H. e. *comparata*, bene; vid. in c. 24. At Rhenanus *parta*.

rediere edd. At Ma. *redire*.

C. 11. *uti diximus*] C. 1.

praelia serebant] Pro proeliis manus conserebant.

multi, vulgus.

urbem arduam] De eius situ vid. C. Raumer Palaest. p. 250.

obliqui . . sinuati] C. Raumer Palaest. p. 259. „Die Mauern Jerusalems liefen nicht in gerader Linie, sondern im Zickzack, ein- und ausspringende Winkel bildend, so dass Feinde, welche die Stadt stürmten, in den einspringenden Winkeln von zwei Seiten beschossen werden konnten.“

arcis, propriique muri, labore et opere ante alios. ipsae porticus, quis templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquae, cavati sub terra montes, et piscinae cisternaeque servandis imbribus. Praeviderant conditores ex diversitate morum crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium. et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque per avaritiam Claudianorum temporum empto iure muniendi struxere muros in pace tanquam ad bellum, magna colluvie et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat. eoque seditiosius agebant: tres duces, totidem exercitus. extrema et latissima moenium Simo, quem et Bargioram vocabant, mediam urbem Ioannes, templum Eleazarus firmaverat. Multitudine et armis Ioannes ac Simo, Eleazarus loco pollebat. sed praelia, dolus, incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Ioannes, missis per speciem sacrificandi qui Eleazarum manumque eius obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret. 13. Evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum. expassae repente delubri fores, et audita

C. 12. *opere* edd. At GMR. *opera*.

quem et Bargioram vocabant] Salinerius huc traxit, coll. Ioseph. B. Iud. I, 2, 23. 4, 7. At in MSS. post *Ioannes* demum leguntur.

C. 13. *expassae* edd. At Ma. *expertae*. Suspicor: *exapertae*, ut Augustin. Conf. II, 10. *Quis exaperit tortuosissimam*

C. 12. *labore* ad magnitudinem murorum, *opere* ad eorundem qualitatem et artem referendum est.

eoque seditiosius agebant a praecedd. diremi. Quae sequuntur, status seditiosi enumerantur documenta.

C. 13. *prodigia, quae . . . fas habet*] Levit. XIX, 26. 31. XX, 6. Ierem. X, 2.

maior humana vox, excedere deos; simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum poterentur. Quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerat: sed volgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta milia fuisse accepimus. arma cunctis qui ferre possent; et plures quam pro numero audebant. obstinatio viris feminisque par; ac si transferre sedes cogerentur, maior vitae metus quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies praeliorum fuit, donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.

14. At Civilis post malam in Treveris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit, tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis adventu secundae et sextae et quartae decumae legionum. cohortesque et

istam nodositatem? Etiam Graecis dicitur ἐξοίγειν, ἐξανοίγειν. Contrarium est *cooperire.* Doed.

praedixerat Ma. ut Ann. XII, 63. *Ea ambage Chalcedonii monstrabantur*, coll. VI, 46. At edd. *praedixerant*, quasi *ambages* pluraliter tantum usurpetur.

excedere deos] Ut Aesch. Theb. 218. *θεοὺς τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.*

antiquis . . litteris] Daniel. 2, 44. coll. Suet. Vesp. 4.

quam pro numero] Fuere obsessi sexcenta millia. Credas quartam aut quintam circiter partem (pro communi ratiocinatione) arma tulisse. At hic aliter fuit: infra aut supra legitimam aetatem, pueri senesque. Lips.

maior metus] Dio C. LXVI, 6. *καὶ ἐδόκει πᾶσι μὲν οὐχ ὅτι ὄλεθρος ἀλλὰ καὶ νίκη καὶ σωτηρία εὐδαιμονία τε εἶναι, ὅτι τῷ ναῷ συναπόλλοιντο.*

C. 14. *in Treveris*] Vid. IV, 78.

alae iam pridem accitae post victoriam properaverant. 70.
Neuter ducum cunctator. sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio humentium. addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa: quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit. 15. Igitur lacessentibus Batavis ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen; deinde orta trepidatio, cum praealtis paludibus arma, equi haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte latera ac terga circumvenientes. neque ut in pedestri acie comminus certabatur, sed tanquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, volnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem implicabantur. Minor tamen quam pro tumultu caedes, quia non ausi egredi paludem Germani in castra redicre. eius praelii eventus utrumque ducem diversis animi motibus ad maturandum summae rei discrimen erexit. Civilis instare fortunae, Cerialis abolere ignominiam. Germani prosperis feroces; Romanos pudor excitaverat. Nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas acta. 16. Postera luce Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet; in secunda acie legiones locatae; dux sibi delectos retinuerat ad improvisa. Civilis haud porrecto agmine sed cuneis astitit. Batavi Gugernique in dextro; laeva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. Exhortatio ducum non more concionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis vete-

C. 15. *cominus minus* Ma. per dittographiam; unde Gronovius *cominus eminus*.

sextae Mercerus coll. IV, 68. V, 16. At MSS. *XVI*.

C. 15. *illic . . nitentes*] Pro *illuc*, ut Ann. XII, 30. *Quia . . illic ingruerant*.

70. rem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut perfidum, ignavum, victum hostem in aeternum exciderent; ultione magis quam praelio opus esse. pauciores nuper cum pluribus certasse, ac tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. superesse qui fugam animis, qui volnera tergo ferant. Proprios inde stimulos legionibus admovebat, domitores Britanniae quartadecumanos appellans; principem Galbam sextae legionis auctoritate factum; illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos. hinc praevectus ad Germanicum exercitum manus tendebat, ut suam ripam, sua castra sanguine hostium reciperarent. Alacrior omnium clamor, quis vel ex longa pace praelii cupido vel fessis bello pacis amor, praemiaque et quies in posterum sperabantur. **17.** Nec Civilis silentem struxit aciem, locum pugnae testem virtutis sciens. stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae, cineres ossaque legionum calcantes. quocunque oculos Romanus intenderet, captivitatem cladem que et dira omnia obversari. ne terrerentur vario Treverici praelii eventu. suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt: sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniae deos in aspectu; quorum numine capesserent pugnam, coniugum, parentum, patriae memores. illum diem aut gloriosissimum inter maiores aut ignominiosum apud posteros fore. Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) appro-

C. 16. *sperabantur* edd. At Ma.B. *sperabatur*, haud scio an vere.

C. 16. *ut perfidum*] Haec ex *exhortatus* pendent, non ex *opus esse;* sed *exhortatus* perinde ac *memorans* ex proximo *exhortatio* assumendum. Quare plenius post *exciderent* distinxi quam Bekkerus. Doed.

quod roboris sit] Ut IV, 76.

proprios, singulis singulos stimulos legionibus.

nova signa] Nam secunda legio erat ex recens conscriptis, IV, 68.

C. 17. *sono armorum*] Vid. Germ. 11.

bata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missili- 70.
bus praelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente, et Germanis ut elicerent lacessentibus. **18.** Absumptis quae iaciuntur et ardescente pugna procursum ab hoste infestius. Immensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant; simul e mole, quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. turbata ibi res et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia praelium aequatur. Inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem, terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa, et Gugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos. duae alae cum perfuga missae incauto hosti circumfunduntur. quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. ne eques quidem institit, repente fusis imbribus et propinqua nocte.

19. Postera die quarta decuma legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa; Cerialis exercitum decuma ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. non tamen ausus oppidum Batavorum armis tueri, raptis quae ferri poterant, ceteris iniecto igni, in insulam concessit, gnarus deesse naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter trans-

ut dicerent] Scil. e solido in paludem.

C. 18. *rettulimus*] Vid. c. 14.

C. 19. *oppidum Batavorum*] De oppido Batavorum exposuit Danvillius in Notitia Galliae antiquae p. 142., eiusque situm in tabula illi libro adiuncta probabiliter indicavit. Falso credidit Waltherus hoc oppidum esse Vetera, ac genitivum *Batavorum* pertinere ad *armis*. Vetera enim in laeva Rheni ripa, Germani autem proximo praelio trans Rhenum pulsi erant, ut apparet ex c. 18. extr. Civilem e dextra Rheni ripa transcendisse in insulam Batavorum patet etiam ex iis, quae paulo post narrantur, *Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus*. Ego cum Lipsio existimo *oppidum Batavorum* inde nominatum esse, quod *extra Batavorum insulam* in aliena terra situm erat. Conf. IV, 12. Ritter.

70. missurum. quin et diruit molem a Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem disiectis quae morabantur effudit. sic velut abacto amne, tenuis alveus insulam inter Germanosque continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Treverorum senatores; in quis fuit Alpinius Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. comitabatur eum frater Decimus Alpinius. Simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant inter gentes periculorum avidas. 20. Tantumque belli superfuit, ut praesidia cohortium, alarum, legionum uno die Civilis quadripartito invaserit, decumam legionem Arenaci, secundam Batavoduri, et Grinnes Vadamque cohortium alarumque castra, ita divisis copiis, ut ipse et Verax sorore eius genitus Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent, nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis aliqua in parte fortunam affore: simul Cerialem neque satis cautum et pluribus nuntiis huc illuc cursantem posse medio intercipi. Quibus obvenerant castra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati egressum militem et caedendis materiis operatum turbavere, occiso praefecto castrorum et quinque primoribus centurionum paucisque militibus: ceteri se munimentis defendere. et interim Germanorum manus Batavoduri rumpere inchoatum pontem nitebantur. ambiguum praelium nox diremit. 21. Plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Classicus oppugnabant. nec sisti poterant interfecto fortissimo quoque; in quis Bri-

C. 20. *uno die* edd. e MS. Agr. At Ma. *modis*. Similis menda Agr. c. 31.

ceteri se munimentis edd. ex R. ut Ann. XIV, 32. *Munimentis defensus est*. At Ma. *ceteris eminentis*.

memoravimus] Vid. III, 35. IV, 31. ubi tamen missus *in Germaniam* dicitur; nempe in cisrhenanam, quae pars est Galliarum.

C. 20. *Arenacum*] Hodie *Arnheim*.

Briganticus praefectus alae ceciderat, quem fidum Romanis et Civili avonculo infensum diximus. Sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna praecipites Germani in amnem aguntur. Civilis dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis relicto equo tranatavit. idem Veracis effugium. Tutorem Classicumque appulsae lintres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnae affuit, ut iussum erat: sed obstitit formido et remiges per alia militiae munia dispersi. sane Cerialis parum temporis ad exsequenda imperia dabat, subitus consiliis, sed eventu clarus. aderat fortuna etiam ubi artes defuissent. hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae. Et paucos post dies, quanquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit. 22. Profectus Novesium Bonnamque ad visenda castra quae hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat, disiecto agmine, incuriosis vigiliis. animadversum id Germanis; et insidias composuere. Electa nox atra nubibus; et prono amne rapti nullo prohibente vallum ineunt. prima caedes astu adiuta: incisis tabernaculorum funibus suismet tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem, iniicere vincla, trahere puppes. utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani volneribus exciti quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. dux semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur. namque praeto-

70.

C. 21. *Veracis* I. Gronov. *Germani* MSS. ex superioribus male repetitum.

C. 22. *ornatu militari* edd. At MSS. *ornati militariter*, ut II, 80. *loqui militariter;* non deterius.

C. 21. *diximus*] Vid. IV, 70.

ut iussum edd. At Ma. *et iussum*, h. e. ac tamen iussum erat; bene, si distinctionem huic lectioni accommodaveris.

et remiges] H. e. quod remiges dispersi erant; vid. in II, 4.

70. riam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiae Sacratae, mulieris Ubiae; vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tanquam iussi silere, ne quietem eius turbarent; ita intermisso signo et vocibus se quoque in somnum lapsos. Multa luce revecti hostes captivis navibus, praetoriam triremem flumine Luppia donum Veledae traxere. 23. Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi. complet quod biremium, quaeque simplici ordine agebantur. adiecta ingens lintrium vis, tricenos quadragenosque, sed armamenta Liburnicis solita * *; et simul captae. Lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur. Spatium velut aequoris electum, quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano affundit. causa instruendae classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperent. Cerialis miraculo magis quam metu direxit classem, numero imparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. His flumen secundum; illi vento agebantur. sic praevecti, tentato levium telorum iactu dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus trans Rhenum concessit. Cerialis insulam

noctem edd. At Ma. *nave*, ex versu superiore repetitum.
Ubiae Lipsius. At MSS. *ubi et.* Suspicor: *Ubiae; et.* Doed.
Luppia Rhenanus. At MSS. *inpia.*
C. 23. *cupido invasi incessit* Ma. rarissimo apud Tacitum glossematis exemplo.

C. 22. *intermisso signo*, buccinae.

C. 23. *simplici ordine*] Scil. remorum remigumque, Graece μονήρεις.

*solita * *] Excidisse puto *portantium*, ut Caes. B. G. V, 23. *Ut nulla navis quae milites portaret desideraretur;* nisi forte hoc ipsum participium cogitatione addendum est, ut *habentes* III, 33. Lintres Batavorum, inquit, capaciores sunt quam Liburnicae, sed similibus instructae armamentis. Doed.

et simul captae] Scil. naves Romanorum; id enim nomen repetendum ex *lintres* et *biremes*. Vulgo *Et simul captae lintres coniungebantur.* Doed.

miraculo] Magis quia mirabatur Civilem hoc audere quam quod timeret. Lips.

Batavorum hostiliter populatus agros villasque Civilis 70.
intactos nota arte ducum sinebat, cum interim flexu autumni et crebris per hiemem imbribus superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. nec classis aut commeatus aderant, castraque in plano sita vi fluminis differebantur. 24. Potuisse tunc opprimi legiones, et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos imputavit Civilis. neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis per occultos nuntios Batavis pacem, Civili veniam ostentans, Veledam propinquosque monebat fortunam belli, tot cladibus adversam, opportuno erga populum Romanum merito mutare. Caesos Treveros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam; neque aliud Civilis amicitia paratum quam volnera, fugas, luctus. exulem eum et extorrem recipientibus oneri; et satis peccavisse quod totiens Rhenum transcenderint. si quid ultra moliantur, inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos fore. 25. Miscebantur minis promissa. et concussa Transrhenanorum fide inter Batavos quoque sermones orti: non prorogandam ultra ruinam, nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli. quid profectum caede et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur? si Vespasiano bellum navaverint — Vespasianum rerum potiri; sin populum Romanum armis vocent, quotam partem generis humani Batavos esse? respicerent Raetos Noricosque et ceterorum onera sociorum: sibi non

nota arte] Sic Archidamus adversus Periclem, Thuc. II, 13. Hannibal adversus Cunctatorem, Liv. XXII, 23.

flexu autumni] Ut Cic. Orat. I, 1. *flexu aetatis*, h. e. vergente aetate.

C. 24. *paratum*] Pro *comparatum*, ut c. 10. *pace parata* G. 30. *Cito parare victoriam*, coll. Ann. II, 44. Agr. 16. exemplo Sallustii Cat. 5. *parare sibi regnum*, et Iug. 35. Ritterus *parta* induxit, quod usitatius sane, non verius.

exulem et extorrem] Vid. Synon. Lat. T. IV. p. 241.

C. 25. *bellum navaverint*] Vid. in IV, 59. Vera apodosis est: *desisterent bello*.

armis vocent] H. e. ad arma provocent.

70. tributa sed virtutem et viros indici. proximum id libertati; et si dominorum electio sit, honestius principes Romanorum quam Germanorum feminas tolerari. Haec volgus; proceres, atrociore Civilis rabie semet in arma trusos; illum domesticis malis excidium gentis opposuisse. tunc infensos Batavis deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. ventum ad extrema; ni resipiscere incipiant et noxii capitis poena paenitentiam fateantur —. 26. Non fefellit Civilem ea inclinatio, et praevenire statuit, super taedium malorum etiam spe vitae, quae plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio scinditur Nabaliae fluminis pons; in cuius abrupta progressi duces, et Civilis ita coepit. „Si apud Vitellii legatum defenderer, neque facto meo venia neque dictis fides debebatur. cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo coepta, a me aucta erant. erga Vespasianum vetus mihi observantia; et cum privatus esset, amici vocabamur. hoc Primo Antonio notum, cuius epistolis ad bellum actus sum, ne Germanicae legiones et Gallica iuventus Alpes transcenderet. Quae Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus praesens monebat, arma in Germania movi, quae Mucianus in Syria, Aponius in Moesia, Flavianus in Pannonia.**"

C. 26. *Vitellii* edd. At Ma. *Vitellium.* Suspicor *Vitellianum.* *actus* Ritterus ex Ma., ut Ann. XIV, 31. *Avaritia in bellum egerat.* Reliqui *accitus;* minus apte quam si exhiberent *ascitus.*

atrociore] Comparativus non habet quo referatur. Suspicor cum Oberlino: *Proceres atrociora: Civilis rabie.*

C. 26. *Nabaliae fluminis*] Nusquam alibi memorati.

et cum privatus] Sidon. Ep. IV, 14. *C. Tacitus e maioribus tuis sub verbis cuiusdam Germanici ducis in historia sua rettulit: Cum Vespasiano mihi vetus amicitia, et dum privatus esset amici vocabamur.*

quae monebat, scil. *movere.*

Flavianus] Ampius, Pannoniae praefectus; II, 86. III, 4. 10.

HALIS, TYPIS ORPHANOTROPHEI.

C. CORNELII TACITI

DE SITU

MORIBUS ET POPULIS GERMANIAE

LIBELLUS.

C. CORNELII TACITI

DE SITU

MORIBUS ET POPULIS GERMANIAE

LIBELLUS.

1. **Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in oc-**

C. 1. *Abnobae* Hermolaus Barbarus, ut Avien. Descr. orb. 437. *Abnoba mons Istro pater est; cadit Abnobae hiatu flumen.* Plin. H. N. IV, 24. Inscr. in Corp. Inscr. Latt. n. 1986. ed. Orell. Hodie *Schwarzwald.* At MSS. *Arnobae* vel *Arbonae.*

C. 1. *sinus*] Ambigitur maritimi sinus significentur, ut Balticus, an extrema terrarum, et peninsulae, ut c. 37. Cimbrorum *sinus*, coll. c. 29. Agr. 30. Hist. IV, 5. Hoc probo; nam maritimos quidem sinus *complecti* oceanus parum recte diceretur, qui et pars ipsius sunt et terrarum potius quam maris complexu tenentur. Porro cum describatur ingens *terrarum* Germanicarum ambitus, nihil huc facit *κόλπων* mentio.

nuper cognitis] Per Drusi Germanici bella. Strab. VII. p. 291. *ἐχειρώσατο δ' οὐ μόνον τῶν ἐθνῶν τὰ πλεῖστα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν παράπλῳ νήσους.* Plin. H. N. II, 105. *Nam et in Germania insulas non pridem compertas cognitum habeo.* Et c. 67. *Auspiciis Divi Augusti Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium;* coll. Suet. Cl. 1. Tac. Ann. II, 8. Ex Coler. Ergo *nuper* longius spatium designat opponiturque rebus antiquis. Cic. N. D. II, 50. *Quid ea quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingeniis reperta sunt?* Walth.

modico flexu] Alii ad Brigantiam, alii ad Arenacum (*Arnheim*) hunc flexum referunt. Illud verum puto. Mirum enim si hanc tam apertam cursus immutationem omisisset, leniorem illam apud Arenacum commemorasset. At de novo apud Basileam flexu siletur; is, quoniam Rhenus septentrionali oceano mi-

cidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danubius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum enim os paludibus hauritur.

2. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus

sceri narratur, sponte intelligitur. DOED.

molli] Ad *naturam soli* referendum oppos. *saxoso*, ut Curt. VIII, 9, 7. *Saxis quoque impeditus crebro reverberatur; ubi mollius solum reperit, stagnat*, coll. V, 3, 2. Liv. XXI, 37. *Inde ad planum descensum, etiam locis mollioribus et accolarum ingeniis.* Caes. B. G. V, 9. Plin. H. N. VI, 18, 22. Virg. G. II, 384. *mollibus in pratis*, ut Hom. Od. IX, 133. λειμῶνες μαλακοί. Contra *clementer edito* ad *figuram montis* pertinet, oppos. *arduo*, *praecipiti.* Igitur errant, qui *molli* et *clementer edito* synonymice coniuncta esse putant, ut ap. Colum. II, 2, 11. *Collem clementer et molliter assurgentem*, quanquam saepius eodem sensu etiam *mollis clivus* dicatur, ut Virg. Ecl. IX, 8. *Mollique iugo demittere clivo*, coll. Curt. VIII, 11, 5. Quintil. XII, 10, 78. DOED.

septimum enim] Plene: Septimum enim os vel brachium saltem, quod Danubio esse constat, numerare omitto, quia non erumpit, sed hauritur.

C. 2. *adventibus*] Eorum qui irrumpunt in alienas nationes et armata manu novas sedes capiunt ac tuentur, ut ἔποικοι; *hospitiis* autem eorum qui voluntate incolarum recipiuntur, ut μέτοικοι. DOED.

immensus ultra . . Oceanus] H. e. *ulterior*, ut Agr. 25. *Universae ultra gentes.*

adversus] Quasi vestigiis nostris oppositus, ut antipodes. Et quoniam descriptio illa poeticum quiddam sapere videbatur, addit *utque sic dixerim*. Cic. Somn. 6. *Vides hos qui incolunt terram non modo interruptam ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos partim aversos partim etiam adversos stare vobis.* Et paulo post: *Duo sunt habitabiles; quorum australis ille (in quo qui insistunt adversa nobis urgent vestigia) nihil ad vestrum genus.* PICHENA. Addit Orellius Cic. Acad. pr. II, 39. *Dicitis etiam esse e regione nobis e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia quos antipodas vocatis;* et Gerlachius Plin. H. N. II, 68. *Hunc qui septentrio vocatur eumque qui adversus illi austrinus appellatur.* Et X, 6. *Vultures ex adverso orbe volare.* Contra Acidalius *aversus* induxit, quem secutus Thierschius coniecit: *aversus ab orbe nostro oceanus raris navibus aditur*, coll. Virg. Ecl. I, 67. *Penitus toto divisos orbe Britannos.* Anthol. Lat. II, 86. *No-*

aditur. quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuisconem deum terra editum et filium Mannum originem gentis conditoresque. Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Hermiones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, plures deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant, eaque vera et antiqua nomina, ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper ad-

stro quae procul orbe iacet, et ibid. 90. *Nostro semota exclusaque coelo.*

cultu] H. e. ad incolendum, non, ad colendos agros. Cic. N. D. II, 66. *Homines qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt;* coll. Liv. XXIV, 49. Plaut. Pseud. I, 2, 68.

nisi si patria sit] Attende ad nonnullam scriptoris ἀκυρολογίαν: nam cui patria Germania est, is quidem *incolere* eam, non autem Asia aut Africa aut Italia relicta *petere*, dici recte potest. Ritter. Nempe suppressa est sententia: *vel quis denique toleraret.*

Tuisconem] Vid. Grimm. D. Mythol. p. XXIX.

originem .. conditoresque] Haec pro praedicato Tuisconis et Manni sunt, non pro appositione; supple *esse* ut Plin. H. N. XXXIII, 2. *Ex eo se ordine profectum celebrans.* Nec enim quaeritur hoc loco, quos Germani sermones celebrare soleant, sed quam originem sui prae se ferant. Quare comma sustuli post *Mannum.* Doed.

ceterum .. vocarentur] Sensus loci conclamati hic est: Germaniae vocabulum quam hodie intelligimus recens est; nam olim ii tantum qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt ac nunc Tungri vocantur, Germani appellabantur. Eorum nomen cum *nationi* uni proprium ac non universae *genti* commune esset, tamen paulatim invaluit et in Marsos quoque, Gambrivios, Suevos, Vandalios, alios transiit. Quae res ita evenit: primum victores Gallorum Germani seu Tungri ceteris gentis suae nationibus trans Rhenum relictis falso nomen Germanorum indiderunt apud Gallos victos, *ob metum* scil. *faciendum*, vel ad augendum nominis sui terrorem, tanquam ipsi ingentis populi pars tantummodo essent, et Transrhenanos a tergo relictos non consanguineos tantum, sed etiam populares haberent; deinde Transrhenani inventum vel novum nomen Germanorum et ipsi asciverunt; credo quia nomen tam clarae victoriis nationis et consanguineae nequaquam pudori sibi esse rebantur. Similiter *ob* pro *ad* positum Ann. I, 79. *Ob moderandas Tiberis exundationes.* Praeterea distinctionem mutavi pun-

ditum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur. 3. Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in praelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem baritum vocant, ac-

C. 2. *ac nunc Tungri*, scil. *vocentur*. At MS. P. *ut nunc*.

ctum post *nomina* delendo; nam *ceterum* idem est quod *sed*, *contra*, ut Ann. XIV, 20. Hist. III, 8 et 66. DOED.

gentis .. nationis] Nempe gens ut saepe *partem* singularis nationis et complexum familiarum, ita h. l. *corpus* complurium nationum consanguinearum significat, ut cap. 38. et Vell. II, 98. *Omnibus eiusdem gentis nationibus in arma accensis*. Vid. Synon. Lat. T. V. p. 96.

ut omnes] Scil. nationes Tungris consanguineae.

C. 3. *memorant*] Scil. scriptores Graeci Romanive, non ipsi Germani, quoniam *apud eos* scripsit, non *apud se*. Mox mutat subiectum; *canunt* scil. ipsi.

Sunt illis .. carmina] Cavet hac digressione scriptor, ne quis legentium illa in Herculem virosque fortes carmina eadem esse putet atque ea, quae *baritus* nomine Romanis innotuerint. Illa enim antequam in proelia proficiscerentur cantari solebant, ad implorandam heroum opem, uti fere hymni Homerici, inter sacrificia, opinor, et bardorum voce, si tamen usi sunt Germani eiusmodi cantoribus perinde atque Galli, de quibus Ammian. Marc. XV, 9. *Et bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt;* coll. Fest. v. *bardus*. Ann. II, 88. Eginhard. V. Car. M. 20. Et his quidem carminibus *barditus* nomen esse sane potuit, quamvis nusquam memoratum. Contra *baritus* in ipsa acie cantabatur, ad accendendos animos, ut ἐμβατήρια Tyrtaei, et ab universis bellatoribus; qualis Hist. IV, 18. memoratur: *Ut virorum cantu*, *feminarum ululatu sonuit acies* (coll. II, 22.), et *fremitus* vocabulo Agr. 33. de Caledoniae incolis, qui Germanicae essent originis, ibid. 11. Denique *haec*, non *ea carmina* scripsit, ut de re paene in conspectu posita, ut c. 20. *In haec corpora quae miramur excrescunt;* nam *baritum* plurimi Romanorum audiverant fandoque celebrabant; illae autem heroum laudes vel *barditus* multo ignotiores erant. Quare *baritum* ex T. ascivi, coll. Ammian. Marc. XXVI, 7. *Pro terrifico fremitu*, *quem barbari dicunt baritum*, *nuncupatum imperatorem*. Idem vocabulum Vegetii aetate assumpserant Romani ad Romani militis clamorem bellicum significandum: vid. Veget. III, 18. At Tacito quidem barbarum adhuc et peregrinum sonabat. Atqui radix vocabuli Latino et Graeco et Germanico sermoni communis est, *baren* i. e. fremere, verbum hodieque Batavis usitatum, et nomen *bar* i. e. carmen, Sachsio adhuc poetae frequens. Hinc

tendunt animos. futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur; terrent enim trepidantve, prout sonuit acies; nec tam voces illae quam virtutis concentus videtur. affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monimentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare. quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. **4.** Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram

C. 3. *futuraeque .. augurantur*] Haec puncto a praec. diremi, ne cumularentur ablativi *relatu* et *ipso cantu*. Doed.

voces illae] Concinnitati consulitur Rhenani emendatione: *nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur;* sive mavis: *nec tam vocis illi quam virtutis concentus videntur.* Et exhibet *ille* Turicensis.

barrire, *barritus* de elephantorum clamore; hinc *calabarriunculi* Laberio vocati, *calatores barrientes*, ut opinor; hinc *ἀβήρει. ᾄδει* et *ἀβήρουσιν. ᾄδουσιν* apud Hesychium et Phavorinum. At reliqui MSS. *barditum* exhibent. Doed.

fractum murmur] Idem fere quod *fragor*, vel *fremitus* Caledoniam incolentium, Agr. 33.

fabuloso] Fabulis pleno, ut Hor. C. I, 22, 7. *Fabulosus Hydaspes.*

Asciburgiumque] Hist. IV, 33. hodie *Asburg*. In P. est *Astiburgiumque* suprascr. c.

Ulixi] I. e. ab Ulixe consecratam, ut Suet. Aug. 1. *Ara Octavio consecrata.* Ann. XV, 41. *Aedes Statoris Iovis vota Romulo.* Ern. Vid. in Ann. II, 7. *Aram Druso sitam.*

demat .. fidem] Non: credendo vel haud credendo; hoc enim diceretur *neget vel tribuat fidem*, id quod legentium est; sed: amplius confirmando vel refellendo; quod munus est historicorum. Ergo se quidem nihil hic aliud sequi ait, quam Germaniae *descriptionem;* sed accuratiorem antiquitatis Germanicae *indagationem* aliis se relinquere. Doed.

C. 4. *nullis aliis aliarum*] Geminata est vox *alios* ex more prisco orationem *πολυπτώτοις* or-

et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus, truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove assueverunt.

5. Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. ne

nandi, etiamsi alterum redundet. Hom. Il. VII, 39. *οἰόθεν οἶος*, 97. *αἰνόθεν αἰνῶς.* Soph. Tr. 613. *θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι.* Plat. Phaedr. p. 278. A. *ἔπειτα εἴ τινες τούτου ἔκγονοί τε καὶ ἀδελφοὶ ἅμα ἐν ἄλλαισιν ἄλλων ψυχαῖς κατ᾽ ἀξίαν ἐφάνησαν.* Ipse Tacitus Dial. 30. *Ut omnem omnium artium varietatem complecteretur*, et similius etiam c. 10. *Poesin .. anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo.* Doed.

eadem patientia] Neutrum adiectivi et plurale est, ut Virg. A. IX, 607. *Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus;* Hist. V, 6. *Corpora hominum salubria et ferentia laborum;* non substantivum; ideoque *eadem* non *parem* significat, sed ut saepe, *simul.* Quare punctum sustuli post *valida.* Doed.

C. 5. *in universum*] Aestimanti, ut c. 6. Agr. 11.

humidior .. ventosior] Sensus est: Germania humida et ventosa in universum est; humidior tamen qua Gallias, ventosior qua Noricum aspicit. Walth. Nam synonymae sunt notiones silvis horrida et ventosa; quandoquidem *montes* (sive saltus silvaeque) *causa ac materia tempestatum* sunt, Agr. 10.

satis ferax] Dativus est *satis* ut Virg. Ecl. III, 82. *Dulce satis humor*, coll. G. I, 325. Aen. II, 306. *Sata laeta boumque labores*, coll. Hist. V, 7. Idem poeta structuram adi. *ferax* praeiverat G. II, 222. *Ferax oleo.* Plin. Ep. IV, 5. *Ferax bonis artibus.* Idem significatur quod Agr. 11. *Frugum fecunda*, opp. arboretis, et Sallust. Iug. 17. *Ager frugum fertilis .. arbori infecundus.* Aliis *satis* pro adverbio habetur coll. Hist. II, 80.

arborum impatiens] Ergo *rarae* fuere, non *nullae* in Germania; sicut ipse Tacitus c. 10. *virgam frugiferae arbori decisam* et c. 23. *poma agrestia* commemorat.

improcera] Per antiptosin pro *improcerorum* paulo audacius quam Ann. XIV, 16. *Species carminum .. non uno ore fluens.* Sin corruptum sit, speciose emendaverit Schneidewinus: *sed plerumque in improcera*, coll. Iustin. XLIV, 1. *Hispania in omnia genera frugum fecunda est.* Sil. It. XI, 498. *Fecundum in fraudes hominum genus.*

armentis quidem suus honor aut gloria frontis. numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubito. nec tamen affirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde afficiuntur. est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur; quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus. 6. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur;

suus honor] Ad *oculos* tauris proprios referendum est, torvos illos et truces, unde ταυρηδὸν βλέπειν et Iuno βοῶπις. Nam oculus *frontis honor* dicitur Sil. It. IV, 757. *Non frontis parcit honori* scil. Hannibal. Stat. Silv. I, 2, 113. *Celsae procul aspice frontis honores.* Nec aliud significat Plin. Pan. 4, 7. *Iam firmitas, iam proceritas, iam honor capitis et dignitas oris.* Et Plin. H. N. VII, 10. *Pompeio Vibius quidam et Publicius indiscreta prope specie fuere similes, illud os probum reddentes ipsumque honorem eximiae frontis.* Porro *gloria frontis* ad *cornua* videtur spectare, quae minora et informius curvata fuerint quam Italicorum boum. Caes. B. Gall. IV, 2. *Armenta quae sunt apud eos* (Germanos) *nata, prava atque deformia.* Dord.

dubito] Nempe Tacitus ipse tunc ignorabat ea quae Ann. XI, 20. de agro Mattiaco scripsit.

haud perinde] Scil. atque alii, ut Agr. 10. c. 34. H. II, 84. IV, 62.

vilitate] Expectaverit aliquis potius *caritate* vel *pretio*, sed scriptor *non in alia* tanquam una voce usus pro *pari* posuit. Ritter.

proximi] Scil. nobis vel ripae, Rheni Danubiique, ut plene c. 17. et 23.

serratos] Denarios, quorum exterior ora in serrae modum est incisa. Eckhel. D. Num. Prolegg. ad num. fam. §. 16. — *bigatosque*] Plin. H. N. XXXIII. 3, 13. *Nota argenti fuere bigae atque quadrigae, et inde bigati quadrigatique dicti.* Add. Liv. XXXIII, 15.

C. 6. *rari .. lanceis utuntur*] Mirum quod hic *rarum* id telum facit. At idem Ann. I, 64. de

hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti praeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum,

C. 6. *immensum* Trossius ex P. ut Ann. III, 52. *Qui immensum proruperat*, coll. IV, 40. VI, 37. At reliqui MSS. *in immensum*.

coniuncto] Alii MSS. et P. *cuncto*.

Cheruscis: *Hastae ingentes ad vulnera quamvis procul facienda;* et 11, 14. universe de Germanis: *Immensa barbarorum scuta, enormes hastas;* coll. c. 21. Hist. V, 18. Nusquam de istis brevibus, quas frameas vocat. Lips. Vid. U. Beckeri Exc. p. 43.

missilia] Tam saxa glandesque quam hastas: vid. Hist. V, 17. — *spargunt* ex Virg. Aen. XI, 650. XII, 50. Ex Bach.

in immensum vibrant] Idcirco Virg. A. VII, 741. de civibus Abellae Campanicae: *Teutonico ritu soliti torquere cateias.* Doed.

nudi] H. e. tunicati ac non loricati, ut Virg. G. I, 299. *Nudus ara, sere nudus.* Non alio sensu Hist. II, 22. *Cohortes Germanorum . . more patrio nudis corporibus;* coll. Caes. B. Gall. IV, 1. VI, 21. Dio C. XXXVIII, 45. Vid. Burmann. in Petron. Sat. 92. Quodsi inverecunde nudi fuissent, eum morem non omisisset humanitas scriptorum Romanorum quin ut incredibilem feritatem demirarentur et perstringerent. Nunc ad exemplum Graecorum γυμνῶν, γυμνήτων *nudos* dixit in comparationem peditis Romani, nullo ambiguitatis metu. Neque usquam in monumentis Romanorum ut in columna Antonini plane nudi repraesentantur Germani. — *sagulo leves*] H. e. levi sagulo tecti; vid. H. IV, 60. Et I, 79. *Romanus miles facilis lorica.* Ann. I, 64. *Corpora gravia loricis.*

cassis de lamina est, *galea* de corio. Isidor. Origg. XVIII. 14.

in rectum . . posterior sit] Describitur condocefaciendorum equorum ratio, nimis illa simplex, ut intelligatur quare velocitate non conspicui sint.

apta . . velocitate] Vid. Caes. B. Civ. III, 84. *Ut . . adolescentes et expeditos ex antesignanis electos milites ad pernicitatem,*

quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt; idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora suorum etiam in dubiis praeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt. 7. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas; et duces, exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum; non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt; effigiesque et signa quaedam detracta lucis in praelium ferunt. quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus

armis inter equites proeliari iuberet.

idque ipsum] Scil. vocabulum. Vid. in H. IV, 28.

C. 7. *exemplo . . imperio*] Scil. *sumpti*, quod ex *sumunt* repetendum. Dativi sunt.

effigiesque . . quaedam] Non deorum, quas habebant nullas, sed *ferorum imagines* memoratas Hist. IV, 22.

sed familiae] Ut Nestor suadet Hom. Il. II, 363. *κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας Ἀγάμεμνον, ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.*

in proximo pignora] Subiectum efficiunt, *fortitudinis incitamentum* in praedicati locum huc repetendum. Quare punctum sustuli post *propinquitates*. De re Hist. IV, 18. Caes. B. G. I, 51.

audiri] Aut addendum est *solet*, aut supplendum ad similitudinem infinitivi historici. Geminus locus est Agr. 34. *Quomodo .. animal ruere*, ac similis Ann. VI, 19. *Custodes . . corpora putrefacta assectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia .. non cremare quisquam, non attingere*. Quodsi intolerabilis esset talis infinitivus, tamen mallem *audires* scribere quam cum Rittero glossam odorari. De re vid. Hist. IV, 18. Caes. B. Gall. I, 51. Doed.

infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores: ad matres, ad coniuges volnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent. cibosque et hortamina pugnantibus gestant. 8. Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas, constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa negligunt. vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam. sed et olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione nec tanquam facerent deas.

9. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Her-

numerare] Cum gaudio, tanquam virtutis documenta; *aut exigere,* si desint requirere, cum incolumitatis exprobratione, tanquam debeantur virtuti vulnera. Ita fere Lipsius. Aliter Gronovius: „*exigere* ut *sarta tecta* „*exigere*, *ad summam veritatem ius exigere*. Quasi taxare „et plus aut minus in illis vir„tutis agnoscere. Vid. Obss. I, „8.“ Alii *exsugere* ex MS. Arund., coll. Hom. Il. IV, 218. *αἷμ' ἐκμυζήσας*.

proditur] Caes. B. G. I, 51. *Passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.* Plutarch. Mar. 19. 27.

obiectu pectorum] Intellige ipsas pectora fugientibus suis obiicere, ut retineant et se potius occidi iubeant. Walth.

puellae] Suet. Oct. 21. *Ut a quibusdam novum genus obsidum feminas exigere tentaverit, quod negligere marium pignora sentiebat.*

nec . . aspernantur] Exemplo est Ariovistus ap. Caes. B. Gall. I, 50.

Veledam] Vid. Hist. IV, 61. 65. V, 22, 24. Eam captivam et in triumpho postea ductam esse colligas ex Stat. Silv. I, 4, 89. *Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem Captivaeque preces Veledae.* Lips. Ideo fortasse *vidimus.*

Auriniam] Nihil de ea aliunde notum.

tanquam facerent] Sicut nos Romani, qui senatus consulto et humano consilio principibus defunctis *ἀποθέωσιν* decernimus.

C. 9. *Mercurium*] Paul. Diac. I, 9. *Wodan sane, quem adiecta littera Gwodan dixerunt, ipse est qui apud Romanos Mercurius dicitur et ab universis Germaniae gentibus ut deus advocatur.* I. Grimm. D. Myth. p. 85. 94.

culem ac Martem concessis animalibus placant. Pars Suevorum et Isidi sacrificat: unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine caelestium arbitrantur; lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident. 10. Auspicia sortesque ut qui maxime observant. sortium consuetudo simplex. virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum

concessis] Scil. naturae et humanitatis legibus. Ut Ann. XIV, 21. *Aures studiis honestis et voluptatibus concessis impartiri.* Opponuntur *humanis* hostiis, quas litare contra naturam et illicitum est. Secus I. Grimm. D. Mythol. p. 27. „mit dazu geeigneten (Hist. V, 4.) und nur solche Thiere eigneten sich, deren Fleisch von den Menschen gegessen werden konnte.“ De re discrepat Iornandes c. 5. de Gothis: *Martem semper asperrima placavere cultura; nam victimae eius mortes erant captorum.*

sola reverentia] I. e. solo animo reverentia affecto nullis corporis oculis. H. II, 78. *nec simulacrum deo* (Carmelo) *aut templum situm tradidere maiores; aram tantum et reverentiam.* Et V, 5. *Mente sola unumque numen intelligunt.* Non male verteris *Andacht.*

C. 10. *notis quibusdam*] Prohibentibus partem, partem permittentibus.

si .. consuletur] H. e. ἐὰν συμβουλεύηται. Vid. Naegelsbach. in Hom. Il. p. 245.

ter singulos] Ut Delia ap. Tibull. I, 3. 11. *Illa sacras pueri sortes ter sustulit.* Caes. B. G. I, 53. „Nihil aliud est quam tres surculos tollit, non simul quidem sed unum post alterum; unde quadruplex augurium venire poterat. Nam aut omnes vel aiebant vel prohibebant; aut duos aientes unum prohibentem, aut denique unum aientem duos prohibentes tollebat.“ ORELL. Saxo Gramm. XIV. p. 288. de Rugiis: *Tribus ligni particulis, parte altera albis altera nigris, in gremium sortium loco coniectis candidis prospera, furvis adversa signabant.* Et *coelum* quidem *suspiciens* non tam reverentia quam ne eligere surculos possit.

auspiciorum] Sensus est: post

adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare; proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur isdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes: se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

11. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt. nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non si-

C. 11. *sed* prius omitt. H. S.

sortes auspicia adhuc requiruntur tanquam magis fida quam sortes.

etiam hic] Ut apud nos ac Romae.

pressos curru] Ovid. Met. I, 124. *Pressique iugo gemuere iuvenci;* coll. XII, 77.

conscios] Scil. deorum. Similiter Tibull. I, 9, 3. *Conscia fibra deorum.* Ern.

C. 11. *pertractentur*] Scil. antequam plebiscito decernuntur. Idem fuit mos qui in senatusconsultis, apud Athenienses in προβουλεύμασι. Muretus *praetractentur* commendavit, compositum nusquam alibi lectum.

auspicatissimum] Optimis auspiciis factum. Quintil. X, 1. *auspicatissimum exordium.* Plin. Ep. X, 48.

ducere diem] Caes. B. G. VI, 18. de Gallis: *Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Ideo in Leg. Salic. Tit. XLVIII. *Inter*

mul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. honoratissimum assensus genus est armis laudare. 12. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. distinctio poenarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in isdem conciliis et principes, qui iura per pa-

C. 11. *vel princeps*] Suspicor cum Perizonio *vel principes,* ob seq. *ut cuique.* EXCC. ap. Tross.

C. 12. *poena* Acidal. At MSS. *poenarum*, dittographia suffixi.

decem noctes. Hinc etiamnunc valent *Weihnacht*, *Fastnacht.*

ut iussi] Nam *Germani non iubentur*, *non reguntur*, *sed cuncta ex libidine agunt*: Hist. IV, 76.

Ut turbae placuit] Nullo ordine, non tribubus, non gentibus, non familiis discreti; contra quam in plurimarum nationum concionibus et in ipsorum adeo Germanorum proeliis usitatum erat; vid. c. 7. Eo ipsum *turbae* h. e. multitudinis inordinatae, electum vocabulum ducit. Vulgo explicant: Penes multitudinem est decernere quando initium fiat deliberandi, non ut Romae vel in Graecia penes magistratus, qui voce praeconis silentium poscunt. Gronovius *ut turba placuit*, h. e. postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt; coll. Vell. Pat. II, 112. *Ita placebat barbaris numerus suus*, *ut .. nihil in se spei reponerent.* DOED.

ignavos, qui ex proeliis fugiunt; *imbelles*, qui militiam detrectant; *corpores infames*, impudicos ut Ann. I, 73.

C. 12. *scelera . . flagitia*] Vid. Synon. Lat. T. II. p. 145.

principes qui . . reddunt]

gos vicosque reddunt. centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, assunt.

13. Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquus scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adulescentulis assignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur. nec rubor inter comites aspici. gradus quin etiam ipse comitatus habet iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum glo-

Caes. B. G. VI, 23. *In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt.* Grimm. Rechtsalterth. p. 752.

et auctoritas] Ne iudicium penes unum et quasi dominum esse credatur.

C. 13. *probaverit*] Praegnanter pro *probando declaraverit*, ut Ann. I, 58. *Quia Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam bellum probabam.*

toga, virilis.

ceteris . . assignantur] Sensus est: Nobilissimorum filii etiamsi iam adolescentuli dignationem principis habent, vim tamen ac munus principis non habent, sed plebeiis aggregati alium sequuntur, qui reapse princeps est et comitatum habet. Simillime Hist. I, 52. *Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Caesaris et imponere iampridem imperatoris dignationem et auferre privati securitatem.* Id non magis pudori fuit quam cum hodie regum filioli militant et salva generis fortunaeque dignitate tribunis parent, ut artem bellicam discant. Hoc unum illi privilegii habent, ut iam adolescentuli ac maturius ceteris in comitatum asciscantur et tirones veteranis comitum aggregentur et paulo reverentius habeantur. Quodsi hac ratione *dignationem principis* distinctam putaveris ab ipso *principatu*, non opus erit Lipsii emendatione *ceteri;* h. e. „Pauci statim ab accepto scuto principes fiunt; plurimi inter comites asciscuntur.“ Nec profecto credibile *adolescentulos*, h. e. pueros sedecim fere annorum, vere principes fuisse et comitatum duxisse. Doed.

Haec dignitas] Ita haec distinxi, ut *circumdari* esset pro subiecto, *dignitas* et *vires* pro

globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant. 14. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare. iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum nonnisi vi belloque tueare. exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. nam epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et raptus. Nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et volnera mereri. pigrum quin immo et iners videtur sudore acquirere quod possis sanguine parare.

praedicato, *decus* et *praesidium* pro appositione praedicati.

comitatus genitivus est; *emineat* ad singularem *cuique* refertur.

C. 14. *iam vero* ad graviora transeunti inservit, ut *und vollends gar*, ut Hist. I, 2. At in P. est *Iam viro*.

defendere, tueri] Vid. Synon. Lat. T. IV. p. 306.

bellatorem equum] Ex Virg. G. II, 145. *Hinc bellator equus campo sese arduus infert*, vel Ovid. Fast. II, 12.

Nam epulae] Nexus est: Dona extraordinaria et praemia non sperant sed exigunt a ducibus, solis epulis non contenti; nam eas stipendii vel ordinariae mercedis loco habent, non praemii ac liberalitatis.

apparatus nominativo casu, non genitivo intelligendum. Differt aliquando ab epulis. Nam *epulae* ad exceptionem hospitum refertur, *apparatus* ad sumptus excipientis.

vocare] H. e. provocare, ut H. IV, 80. ex Virg. G. IV, 76.

15. Quotiens bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque; fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens; delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia. ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque. iam et pecuniam accipere docuimus.

16. Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes.

C. 15. *multum venatibus* Lipsius, coll. Caes. B. G. VI, 21. *Vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei bellicae consumitur*. Et IV, 1. de Suevis: *Multum sunt in venationibus*. At MSS. *non multum venationibus*, negatione perperam repetita, ut Agr. 44.

C. 15. *ipsi hebent*] Haec omnia non de universa Germanorum gente intelligenda sunt sed de iis solis, qui in comitatum principis asciti erant. Monet Barthius *Urgesch*. T. IV. p. 117. Porro videndum, ne tam severo Taciti hominis Romani iudicio nimio plus credamus. Id quod Tacito assiduitati negotiorum publicorum assueto *torpor hebetis inertiae* haberetur, nihil aliud fuisse quam *θείαν τινὰ σχολὴν* maiorum nostrorum, qui pace nullis forensibus publicisve curis distenti et irritati tantum temporis domi inter pignora tererent, quantum Romani foris et rem strenue augentes vel negotiis illigati insumerent, cum damno domesticae commorationis et tenerioris affectus. Vid. Gerlach. p. 113. Simili consilio Gronovius comparaverat Aelian. V. H. X, 14. *Σωκράτης ἔλεγεν ὅτι ἡ ἀργία ἀδελφὴ τῆς ἐλευθερίας ἐστί, καὶ μαρτύριον ἔλεγεν ἀνδρειοτάτους καὶ ἐλευθεριωτάτους Ἰνδοὺς καὶ Πέρσας, ἀμφοτέρους δὲ πρὸς χρηματισμὸν ἀργοτάτους εἶναι.* Et Plutarch. Lyc. 24.

armentorum vel frugum] Partitivi sunt genitivi ut Varr. R. R. III, 16. *Suffumigandum et prope apponendum bene olentium herbarum, maxime apiastrum et thymum*. — *pro honore acceptum*] Non pro debito tributo; sicut *γέρας*.

pecuniam accipere] Vid. Hist. IV, 76.

C. 16. *Nullas .. urbes*] Nam Mattium et si quae alia nominantur, *oppida* fuere, non *urbes*. Vid. Barth. *Urgesch*. T. IV. p. 52. Fuerint autem illa oppida, qualia Britannorum: Caes. B. Gall. V, 21. *Oppidum autem Britanni*

colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive inscitia aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt, et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

17. Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter; ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus, eli-

vocant, quum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt, quo incursionis hostium vitandae causa convenire consueverunt.

specus aperire] Facere aperienda humo.

hiemi] I. e. adversus hiemem. Vid. in Agr. 30.

quia . . locis molliunt] Non concinunt haec, sive ad proxima *receptaculum frugibus* refertur *quia,* sive ad superiora *fimo onerant.* Diversa utique coniunctione opus erat, aut *et molliunt* aut *ut molliant.* Suspicor cum Acidalio: *quia rigorem frigorum eiusmodi loci molliunt.* Porro punctum delevi ante *et si.* Doed.

fallunt] Latent, ut Hor. C. III, 14, 19. *Spartacum si qua potuit vagantem fallere testa.*

C. 17. *spina consertum*] Ut Virg. A. III, 594. *Consertum tegumen spinis*, coll. Ovid. Met. XIV, 166.

exquisitius . . eligunt] Haec coniunxi, adhuc puncto dirempta. Sensus est: proximi negligenter pelles gerunt promiscue sumptas de quibuslibet feris, nec amplius decoratas; at ulteriores, quibus hoc unum comendi genus notum est, diligentiores sunt in eligendis feris. Cic. Brut. 93. *Nemo erat qui videretur exquisitius quam vulgus hominum studuisse litteris*, h. e. diligentius. Doed.

gunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet. 18. Quanquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier

maculis pellibusque] Per ἓν διὰ δυοῖν, ne genitivi concurrant. Cf. Lobeck. in Aiac. 846.

lineis amictibus] Plin. H. N. XIX, 2. *Iam quidem et transrhenani hostes* (lino vela texunt); *nec pulcriorem aliam vestem eorum feminae novere.*

purpura variant] Non tingendo; sed purpureo vestem candidam limbo circumdant. Catull. LXIV, 50. *Vestis priscis hominum variata figuris.*

superioris per enallagen ad genitivum relatum est, cum ad *partem* potius pertineat. Doed.

C. 18. *ambiuntur*] H. e. se circumdant tanquam ornatu et per affinitates etiam praesidio; ut Ann. I, 68. *Ut vallum armis ambirent.* XV, 43. *Ut propriis domus muris ambiretur.* Et *nuptiae* pro *nuptis*, uxoribus ut *matrimonia* Ann. II, 13. Hist. I, 22. Haec simplicissima ratio est. Alii per brachylogiam explicant; non libidine plurimas nuptias ambiunt sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ultro ambiuntur; coll. Thucyd. VI, 79. καὶ τοῖς γε Ἀθηναίοις βοηθεῖν, ὅταν ὑπ' ἄλλων (scil. ἀδικῶνται) καὶ μὴ ὥσπερ νῦν τοὺς πέλας ἀδικῶσιν. Doed.

munera non commate solo a praecc. diremi, ut appositio esset. Ne enunciatio separata habeatur, obstat accusativus *frenatum equum*. Doed. Praestat *munera* secludi temere repetitum.

arcana sacra] Confarreationem Romanorum respicit, ut in qua plurimi ritus symbolici et obscurae arcanaeque significationis. Comparat simplicitatem nuptialium apud Germanos rituum, profanam specie, effectu autem validissimam ad tuendam

extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram ausuramque. hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursus, quae ad nepotes referantur. 19. Ergo saeptae pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum poena praesens et mari-

C. 18. *ac digna*] Suspectum est *digna* absolute pro sanctis honestisque usurpatum. Suspicor cum Thierschio: *quae liberis inviolata reddat, ac digna quae nurus accipiant.*

rursusque] *rursus*, *quae* ex MSS. revocavi. Acceperat materfamilias illa dona a marito, eademque filio tradit, cuius ex manu rursus accipiat nurus, quanquam annis et squalore interim obsita. Comparat tacite huius moris simplicitatem cum Romanorum circa nuptialia dona luxuriam.

C. 19. *saepta pudicitia*] *saeptae pudicitia* Passovius ex MS. Arund. Emphaticum *pudicitia* est opponiturque custodibus, eunuchis, claustris, turribus aheneis, quibus alibi mulieres saepiri solent. Liv. III, 44. *Postquam omnia pudore saepta animadverterat.*

coniugii sanctitatem, cum operosis illis et sanctissimis Romanorum caerimoniis et auspiciis et coniugalium deorum invocationibus, quas tamen contemptus matrimonii et adulteria et divortia sequi solerent. Diversa et longius repetita exhibet Boettiger. Opp. p. 385. Ceterum coniugales deos memorat Senec. Med. 1. Thyest. 1103., nominat Augustin. Civ. D. VI, 19, Iovem, Iunonem, aliosque non paucos. Doed.

C. 19. *litterarum secreta* haud dubie secretum per epistolas commercium significat, quale Romae inter amantes et adulteros frequentari solebat. Id unum ambigi potest, ideone secretae dicantur litterae, quod secreto mittebantur, an ideo quia secreta inerant. Parum refert. Praevaleat id quod generalius est, emissio. Nedum de *scribendi arte* quasi Germanis incognita cogites; id enim tam ordini sententiarum quam rerum veritati prorsus repugnaret.

poena praesens] Nullis cognitionum et iudiciorum ambagibus dilata; *et maritis permissa*, non ut, quemadmodum apud Romanos, *propinquis coram de capite famaque coniugis cognosceretur;* vid. Ann. XIII, 32. Nam apud Gallos quidem *viri in uxores sicut in liberos vitae necisque*

tis permissa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur: sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum sed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur; plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae

habebant potestatem, Caes. B. G. VI, 19. Alii ex Arund. *poena parentibus et maritis permissa*.

publicatae enim] Scorta per haec et virgines stupratas intellige, non adulteras; illae enim solae publicant pudicitiam. Lex Burgund. c. 44. *Si qua Burgundionis ingenui filia, priusquam marito tradatur, cuicunque seu Barbaro seu Romano occulte adulterii se foeditate coniunxerit . . facinoris sui dehonestata flagitio amissi pudoris sustinebit infamiam.* Romanorum comparando arguitur pravitas, inter quos nobiles etiam virgines *licentiam stupri apud aediles vulgabant* (vid. Ann. II, 85.), ac tamen maritos inveniebant. Particula *enim* more Taciti refertur ad enunciationem suppressam: *impudicitiam omnino oderunt.*

Melius quidem] Haec ex aestimatione Romanorum, qui bis mulierem nubere non quidem vetarent, at tanquam indecorum improbarent. Vid. Goettling. de Rep. Rom. p. 86. Bis nuptae *repellebantur a sacerdotio*, Serv. in Virg. Aen. IV, 19. Liv. X, 23. Et *pronubae adhibebantur nuptiis quae semel nupserunt, causa auspicii, ut singulare perseveret matrimonium:* Paul. ex Fest. s. v. *pronuba*. Doed.

cum spe . . transigitur] Idem est quod *spes finitur*, ut Agr. 34. *Transigite cum expeditionibus.* Post *transigitur* colo distinxi, ut seqq. cum *in quibus* ἀσυνδέτως copularentur.

ne tanquam maritum] Integritas structurae flagitat: *ne maritum tanquam maritum . . amet.* At prior accusativus per brachylogiam suppressus est.

finire] H. e. definire, ut Ann. XIII, 38. *Ideo artum inde numerum finiri.*

ex agnatis] Vid. in Hist. V, 5. Quod apud Iudaeos *nefas* videbatur et divini iuris violatio, quodque apud Romanos lege humana cautum erat tanquam *scelus*, idem nulla lege vetitum apud Germanos ut *flagitium* tantummodo ad infamiam valebat; infamiae vero illic efficacior est metus quam alibi poenae. Post etiam lege cautum est. Lex Visigoth. VI, 3, 7. *Nihil est eorum pravitate deterius, qui pietatis immemores filiorum suorum necatores existunt. Iudex eos publica morte condemnet.* Doed.

leges. 20. In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet, ingenuos virtus agnoscat. Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas; pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avonculum qui ad patrem honor. Quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam ii et animum firmius et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi; et nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avonculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia. 21. Suscipere tam inimicitias seu patris

C. 20. *tanquam ii* Rhenanus. At MSS. *tanquam in.* Suspicor plane esse delendum *in*, ut ex sup. vs. male repetitum. Doed.

C. 20. *nudi* ad *cultum* ac vestitum, *sordidi* ad *victum* ceterasque vitae necessitates referendum. Nam sordes nihil aliud est quam *Aermlichkeit*, sive munda est sive immunda.

nec ancillis . . delegantur] Vid. Dial. 28.

virtus agnoscat] H. e. donec virtute civitati approbata agnoscantur ingenui publice; vid. c. 13. Emendavit distinctionem Thierschius, nam vulgo post *ingenuos* inciditur.

Sera . . venus] Caes. B. Gall. VI, 21. *Intra annum vero vicesimum feminae notitiam habuisse in turpissimis habent rebus.*

eadem iuventa] Pariter inexhausta.

pares validaeque] Plene: pares paribus, validae validis miscentur. Vid. in Ann. I, 55. Duplex perstringitur Romani moris pravitas, primum quod saepe decrepitus aliquis senex puellam ducebat, libidinis causa, vel iuvenis anum divitem, hereditatis gratia; dein quod puellulae nubebant, antequam maturae et nubiles essent. Doed.

referunt] Ut Liv. X, 7. *Rettulisse dicitur Decius parentis sui speciem.*

orbitatis pretia] Quales sunt heredipetarum adulationes apud Romanos. Exempla praebent Hor. Sat. II, 5. Iuven. XII. ac praecipue Plaut. Mil. III, 1, 110. Plin. Ep. IV, 15. *Fecunditate uxoris frui voluit eo saeculo, quo plerisque etiam singulos filios orbitatis praemia graves faciunt.*

seu propinqui quam amicitias necesse est. nec implacabiles durant: luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes: proximam domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotumque, quantum ad ius hospitis, nemo discernit. abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi in vicem eadem facilitas. Gaudent muneribus; sed nec data imputant nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis.

22. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa. Tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt, armati. Diem noctemque continuare potando nulli probrum. crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et volneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis affinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas

C. 21. *quemcunque* dictum tanquam sequatur *excipiunt;* porro pergit tanquam principio scripsisset *Ullum mortalium*.

Victus pro *convictu*, conversatione, ut Cic. Inv. I, 25. Caes. B. Gall. I, 31. Per *hospites* simul parochus et advena intelligendi. Non tamen suo loco, sed sero haec verba leguntur. Suspicor praeeunte Thierschio: *Pari humanitate excipiuntur. Victus inter hospites comis; notum ignotumque . . nemo discernit.* Distinguitur hospitis tractatio advenientis, commorantis, discedentis. Doed.

C. 22. *cibum capiunt*] Plura de ea re Posidonius ap. Athen. IV, 13, vel Fr. Posid. p. 136. 141. Bake.

incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci. ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est; deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt. 23. Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus. proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices; agrestia poma, recens fera aut lac concretum. sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

24. Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. Nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem, quamvis audacis lasciviae

astuta, *verschlagen; callida*, *weltklug*. Synon. Lat. T. III. p. 220.

licentia ioci] Quotiens ad licentes etiam iocos et petulantiam prolabuntur utpote vinolenti. Ex comparatione corruptorum populorum hoc intelligendum, apud quos *reges dicuntur multis urgere culullis et torquere mero, quem perspexisse laborant*, ut ait Hor. A. P. 434. coll. Ep. I, 18, 36. Ergo Romani nusquam cautiores esse debebant quam inter pocula. Lipsius *licentia loci* edidit ex H. plurimisque approbavit. — Porro *aperit adhuc* dicit, tanquam Germani, quandoque sive vi Romanorum sive suis ipsi vitiis servire coeperint, in eandem anxietatem et ipsi prolapsuri sint. Et exhibent *adhuc* MSS. T. et H. Reliqui *ad hoc* vel *ad haec*. Doed. Singula fere huius capitis verba institutis Romanis opposita sunt. Surgebant Quirites ante lucem, lavabantur post pilam; iunctis sedibus coenabant; ne quis in urbe cum armis esset, legibus XII. tabularum cautum erat; ante lucernas potare ignominiosum habebatur; per convivia denique mutua diffidentia regnabat. Passov.

C. 23. *corruptus*] Variis artibus mutatus. Virg. G. II, 466. *Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.*

recens fere] Non cocta. Mela III, 3, 2. *Germani victu ita asperi incultique, ut cruda etiam carne vescantur; aut recenti aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovarunt.* Aliter Passovius: „Posidonius contra p. 141. προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὠπτημένα, vero longe similius. Nec fera recens est cruda. Romani vero saporis illius sublimioris magistri, laxam iam vietamque ferarum carnem diligebant. Vid. Intt. Hor. Sat. II, 8, 6."

C. 24. *non in quaestum*] Haec

pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. victus voluntariam servitutem adit: quamvis iuvenior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant. 25. ceteris servis non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur; suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit: et servus hactenus paret; cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum. occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune est. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus quae regnantur. ibi enim et super ingenuos et super nobi-

non habent unde pendeant. Ac minime quidem cum *paravit* possunt iungi. Ergo nova sententia incipit, cuius subiectum, si sanus est locus, simul cum verbo suppressit Tacitus: *Hoc fieri solet.* At quanto congruentius est transponi verba ordinem interrumpentia. Suspicor: *Nudi iuvenes . . saltu iaciunt; non in quaestum tamen aut . . voluptas spectantium. Exercitatio artem paravit, ars decorem. Aleam, quod mirere* sqq. Doed.

inter seria] Scil. numeratam, h. e. quasi seriam rem.

iuvenior] In hac forma inest notio validiorum virium, ut in *jugendlicher;* vulgatis et contracta *iunior* simpliciter significat minorem aetatem, quae h. l. nullius est momenti. Eckst. Vid. Plin. Epp. IV, 8, 5. Appul. Met. VIII. p. 210. Elm.

fidem vocant] Vid. Ann. XIII, 54.

C. 25. *Cetera domus officia*] H. e. cetera officia nempe domus officia, quae opponuntur rusticis servorum officiis; ut H. IV, 56. *Legatis tantum legionum interfectis ceterum vulgus . . facile accessurum.*

disciplina et severitate] H. l. et Dial. 28. idem est quod Hist. I, 51. *severitate disciplinae.*

impune] Non solum a legibus sed etiam ab occisi propinquis. Inimicorum enim caedes luitur multae loco, servorum non item.

les ascendunt; apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

26. Fenus agitare et in usuras extendere ignotum, ideoque magis servatur quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis in vicis occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant et superest ager; nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent; autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

C. 26. *vicis* recepi ex MS. Bamb. Reliqui MSS. *vices* vel *in vices.*

impares, reipublicae capessendae.

C. 26. *Fenus . . extendere*] Sensus est: Fenus agitare sive pecunias fenoris causa collocare, et fenoris agitationem etiam *in usuras extendere*, ut usurae sorti addantur vel usurarum usurae accipiantur, ignotum est. Id quanquam gravissimis saepe poenis interdictum, tamen facere solebant Romanorum non tantum feneratores, sed interdum etiam Bruti et Senecae. Ex Thiersch. Nempe *fenus* pro abstracto *feneratio* positum ut in *fenus exercere.*

servatur pro *observatur*, ut Ann. I, 80. Plin. Pan. 2, 6. *Et populus quidem Romanus dilectum principem servat*, i. e. dilectum ac non ut antea formidatum colit. Subiectum supple: *abstinentia fenoris.* Id enim latet quodammodo in praecc. verbis. Ironiam quandam locutionis tollunt qui *ignominiosum* scribi iusserunt pro *ignotum.* Doed.

Arva . . mutant] Possessionem arvorum quotannis inter semet ipsi permutant; teste Caes. B. Gall. VI, 22. *Agriculturae non student, neque quisquam agri modum certum ac fines proprios habet, sed magistratus in annos singulos gentibus nationibusque hominum qui una coierunt, quantum eis et quo loco visum est attribuunt agri, atque anno post alio transire cogunt.* Alii de ratione agros exercendi interpretantur; tanquam agros non eosdem biennio continuo colant, sed altero quoque anno requiescere sinant et vervacta faciant; id etsi crebrius fiat quam apud ceteras gentes, tamen agrum superesse, nunquam in arvum cultum.

autumni . . ignorantur] Non ignorabatur certe Caroli Magni aetate, qui Novembrem *Herbist manoth* appellarit auctore Eginhardo c. 29. ubi confer Bredovium. Orell. Et *herbist* respondet voci *καρπιστός.*

27. Funerum nulla ambitio: id solum observatur ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur. sepulcrum caespes erigit. monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differunt, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

28. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Iulius tradit; eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos: quantulum enim amnis obstabat quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas? igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, signatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis Germanorum natione, an Osi ab

C. 27. *observatur*] Non male Trossius ex P. *observant*.

C. 28. *divisas* edd. ex H. Reliqui *diversas*.

signatque ex H. et P. ascivi, coll. Dial. 23. *Neminem nominabo, genus hominum signasse contentus.* Quintil. VIII, 6, 19. *Ex factis quibus persona signatur;* ac saepe Virg. Aen. VII, 3. At edd. ex reliquis MSS. *significatque*.

C. 27. *erigit* ut H. V, 6.

lugere] Sen. Ep. 99. a. f. *Vir prudens meminisse perseveret, lugere desinat.* Lips.

C. 28. *Iulius*] Vid. Caes. B. Gall. VI, 24. *Ac fuit antea tempus cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.* Trossius *summus auctor* ex P. edidit.

inter . . amnes, scil. sita.

Hercynia] Vid. Ann. II, 45. Caes. B. Gall. VI, 24.

ab Osis Germanorum natione] Contrarie c. 41. *Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos.* Utique aut Tacitus oscita-

Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem, quanquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

29. Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Ro-

vit sibi ipse repugnans, aut mendum traxit hic locus. Multi verba *Germanorum natione* ut supposita prorsus deleri iubent. Quid si transposita potius sunt? Suspicor enim: *quamvis mutatis natione Germanorum cultoribus.* Nam Marcomanni qui Boios Gallos expulerant, haud dubie Germanorum natio erant. Eadem structura Ann. XVI, 12. *Mutatus mensis Maius Claudii, Iunius Germanici vocabulis.* Doed.

utriusque ripae] Scil. Danubii, ut c. 41. Nam Pannoniae mentio ambiguitatem eximit.

haud dubie] Nam de Treveris Nerviisque dubium erat Germanine essent an Galli.

Nemetes] Ptol. II, 9. *Νέμητες*, unde Spira colonia Nemetum.

conditoris sui] Nempe Agrippae. Is enim primus Ubios traduxerat in Galliam, eoque condendae mox a nepte sua Agrippina coloniae auctor quodammodo extiterat. Ann. XII, 27. *Agrippina . . in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat; cui nomen inditum a vocabulo ipsius. At forte acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam Agrippa transgressos in fidem acciperet;* coll. Suet. Aug. 21. Strab. IV, 3, 4. Utrumque notum Tacito; sed ad ipsum avum conditoris nomen transfert, quanquam nepti debebatur. Nec potest *conditoris* de Agrippina intelligi quin *conditoris suae* corrigatur; iam vero qui *sui* substantivi loco explicant (ut Ann. XI, 11. *sui detractor.* Cic. Univ. 13. *effectorem sui*), durissimum genitivorum concursum admittunt. Doed.

C. 29. *Batavi*] Vid. Hist. IV, 12.

mani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit; exempti oneribus et collationibus, et tantum in usum praeliorum sepositi; velut tela atque arma bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.

Non numeraverim inter Germaniae populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos qui decumates agros exercent; levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere. mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

C. 29. *numeraverim* edd. ex MSS. At T. *numeramus*. Et V 1518. *numeravimus* ut Ann. XIV, 59. *referebam*.

antiquae societatis] Scil. cum Romanis initae. Etenim ante Iulium Caesarem novas illas sedes occupaverant.

nec tributis contemnuntur] Hist. IV, 12. 17.

velut tela . . reservantur] Haec distinctione mutata coniunxi. Ergo *sepositi* pro verbo finito est. Ita demum tollitur pristinae interpunctionis tautologia: *in usum proeliorum sepositi . . bellis reservantur*. Lenius sane flueret oratio, si verba *nec tributis contemnuntur* post seqq. *nec publicanus atterit* legerentur, *exempti* et *sepositi* pro appositione passivi essent. Et nisi duritiem structurae ultro affectavit, ita Tacitum scripsisse credo. Doed. Non opus fuerit nec transpositione nec mutata distinctione, si gentem bellicam tanquam armamentarium in extremas necessitates sepositum et instructum bellis reservari intelligamus.

Mattiacorum] Ut Hist. IV, 37. Circa *Wiesbaden*, *ubi Mattiaci fontes, quorum haustus triduo fervet*, Plin. XXXIII, 17. coll. Ammian. Marc. XXIX, 4, 3.

decumates agri uno hoc loco memorantur. In laeva Moeni ripa fuisse plerique consentiunt. Nuper Ukertus Germ. p. 274. *decumates* de cultoribus quam de agris intelligere maluit; *decumates* esse qui decimam penderent, *decumanos agros*, ex quibus decima penderetur, et *decumanos* qui exigerent; comparans *Sanates* apud Festum. Ergo nominativus est. Cohorti scriptorum quos Ukertus p. 267. de his agris quaesivisse refert, adde Barth *Teutschlands Urgesch.* T. III. p. 225.

limite acto] Proprium hoc

30. Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit, durant siquidem colles, paulatim rarescunt; et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax voltus et maior animi vigor. multum, ut inter Germanos, rationis ac solertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in

C. 30. *paulatim* revocavi ex MSS. Rhenanus *paulatimque.*

verbum, frequens apud Agrimensores et Frontin. Strat. I, 3, 10. coll. Virg. Aen. X, 513. Hoc ergo significat, extra praesidia Romana, trans Rhenum Danubiumque iacuisse spatium campi diu incultum, dum et Romani omittunt neque barbari quippe nimis vicinum castellis et praesidiis ripensibus vindicare audent; donec ab hominibus quibusdam temerariis occuparetur concessu quodam et conniventia hinc Romanorum illinc Germanorum; tandem transgressos utrumque amnem Romanos nec contentos naturalibus terminis vindicasse alteram ripam et quatenus ipsis visum fuit limitem egisse manu, qui barbaricum a Romano discerneret, ac promovisse praesidia: quae intra limitem quaeque intra praesidia recepti decumates isti agri cultoresque pars provinciae Germaniae Romanis et sinus imperii, h. e. extremum et quasi reconditum aliquid, habeantur. Gron.

C. 30. *initium . . inchoant*] Eadem ubertate qua Ann. III, 3. *magnitudinem mali perferre non toleraverit*, vel Dial. 3. *Maturare festino.*

in quas . . patescit] Praegnanter pro: *in quas Germania patescens desinit.* Dicitur autem Germania *patescere*, quia interiora montibus clausa secretaque sunt. Rhenum autem versus primum in colles, deinde in planas patulasque regiones exit.

nosse ordines] Scil. militares, centurionatibus, primipilatibus, tribunatibus similes, eosque apud se institutos habere. Longe aliud est illud *noscere principia* Hist. II, 93. Doed.

ratione disciplinae] H. e. disciplina rationis plena. Eadem notio duobus vocabulis expressa, quae pluribus a Liv. IX, 17. *Disciplina militaris, quae in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum venerat, bei einer methodischen, systematischen, rationellen Einrichtung des Kriegswesens.* Ita ST. et Vatt. At H. B. Arund. et P. *Romanae disciplinae*, sententia nimis arroganti et cum Chattorum vituperatione inepta; quanquam suo loco et recte Liv. II, 39. *Ut facile appareret ducibus validiorem quam exercitu rem Romanam esse.* Doed.

duce quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. alios ad praelium ire videas, Chattos ad bellum. Rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est. 31. Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti velut vinculum) gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Chattorum hic placet habitus; iamque canent in-

C. 31. *raro* recepi ex T. et Vatt. At edd. cum reliquis *rara*.

ferramentis] Securi, ligone, rastro.

praelium] Vid. Hist. IV, 40. Nempe praelia ex improviso committi possunt; bella sine ratione et providentia administrari non possunt.

fortuita] Epitheton est; praedicatum ex *rari* repetendum.

Equestrium sane] Nexus hic est: Neque hoc mirandum; quia communis haec ratio ac virtus est omnibus populis, quorum in pedite robur; contra qui equite potius valent ut Parthi et arte militari carent, temerius pugnam inire solent.

cito cedere, victoriam, non: hosti. Ern. Mox *iuxta* de similitudine ut Ann. VI, 42. *Nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est.*

C. 31. *aliis .. usurpatum*] Nam et Batavus *Civilis barbaro voto post coepta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum posuit*, Hist. IV, 61.

submittere] Non solum *promittere* et crescere sinere, sed succrescentem capillum temere et incomptum *demittere* in frontem et faciem.

Super sanguinem] Male agunt qui exponunt *inter sanguinem*. Nam victor victi corpori superstat.

ignominiosum] Nam apud Romanos annulus dignitatis potius insigne erat. Verba velut vinculum parenthesi addere quam cum *gestare* coniungere malui.

Plurimis . . habitus] Ad crinis propexi submissionem simul et ad annuli gestationem referendus est *habitus*. Atqui ille submissi capilli habitus ignominio-

insignes et hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem cultu mitiore mansuescunt; nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

32. Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum,

cultu mitiore ex Arund. et St. ascivi cum Passovio, h. e. mitiore vitae genere, ut *miti obitu* Ann. III, 19. At AE. *mitiore vultu.*

sus fuit et ignaviae documentum; quomodo igitur *plurimis placere* poterat? Res ita se habet ut opinor: Chatti crinem barbamque summittere solebant, donec hostem cecidissent; tum ponebant tondendo et quasi Virtuti dedicabant. Ab hoc inde actu fortissimus quisque semet ipse a ceteris fortibus distinguebat. Nam qui *vulgari* fortitudine erant, ii satis habebant *semel* hunc honorem meruisse et vel uno hoste caeso in perpetuum tonsi incedebant; fortissimi contra tanquam parum peregissent post primum facinus denuo summittebant crines succrescentes seque ignavis illis, qui *necessitate* utpote nullodum hoste caeso squalorem retinebant, *sponte* aequabant, ut ad nova semet ipsi facinora exstimularent. Ii itaque post alteram caedem denuo ponebant capillum rursusque summittebant ad tertiam usque victoriam et deinceps. Ergo non tam ipse habitus placebat plurimis quam mos hunc habitum retinendi ac potius iterandi. Non saepius enim tondebantur quam quoties hostem interfecerant. Nec vero *detondebant*, credo, omnem crinem, barbarorum maxime populorum decus summum, sed *adtondebant* aliquatenus ut squalor abesset. Ipsa capilli summissio ut apud Romanos reorum moerorem (Plin. Ep. VII, 27.), ita apud Chattos tristitiam significabat, quod tam diu nova decori facinoris gloria carerent. Doed.

iamque canent . . monstrati] Obscura haec et quae explicare nequeam. Suspicor: *Iam qui canent*, *insignes et hostibus simul suisque monstrati.* Sensus est: fortissimus quisque in honore est; iam vero (*vollends*) praecellunt inter hos ii quorum crines ita summissi senio canuerunt, σπαρτοπόλιοι; hi non ut Romanorum veterani subsidia firmant, sed prima in acie collocati hostibus in terrorem, suis in exemplum monstrantur. Eadem senum acies mox *visu nova* dicitur, quoniam ceteras apud gentes πρόμαχοι ex iuventute constabant. Doed.

Nam ne . . mansuescunt] Obscura est copulationis causalis ratio, quanquam frequens id Tacito. Suspicor transponendo: *Ne in pace quidem . . mansuescunt; nam nulli . . cura.* Doed.

prout . . aluntur] H. e. a pauperibus parce, laute a divitibus.

C. 32. *certum iam alveo*] Ubi flumen pro certo iam Romanis munimento est, propter alvei latitudinem; ducta a *certo amico* metaphora. Apud Usipios enim Rhenus nullis praesidiis custodiisque munitus ipsa alvei sui la-

quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt; nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores, posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non ut cetera maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

33. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio seu praedae dulcedine seu favore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem praelii invidere. super sexaginta milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.

34. Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuarii cludunt aliaeque gentes haud perinde me-

titudine et altitudine satis tuto defendebat fines imperii; vid. Hist. IV, 26. Alii certum alveo Rhenum opponi putant Rheno superiori ut scopuloso et lacus facienti; coll. Mel. III, 2, 8. *Rhenus . . prope a capite duos lacus efficit, Venetum et Acronium. Mox diu solidus et certo alveo lapsus haud procul a mari huc et illuc dispergitur.*

Tencteri] Vid. Caes. B. G. IV, 1. De eorum sedibus Ledebur *Land und Volk der Brukterer* p. 53. 66.

et melior] Sententia est: Excipit equos ferox bello inter non feroces; inter feroces excipit ferocior sive melior. WALTH. Nam *bello* ad utrumque adiectivum pertinente *ferox* quidem ad animum et virtutem, *melior* ad artem et experientiam bellicam spectat.

C. 33. *Bructeri*] Inter Amisiam et Luppiam (Ann. I, 60.), ita tamen ut utramque Luppiae ripam tenerent. Strab. VII, 1. *Λουπίας ποταμὸς . . ῥέων διὰ Βρουκτέρων.* BACH.

urgentibus] Ex Liv. V, 36. *Iam urgentibus Romanam urbem fatis*, coll. Virg. A. II, 653. Lucan. X, 29. Alii ex T. *in urgentibus*, pro quo malim *inurgentibus* coll. Lucr. V, 1034. *Infensus inurguet.* Alii *in vergentibus*,

moratae; a fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. et superesse adhuc Herculis columnas fama volgavit, sive adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est in claritatem eius referre consensimus. nec defuit audentia Druso, Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.

35. Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. In Septentrionem ingenti flexu redit. ac primo statim Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. id pretium virtutis ac virium praecipuum argumentum est, quod ut superiores agant non per in-

C. 34. *consensimus* plurimi MSS. At H. et Bamb. *consuevimus*, non deterius.

C. 35. *id pretium . . argumentum* Waltherus ex Vat. 1518. coll. Ann. III, 40. *Cum id rarum nec nisi virtuti pretium es-*

C. 34. *Druso, Germanico*] Ambigitur num duo intelligendi sint, pater ac filius an unus pater, qui H. V, 21. ab ipso Tacito *Drusus Germanicus* vocatur. Duos intelligere malo. Nec enim probabile est Tacitum de Germanico h. l. siluisse, cum is in iisdem Oceani partibus navigaverit, et rerum antiquarum minime incuriosus fuerit, et quacunque occasione a Tacito cum laude commemorari soleat.

C. 35. *ingenti flexu*] Chersonesum Cimbricam dicit, Daniam. *sinuetur*] H. e. extrema eorum pars in Chattorum fines procurrit. Is quippe sinus vocatur, ut c. 29. *sinus imperii* ac saepe. *cupiditate*] Scil. pecuniae vel praedae, itaque avaritia, ut H. I, 12.

iurias assequuntur. prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

36. In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt, idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens; adversarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis minores fuissent.

37. Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa ca-

set. At T. *Id praecipuum virtutis ac virium praecipuum argumentum est.*

C. 36. *nomina* Beroaldus. At MSS. *nomine.*

Tracti ruina edd. ex H. ut Ann. III, 54. H. I, 48. At reliqui *Tacti*, non deterius.

plurimum . . equorum] Possunt haec utcunque explicari, ut epexegesin contineant numerosi exercitus, non hercle languore carentem. Suspicor: *Prompta tamen omnibus arma, plurimum virorum equorumque, ac si res poscat exercitus; et quiescentibus eadem fama.* In his demum concinnitatem et Tacitum agnosco. Doed.

eadem fama] Scil. ac si bellando clarescerent.

C. 36. *marcentem*] H. III, 33. *In nemore Aricino desidem et marcentem* scil. Vitellium. Iustin. XXXIV, 2. *Quotidiana luxuria ita marcenti* scil. Ptolemaeo.

nomina superioris] Sensus est: In pace quidem immodestia et improbitas metu legum infamiaeve cohibetur; in bellis autem in tantum suis quisque viribus uti creditur, in quantum possit. Quapropter ii demum reapse modesti et probi esse creduntur, quos victoriis ac potentatu tantum valere constat, ut impune easdem virtutes iis spernere liceat. Qui ex aequo agunt ac non praepollent, quoties illis virtutibus vel pacem redimere vel laudem quaerere cupiunt, ἀπραγμοσύνῃ ἀνδραγαθιζόμενοι (Thuc. II, 63.), eorum modestia pro ignavia, probitas pro stultitia et εὐηθείᾳ habetur. Similia disserunt Atheniensium legati ap. Thuc. I, 76. sqq. Doed.

Fosi] Prope Cellas Fusa amnis Allerae miscetur.

C. 37. *ripa*, Rheni.

stra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tam diu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio multa in vicem damna. non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere. quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? at Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Gnaeo quoque Manlio fusis

C. 37. *Gnaeo . . Manlio* Ernestius. At MSS. *Marco* vel *M. Manlio.*

molem manusque] Per ἓν διὰ δυοῖν dictum de ingenti manuum numero castris illis operatarum.

exitus] H. e. migrationis, egressus, ut Cic. Parad. IV, 1. *Reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum calamitosum*, coll. Caes. B. C. III, 69. Suet. Caes. 34. *Hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus.* Aliis *exitus* pro *exitio* dictus videtur. At vid. Synon. Lat. T. II. p. 64. Lipsius *exercitus* substituerat.

admonuere] Scil. *sui;* ut Hist. I, 64. *Ni Valens Batavos .. imperii admonuisset.* Similius etiam Ovid. Her. III, 131. *Est aliquid collum solitis tetigisse lacertis praesentique oculos admonuisse sinu*, si lectio certa; nam Heinsius ex MSS. edidit, *praesentique oculos admonuisse sui.* Alii excidisse id ipsum putant, *sui.* Alii denique explicant: *ulti sunt.* Doed.

regno Arsacis] Eadem sententia Civilis H. IV, 17. *Servirent Syria Asiaque et suetus regibus oriens.*

infra Ventidium] A pristino fastigio ita deiectus, ut etiam Ventidio inferior esset. Primum enim vicerat is Ventidius proelio Parthos eorumque regem Pacorum occiderat, deinde provinciis orientalibus ab Antonio praepositus rexerat orientem. Vid. Hist. V, 9. Dio C. XLIX, 20. Flor. IV, 9. Fuit autem is Ventidius Bassus despicatui apud aequales, genere et loco humilis et quondam medio. Vid. Cic. Phil. XIII, 2. Gell. XV, 4. Ergo quanto humilior victor orientis, tanto maius orientis dedecus.

Carbone] Strab. V. p. 328. Liv. Epit. LXIII. Vellei. P. II, 8. 12.; ad Noreiam a Cimbris victo. — *Cassio*, Caes. B. Gall. I, 7. 12.; qui tamen ab Helvetiis Cassium pulsum narrat. — *Scauro*, Liv. Epit. LXVII. Vell. P. II, 12.

vel captis, quinque simul consularis exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt. Nec impune Gaius Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes Gai Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere; ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

38. Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una ut Chattorum Tencterorumve gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis seperantur. In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium apud Suevos usque ad canitiem. horrentem capillum retro sequun-

C. 38. *obliquare*] Unus H. obligare, vel ob tautologiam seq. *substringere* damnandum.

Marius in Italia] Teutonas Cimbrosque aegre vicit. Liv. Epit. LXVIII. *Iulius Caesar in Gallia* Ariovistum (B. Gall. I, 31.), deinde Tencteros et Usipetes (IV, 14.), mox bellum intulit Suevis (VI, 9.). *Drusus* quater in Germaniam irrupit, Dio C. LIV, 32. *Nero* Tiberius Vell. P. II, 104 sqq. *Germanicus* Ann. I, 49. II, 5.

Gai .. minae] Suet. Cal. 43.

expugnatis, a Civile: vid. H. IV, 15.

triumphati magis] Vid. Agr. 39. *Inerat conscientia* (Domitiano) *derisui fuisse nuper falsum ex Germania triumphum;* coll. Suet. Dom. 6.

C. 38. *propriis a. nationibus*] Dativi sunt. Et *adhuc* h. e. super Suevorum nomen.

nodoque substringere] H. e. in nodum, ut Sen. Ir. III, 26. *Coactus in nodum apud Germanos crinis.* Martial. Spect. III, 9. *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.*

ad canitiem] Puncto hic distinxi, commate post *spatium* sublato. Plena structura haec fuerit: *In aliis gentibus .. rarum et intra iuventae spatium* [fieri solitum] *apud Suevos usque ad canitiem* [fieri solet]. Nam si haec ut vulgo fit cum seqq. connectuntur, non assequor cur Tacitus *apud Suevos* scripserit, non *Suevi.* Dord.

horrentem .. sequuntur] Sen-

tur, ac saepe in ipso vertice religant. principes et ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti ut hostium oculis ornantur. 39. Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum

in ipso vertice Vat. 964. At plerique MSS. *in ipso solo vertice*. Et Vat. 1862 *in solo vertice*. Atqui absonum est *solo*, nec defendi potest locis quibus *ipse solus* coniungitur, ut Cic. Sull. 28. *Valeat ad poenam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici, subito flecti fingique non posse*, vel Verr. I, 2. Ovid. Trist. II, 459. vel Tac. Dial. 5. Ibi enim *solus* primaria notio est, *ipse* superadditum; nostro autem loco *ipse* suo iure obtinet nec patitur additamentum alienum. Doed.

innoxia Muretus. At MSS. *innoxiae*, non absurde; nam ipsa forma illorum, qui libidines intuentium excitare student habitu suo, *noxia* dici potest.

sus est: id arte quadam efficere solent, ut horreat capillus, et retrorsus quidem nec ad Chattorum morem, qui horrentem et ipsum crinem in frontem potius demittunt; utrique tamen diversi a ceteris gentibus, quibus mollities potius capilli placet et procuratur. Nam *sequuntur* idem est quod *sectantur*, *affectant*, ut c. 5. *Argentum magis quam aurum sequuntur*. Prop. II, 13, 11. *Cynthia non sequitur fasces, non quaerit honores*. Sin verba illa durius sane structa emendare voles, suspicabor: *horrentem capillum sequuntur, ac retro, saepe in ipso vertice religant*. In his *retro religant* coniuncta sunt ut Virg. Aen. IX, 794. *Retro vestigia Turnus improperata refert*, coll. Cic. Tusc. V, 2. Ergo pars capillum in occipite religant, ut ὄπιθεν κομόωντες Ἄβαντες apud Hom. Il. II, 542, alii in vertice, ut Θρήικες ἀκρόκομοι ibid. IV, 533. Eadem fere Diodor. Sic. V, 28. de Gallis, quo nomine ipsos ille Germanos complectitur, narrat: τιτάνου γὰρ ἀποπλύματι σμῶντες τὰς τρίχας συνεχῶς καὶ ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν (in verticem) καὶ τοὺς τένοντας (retro, in cervices) ἀνασπῶσιν, ὥστε τὴν πρόσοψιν αὐτῶν φαίνεσθαι Σατύροις καὶ Πᾶσιν ἐοικυῖαν· παχύνονται γὰρ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κατεργασίας, ὥστε μηδὲν τῆς τῶν ἵππων χαίτης διαφέρειν. Hinc simul cognoscitur, qualis ille fuerit *horror* capilli, *cornibus* aequiparatus a Iuven. XIII, 166. ac diversus a *squalore* Chattorum; quibusque artibus, immo medicamentis comparatus et auctus fuerit. Doed.

compti .. *ornantur*] Talem orationis ubertatem defenderes capite 29. *In usum praeliorum sepositi* .. *bellis reservantur*, si vera esset haec distinctio; quam tamen supra correximus. Haec quoque emendanda videtur. Suspicor: *neque enim ut ament amenturve compti, in altitudinem ... adituri bella ut hostium oculis ornantur*. Ita verborum proprietatem non retinuit sed ultro affectavit Tacitus. Nam *comere* ad nitoris mollitiem pertinet, *ornare* ad pulcritudinis dignitatem. Vid. Synon. Lat. T. III. p. 261. Doed.

Semnones memorant. fides antiquitatis religione firmatur. stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia. nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur. eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitantur; magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant. 40. Contra Langobardos paucitas nobilitat. plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed praeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Angli et Varini et Eudoses et Suardones et Nuithones fluminibus aut silvis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Ner-

C. 39. *auguriis . . sacram*] Legitimus versus longus est, sponte effusus an a vetere poeta? Lips. Et Ernestius eundem ex aliquo poeta interpolatum censet, coll. Virg. A. VII, 608. *Sunt Belli portae . . religione sacrae et saevi formidine Martis.*

primordia] Ut initia, *μυστήρια*. Ern. Immo orditur dies festus et conventus solennia a caede hominis.

minor] H. e. subiectus, ut c. 36. Hor. C. III, 6, 5. *Dis te minorem quod geris, imperas!* et I, 12, 57. *Te minor latum reget orbem.* Plin. Ep. VIII, 23.

evolvuntur] I. e. se evolvunt, ut Ann. I, 13. VI, 49. Hist. IV, 81.

pagis habitantur] Ut Hist. V, 7. *Campis quos ferunt magnis urbibus habitatos.* Nempe *Semnones* communiter et terram et incolas significat, ut Hist. V, 14. *in Treviris.* Bipontini *habitantium* correxere. Aliis placuit Broterii coniectura: *centum pagi iis habitantur.*

magnoque corpore] Ut Hist. IV, 64. *Corpus nomenque Germaniae*, coll. An. XIII, 27.

C. 40. *Langobardi*] Teste Vell. P. II, 103. *gens etiam Germana feritate ferocior*, circa Albim inferiorem, ubi hodie Hannovera, habitasse creduntur, cincti Cheruscis, Marcomannis, Semnonibus, Hermunduris, Chaucis, Marsis.

nisi quod] Ut saepe non excipit aliquid, verum simpliciter adversativae *sed* vim habet.

Nerthum restitui ob MSS. consensum. Idem nomen est quod in Edda legitur *Niördhr*, masculino genere, Grimm. Myth. p. 140. Is a septentrione, *Nord*, dictam suspicatur. An potius cum *νερτέρᾳ θεᾷ*, i. e. Proserpina ap.

thum, id est terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum. attingere uni sacerdoti concessum. is adesse penetrali deam intelligit, vectamque bubus feminis multa veneratione prosequitur. laeti tunc dies, festa loca, quaecunque adventu hospitioque dignatur, non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum et vestes et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident.

41. Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. Propior (ut quomodo paulo ante Rhenum sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in

C. 40. *multa veneratione* ex Tur. At reliqui *multa cum veneratione.*

C. 41. *Suevorum* Rhenanus; *verborum* MSS.

Soph. Oed. C. 1548. et *ἔνεροι* et *ἔνερθε* cognationem habet nomen? Sunt etiam qui *Nortiam* Etruscorum i. e. Fortunam comparent. At Rhenanus *Herthum*, Oberlinus *Hertham* substituit, ut ipsa Tellus nominaretur, *erda* sive *herda;* vid. Graff. Alth. Sprachsch. T. I. p. 416. Nec prorsus improbat Grimm. praef. Myth. p. IX.

intervenire] H. e. curare et regere, ut Liv. I, 21. *Cum interesse rebus humanis coeleste numen videretur.*

insulam Oceani] Alii putant Rugiam, ubi luculenta supersunt antiquae religionis vestigia; cf. Zoellner. Itiner. Pomer. p. 250. Gagern. Hist. Nat. Germ. p. 57.; alii Helgolandiam, alii Monam, alii alias. Eckst. Monius et C. de Bose Seelandiam insulam commendant.

castum nemus] Nullis profanorum vestigiis intratum et pollutum; ut Hor. C. I, 12, 60. *Parum castis lucis.*

non bella ineunt] Sustuli punctum post *dignatur* vulgatum, ut *tunc* etiam ad *ineunt* pertineret.

templo] I. e. sacro nemori. Latinis *templum* omnis locus sacer. Vid. Clav. Cic. Sic et Graecis *ἱερόν*. Aliud *aedes*, *ναός*. Ern.

secreto lacu] In Rugia insula lacum, cui nomen *Burgsee*, vetustis accolarum fabulis ad Hertham pertinentibus celebrari narrant.

ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia. Passim et sine custode transeunt; et cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

42. Iuxta Hermunduros Narisci ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes pulsis olim Boiis virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio peragitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum; nobile Marobodui et Tudri genus; iam et externos patiuntur. sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. raro

colonia] De nulla alia colonia cogitare licet quam de *Augusta Vindelicorum;* etsi Roschmannus probare annisus est, *Veldidenam* (*Wilten im Tyrol*) hic intelligendam esse. Salis-Sewis ap. Orell. Symb. p. 32.

passim paulo minus est quam *ubique*, ut c. 46. — *sine custode* Romani enim in limite imperii hoc servabant, ut externum neminem admitterent acciperentve nisi custode dato et arbitro actionum. Vid. Hist. IV, 64. ubi acris querela de hac re ad Ubios: *Nam ad hunc diem . . coiremus*, et in responso Agrippinensium c. 65. *Sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes.* Ex Lips.

notum olim] Vid. Ann. I, 59. II, 14.

C. 42. *Boiis*] Vid. c. 28.

quatenus Danubio peragitur] H. e. quoniam Danubio finitur Germania, Narisci, Marcomanni, Quadi utpote fluminis terminantis accolae quasi frontem obvertunt exteris, Norico et Pannoniae ac porro Italiae, quo versae ut in medium mundi locum omnes undique terrae spectare videbantur; dum Tencteri dextro Germaniae lateri, Cimbri tergo aequiparari possunt. Novus fateor hic usus est verbi *peragere*, non insolentior tamen quam si nos dicamus: *mit der Donau ist Deutschland fertig.* Causa pravi ad hunc diem intellectus coniunctio fuit *locali* sensu accipi solita; *causalis* autem Tacito frequentior, ut Ann. III, 16. Dial. 5. 10. At edd. cum Lipsio *porrigitur*, ut Ovid. Met. IV, 526. *Scopulus frontem . . in apertum porrigit aequor.* Ter. Ad. V, 3, 53. *Exporge frontem.* Plaut. Cas. II, 4, 3. *Porrectior frons.* Ac praecipue Claudian. Rufin. I, 10. *Porrexerit undis litora.* Alii *praetexitur*, coll. c. 34. vel *praetenditur*, coll. Ann. II, 56. H. II, 6, 14. proposuere. Doed.

externos] Ut Catualdam, Vannium, Vangionem, Sidonem. Vid. Ann. II, 62. 63. XII, 29, 30.

armis nostris, saepius pecunia iuvantur; nec minus valent.

43. Retro Marsigni, Gotini, Osi, Buri terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Suevos referunt; Gotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt. dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt. ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. ea vis numini: nomen Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium. ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumera-

nec minus scil. quam armis nostris. Vid. c. 15. *Iam et pecuniam accipere docuimus.* SELLING.

C. 43. *quo magis pudeat*] Serviunt, quanquam ferrum habent armis faciendis, quod liberis Germanis non superest; vid. c. 6.

iugumque] Non abundat. Sensus est: Saltus insederunt et seiunctorum montium vertices et continuum illud montium iugum, quod Sueviam dirimit scinditque. Similis est structura eiusdemque nominis iteratio, atque in Hor. C. IV, 5, 17. *Tutus bos etenim rura perambulat; nutrit rura Ceres almaque Faustitas;* pro: *rura*, *nutrita illa a Cerere.* Et maxime proprio sensu *iugum*, ut Liv. XLI, 18. *Petilius adversus Balistae et Leti iugum, quod eos montes perpetuo dorso coniungit castra habuit.* Vid. Synon. Lat. T. V. p. 225. Intellexit Bachius.

in plures civitates] Ptolem. II, 10. *Λοῦγοι οἱ Βοῦροι*, *Λοῦγοι οἱ Ὀμανοί*, *Λοῦγοι οἱ Διδοῦνοι.*

Alcis dativus numeri pluralis est. ERN. Ad lucum potius refert Iac. Grimm. D. Mythol. p. 39. tanquam genitivus sit nominativi *Alx* exprimatque Gothicum vocabulum *alh* h. e. templum. At simplicitas rationis et collocatio verborum suadet ut *nomen* perinde ac *vis* de numine vel diis intelligatur. In MS. P. *Aleis* est.

tos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora. atras ad praelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus praeliis oculi vincuntur.

Trans Lygios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii, et erga reges obsequium.

44. Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. Forma navium eo differt quod utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in

C. 43. *regnantur* edd. ex V. 4498. et Stuttg. ut c. 25. Ann. XIII, 54. H. I, 16. - Reliqui et P. *regnant*.

lenocinantur] Indulgent vel blandiuntur, ut Dial. 6. *Lenocinantur voluptati*, et quidem *arte*, quod scuta corporaque tingunt, *ac tempore*, dum noctu quam interdiu pugnare malunt.

nigra .. corpora] Verbum vi pronunciandi addendum, *gerunt*.

umbra] I. e. adumbratione, imagine; ut Hist. III, 73. *Umbra honoris*. Liv. VIII, 4. *Si etiamnunc sub umbra foederis aequi servitutem pati possumus*. Iuven. XIV, 109. *Fallit enim vitium specie virtutis et umbra*. Doed.

adductius] Vid. in Ann. XII, 7. H. III, 7.

Rugii] Inter Viadrum et Vistulam, unde insulae *Ruegen* nomen.

C. 44. *prora* ablativus est; subiectum *forma navium* ac potius *navis*. Eadem navium Ponticarum forma, Hist. III, 47.

ministrantur] H. e. administrantur, ut Virg. A. VI, 302. *Ipse ratem vento subigit velisque ministrat*, coll. Valer. Fl. III, 38. Consulto variavit Tacitus verbi genus, quia ratio varia; nam *ministrantur* ad *usum* navium spectat, *adiungunt* ad solam *aedificationem*. Lipsius *ministrant*.

in ordinem] H. e. ut ordinem remorum efficiant.

nullis iam .. parendi] Haec

promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt. enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

45. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus ut sidera hebetet; sonum insuper audiri formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adiicit. Illuc usque (et fama vera) tantum na-

C. 44. *promiscuo* Bachius ex T. i. q. *in promiscuo usu* ap. Plin. H. N. XXI, 3. At AE. *in promiscuo.*

otiosae Lipsius. At MSS. *otiosa κατὰ τὸ νοούμενον*, ut Ann. IV, 35. *Posteritas . . rependunt.*

insuper audiri edd. ex T. At H. *et sonum insuper emergentis audiri.* Suspicor cum Lipsio: *se mergentis.* „Nam haec persuasio plebis fuit, solem dum in Oceanum cadit stridorem edere non aliter, quam si ignitum ferrum condatur in aquam. Posidonius apud Strab. III. p. 138. *Λέγειν φησὶ Ποσειδώνιος τοὺς πολλοὺς μείζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι, μετὰ ψόφου παραπλησίως ὡςανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ, διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν.* Iuven. XIV, 280. *Audiet Herculeo stridentem gurgite solem*, coll. Flor. II, 17. Hieron. Eccl. I.“ Adde Valer. Fl. II, 36. Stat. Silv. II, 7, 26. Nam *sonus* nullo tali genitivo vel certe *eius* addito nimis vagum est.

utcunque explicueris contorte dicta. Suspicor: *eoque unus imperitat, non precario iure, nullis iam exceptionibus parendi.* Similiter Agr. 16. *Trebellius . . precario mox praefuit.* Porro *exceptiones parendi* idem est quod *conditiones obsequii.* Ceterum *nullis iam* respectu Gotonum, qui *nondum* supra libertatem regnantur. Nam deinceps ab occidente ad orientem narratione progredienti imminuitur gradatim libertatis amor et usus. Doed.

C.45. *aliud mare*] Vix dubito quin Tacitus Pedonis Albinovani carmen de navigatione Drusi Germanici, cum haec scriberet, ante oculos habuerit, cuius supersunt viginti duo versus. Tross.

pigrum] Agr. 10.

in ortus edurat] Vid. Agr. 12. Eumen. Pan. Const. Aug. 7. *Prospexit Oceanum ut fruiturus exinde luce perpetua iam videret diem illic paene continuum.*

Illuc usque . . natura] Haec corrupta puto, sed transpositione sananda: *Illuc usque tantum natura et fama vera.* In his *illuc* ea complectitur quae de sole narrata sunt; quae per *insuper* adiunxit, commentis hominum

tura. Ergo iam dextro Suevici maris litore Aestiorum gentes alluuntur; quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omnique tutela securum deae cultorem etiam inter hostes praestat. rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve. diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur. fecundiora igitur nemora locosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis in-

omnique tutela edd. ex T. Reliqui MSS. *omniumque tutela* i. e. adversus omnia, ut c. 46. *Ferarum suffugium*, Ann. II, 22. *veniam omnium.*

(opp. naturae, *Wirklichkeit*) et fabulis (opp. famae verae) annumeranda sunt. Neutiquam potuit *tantum* ab eo vocabulo, cui adhaeret, parenthesi divelli. Quid sit *natura* patet ex Agr. 33. *Nec inglorium fuerit in ipso terrarum et naturae fine cecidisse.* Doed.

laborant] Pro transitivo *elaborant.*

succinum] Hic ille locus est quem Cassiodorus indicatum voluit Epp. V, 2. *Hoc succinum quodam Cornelio scribente legitur in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens, unde et succinum dicitur, paulatim solis ardore coalescens.*

glesum sive *glessum* ap. Plin. H. N. XXXVII, 11., eadem vox esse creditur quae *Glas;* addo, quae Graecorum *χάλαζα;* vid. *Lat. Wortbild.* p. 147. 90.

succum tamen . . cluduntur] Ex Plin. H. N. XXXVII, 11. *Liquidum primo destillare argumento sunt quaedam intus translucentia, ut formicae aut culices lacertaeque, quas adhaesisse musteo non est dubium et inclusas indurescenti.*

sulis terrisque inesse crediderim; quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. si naturam succini admoto igne tentes, in modum taedae accenditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

Suionibus Sitonum gentes continuantur. cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

46. Hic Sueviae finis. Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribam dubito, quanquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor procerum, connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi multum ex moribus traxerunt: nam quic-

C. 46. *Venedorumque* et mox *Venedi* Rhenanus ut Plin. H. N. IV, 27. i. e. *Wenden*. At MSS. *Venetorumque* et *Veneti*.

quae . . expressa] Haec necessitate grammatica ad *nemora* referuntur, quae tamen nec exprimuntur nec liquent. Ergo referendum *quae* ad vocem aliquam vel sententiam latentem in iis quae supra leguntur, ut *succinorum causas ac fontes*. Id quamvis durum tamen ab ingenio scriptoris grataque negligentia non abhorret. Sin intolerabile iudicaretur, suspicarer: *Quae vicini solis . . labuntur, ea vi tempestatum . . exundant*. Idque ab ipsis indicativis commendatur. Doed. — *vicini solis*] Ea ex mente antiquissimorum philosophorum Ionicorum Anaximandri et Anaximenis dicta sunt. Vid. Menag. in Diog. L. II, 1. Stob. Ecl. phys. XXVI, 1. Passov.

Suionibus . . degenerant] Aptius forsan haec verba congruunt in finem cap. 44. Bipont.

continuantur] Ut Liv. I, 44. *Ut neque . . aedificia moenibus continuarentur*.

a servitute] Tanquam feminae servire infra servorum quoque dignitatem sit.

C. 46. *quos quidam Bastarnas*] Vid. Plin. H. N. IV, 14. *Peucini qui et Bastarnae*. Plut. Aem. Paul. 12. Sedes eorum erant a Vistulae fontibus usque ad Carpates montes, qui ab illis Bastarnicae Alpes vocabantur.

Sordes omnium .. foedantur] H. e. Omnes, plebs pariterque proceres sordibus, proceres etiam torpore et ignavia foedis Sarmatarum moribus similes sunt, quibuscum iis sunt connubia. Sustuli cum Bipontinis colon, quo post *torpor* posito tota enunciatio perperam in duas dividebatur. Causa mutandi vel haec praecipua fuit, quod verba *sordes omnium ac torpor* nihil sunt nisi

quid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et pedum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque venatus viros pariter ac feminas alit: passim enim comitantur, partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. securi adversus homines, securi adversus deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut *illis* ne voto quidem opus esset. Cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxio-

pedum usu Lipsius. At MSS. *peditum usu*, vel *pecudum*.

unum subiectum, deficiente praedicato. Requirerem sane *omnibus*. Ergo restitui *connubiis mixtis*, h. e. quoniam connubia promiscue inter eos ineuntur. Doed.

fingunt] E luto scilicet ut rustici nostri, cum Sarmatae in plaustris figant vehantque, a quibus illos populos hoc nomine diserte distinguit. Sic apud Ovid. Fast. I, 158. hirundo sub trabe celsa *luteum fingit* opus, omnique aves *fingere nidos* dicuntur apud Cic. Orat. II, 6. Ern. Lipsius *figunt* intulit. Vid. Ann. XIII, 54.

Sarmatis] Dativus est.

ossibus asperant] H. e. asperis ossibus instruunt; alio sensu dictum quam Ann. XV, 54. *Pugionem asperari saxo.*

ingemere agris] Ex Lucr. V, 209. *Vis humana . . vitai causa valido consueta bidenti ingemere et terram pressis proscindere aratris*, coll. Virg. G. I, 45.

suas . . versare] Sensus est: non versant animis, quomodo suam quisque fortunam emendet, alienam suo cum lucro subvertat, tanquam inter spem metumque perpetuo suspensum *esse* pars sit beatitudinis, qui mos est urbanorum hominum atque adeo humanitatis, sed suo *contenti*, aliorum incuriosi, tranquillitate animi vitam trahunt.

securi adversus deos] Non quo nullos credant, sed quod nihil habentibus adimere dii nihil possunt. Ern.

Oxionas ora hominum voltusque, et corpora atque artus ferarum gerere. quod ego ut incompertum in medium relinquam.

voltusque et corpora revocavi ex MSS. Satis enim aptum *et* ad coniungenda opposita, ut Ann. I, 13. *Asinium avidum et minorem*, ac saepe, ubi *tamen* expectares.

artus ferarum] Fortasse ex Plin. H. N. IV, 27. *Feruntur insulae . . in quibus equinis pedibus homines nascantur, Hippopodes appellati.*

relinquam] Deesse quaedam suspicatus est quispiam, quibus *quae nationes e Germania in Gallias commigravissent* expedierat; cf. Germ. 27. extr. „Immo expedivit, licet paucis, capite 28.“ BACH.

C. CORNELII TACITI
VITA
IULII AGRICOLAE.

1. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quanquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere memoratu

C. 1. *magna ac nobilis*] Non synonyma sunt, sed opposita: *magna* virtus virorum *rebus gestis* clarorum distinguitur a *nobili* virtute eorum, qui *scriptis et ingenio*, carminibus aut eloquentia aut doctrina famam quaesiverunt. Ii enim proprie *nobiles* dicuntur, non *celebres*, non *clari*, non *illustres*. Noli disiunctivam *aut* requirere. Hist. I, 32. *Ut si in circo ac theatro ludicrum aliquod postularent*. Doed.

ignorantiam .. et invidiam] Ambigitur, genitivus *recti* num ad priorem accusativum an ad utrumque pertineat. Verum altius repetendum est. Haec duo vitia partes vel species sunt unius eiusdemque vitii, quod communi nomine *illiberalitatem* dixeris. Ea aut per socordiam non curat, ubi recti aliquid occurrit, aut, si curat, per malitiam etiam invidet. Ergo *recti*, poscente vel concinnitate, ad utrumque accusativum pertinet. Per *rectum* autem h. l. non ut plerumque *rectum et probum* opp. pravo intelligitur sed *erectum et eminens*, opp. humili ac mediocri, ut c. 4. *Sublime et rectum ingenium;* quod restitui Dial. 7. *Quibus recta indoles est et bona spes sui.* Eodem fere sensu quo Cic. Off. I, 30. *Si quis est paulo erectior.* Tusc. V, 14. *Qui poterit esse celsus et erectus?* ubi Lallem. *rectus*. Et Quintil. X, 3, 25. *Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum cubiculum et lumen unum velut rectos maxime teneat*, pro *erectos* dictum est, quod ipsum vel *arrectos* Sarpius et Zumptius substitui iusserunt. Non aliter Plin. Ep. IV, 4. *Calvisium .. virum industrium, disertum, rectum, quod apud me vel potissimum est.* Hoc tantum recti genus *ignorantia* praetermittitur, *invidia* urgetur. Nimirum *rectum*, cum nihil praeter communem probitatem vel honestatem significat, *invidiae* non est obnoxium; virtus demum erecti, *quae praegravat artes infra se positas, urit fulgore suo* et invidiam concitat. Eadem vero quoniam magis varia est quam probitas ideoque difficilius aestimatur, a multis ignorari solet; quemadmodum ipsius Agricolae summam virtutem, quae in modestia erat posita, *pauci interpretabantur;*

digna pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. adeo virtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. 2. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit; quam non petissem ni incursaturus tam saeva et in-

vid. c. 40. Expressam putes sententiam ex Nepot. Chabr. 3. *Est hoc commune vitium magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit.* Doed.

pronum] H. e. facile, ut Sall. Iug. f. *Virtuti suae omnia prona;* mox *in aperto* h. e. sine obstaculo, ut c. 33. *Vota virtusque in aperto.* Hist. III, 56. *Cum .. hostes aggredi in aperto foret.*

fiduciam morum] Obiectivus genitivus est ut Plin. Epp. IV, 11, 8. *Ex fiducia sui an ex contemptu principis.*

Rutilio et Scauro] Utrosque coniungit Cic. Brut. 29. De Rutilio vid. Ann. IV, 43. De Scauro Cic. Orat. II, 64. Sext. 47. Plin. H. N. XXXIII, 6.

C. 2. *quam non petissem*] Multi quaesivere ubi et quando et quomodo et a quibus veniam huius vitae scribendae petisset Tacitus; nemo ita respondit ut prorsus satisfaceret. Mihi leviter corruptus videtur hic locus. Suspicor: *quam non spectavissem, ni incursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora*, h. e. *expectavissem, abgewartet.* Saepe eodem sensu *spectare* olim legebatur, donec criticorum sedulitate verbo composito cederet. P. Syr. I. *Ab alio spectes alteri quod feceris.* Cic. Somn. Scip. 6. *A quibus spectare gloriam certe nullam potestis.* Ep. ad Att. II, 3. Plin. Pan. 35. Curt. VIII, 8, 17. Plaut. Bacch. I, 2, 2. De confusione illorum verborum vid. Drakenb. in Liv. X, 7. Porro *ni incursaturus* scil. *essem*, idem est quod *ni incursavissem vel offendissem*, quemadmodum *amaturus* participium est non solius futuri *amabo*, sed etiam hypotheticorum temporum *amarem* et *amavissem*, et Graece modo *φιλήσων* modo *φιλῶν ἄν* vel *φιλήσας ἄν* vertendum est. Pariter c. 5. *redempturus esset* idem est quod *redemisset*, et Hist. II, 77. *adoptaturus essem* vel sine causa pro *adoptarem.* Hic vero aperta causa est, euphonia, quoniam praecessit *petissem* vel *spectavissem*, quorum concursus homoeoteleutorum plerumque vitari solet. Significat autem *incursare* i. q. offendere vel aggredi et ad defensionem atque ultionem provocare, Tacito plerumque cum accusativo structum, ut c. 36. Hist. III, 18. Ann. XIII, 37. XV, 1. Ergo idem fere dicit fecitque quod Cic. Orat. 10, 35. *Tempora timens inimica virtuti.* Nunc hic est ordo sententiarum: „Pridem Agricolae vitam scribere et volui et debui, exemplo maiorum, qui priscis temporibus atque in libertate et bonis moribus persaepe, quod nostris temporibus, sub Caesaribus, moribus corruptis, rarius quidam, non tamen

festa virtutibus tempora. Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse; neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum

nunquam fecerant, ut claros viros posteris traderent; at enim non licebat sub Domitiano. Ea tempora expectanda erant, quibus talis incepti venia esset; quam non expectassem, nisi saevitiam Caesaris Domitiani et qui cum eo pollebant, adversus me et libellum meum incitavissem, nam magnos viros laudare tunc capitale erat. Nunc demum, sub Nerva, venia scribendi laudandique datur. Quapropter nunc et Historias compositurus sum et interim vitam Agricolae, quae pars quaedam est earundem, vulgare statui.“ At Vatt. *petissem incusaturus*, et AE. *petissem ni cursaturus*, fortasse recte et pro composito quod substitui cum Rhenano. Doed.

Legimus] Ubi haec legerentur egregie ostendit Walchius: videlicet in *actis diurnis populi Romani* caedes Aruleni Rustici et Herennii Senecionis indicata erat; quanquam inde nondum apparet, cur *legimus* ac non *vidimus* scribere maluerit, qui in eodem libro c. 45. de semet ipso ac suis aequalibus rettulit *nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit*. Nobis verbum *legimus* eo consilio adhibuisse Tacitus videtur, ut invidiosam illam de Rustici et Senecionis caede relationem, quae in diurnis istis proposita erat, aequalibus suis in memoriam revocaret. Nam id quod nefandae crudelitatis monumentum erat, idem haud dubie in illis libellis struente Domitiano tanquam iustitiae documentum approbatum est. Ritter.

Aruleno Rustico] Ann. XVI, 26. Plin. Ep. VII, 19. — *Paetus Thrasea*, Ann. XVI, 21. — *Herennio Senecioni*, c. 45. Plin. Ep. III, 11. IV, 7. XI, 28. Dio C. LXVII, 13 — *Priscus Helvidius*, Thraseae gener, Hist. IV, 5.

in comitio ac foro] Haec coniunguntur ut Cic. Sext. 35. *Forum, comitium, curiam armatis hominibus implevissent*. Suet. Caes. 10. *Praeter comitium ac forum*. Fuit quidem comitium in foro, cf. Ascon. in Cic. Mil. 5.; sed *comitium* illi combustioni addit ignominiam (nam in comitio puniri solebant nocentes; cf. Plin. Ep. IV, 11. Suet. Dom. 8.); *forum* admonet combustionem factam publice et in omnium oculis tanquam spectaculum. Ex Walth.

expulsis . . professoribus] Vid. c. 45. Dio C. LXVII, 13. Sulpiciae Sat. Plin. Ep. III, 11.

in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere. 3. Nunc demum redit animus; et quanquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi

C. 3. *felicitatem temporum* Dronkius ex Vatt. coll. Rasche Lex. numm. II, 940. et Bentl. in Hor. Carm. Saec. 66. At AE. *felicitatem imperii.*

corpora nostra ascivi ex Va. Vb. At plurimae AE. *corpora,* male; nec enim *omnia* omnino corpora augescunt, extinguuntur.

C. 3. *spem ac votum*] Ut Germ. 19. *Cum spe votoque uxoris semel transigitur.* Per zeugma verbum ad hos accusativos et vero etiam ad *fiduciam* supplendum, *conceperit;* nam *assumpserit* unice ad *robur* quadrat. Vell. Pat. II, 103. *Laetitiam illius diei concursumque civitatis et vota paene inserentium coelo manus spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii vix persequi possumus.*

Quid si .. interciderunt] Reliqui haec sicut vulgo distinguuntur, quanquam ordinem sententiarum atque adeo illud *quid si* quod obiicientis proprium est, neutiquam perspicio. Suspicor: *Quodsi per quindecim annos . . interciderunt*, *pauci . . . per silentium venimus, non tamen pigebit . . composuisse.* Protasis itaque extenditur usque ad *venimus.* Intra eam ipsam prior pars *multi . . interciderunt*, ut Wexius vidit, specie et structura par est posteriori *pauci venimus*, reapse autem et logice eidem subiecta, tanquam diceret: *sicut multi . . interciderunt, ita pauci . . venimus.* Doed.

multi Lipsius; bene, dumne vulgari sensu accipiatur; alioquin evadet sententia putide trivialis, otiosa, Tacito indigna; nam apud Livium quidem similis sententia plane necessaria fuit XXIII, 22. *Cum tantum senatorum adversae pugnae, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumpsissent.* Nostro autem loco *multi* idem est quod *ne-*

fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt? pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

(a. u. 790) **4.** Gnaeus Iulius Agricola, vetere et illustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est.

servitutis Lipsius. At MSS. *senectutis*, quod quidam defendit, tanquam *inertiam* significet ut Valer. Fl. VI, 283. *Quae vos tam saeva senectus corripuit?*

mo praeter multos, vel *mediocres tantum homines*, oppos. *promptissimis* et *eximiis;* ut Hor. Sat. 1, 9, 71.: *Unus multorum*, cui contrarium est v. 44. *Paucorum hominum*, h. e. unus e paucis et egregiis; vel. Plin. Ep. 1, 3, 2. Nam emphasi pronuntiantis addendum est *tantummodo*. At MSS. *multis*. Id qui tueri volet, per brachylogiam pro *multi multis* explicare debebit, ex eo genere de quo egi Coment. de brachyl. p. 9. et in Soph. Oed. C. 520. Per *fortuitos casus* morbos et omne naturalis mortis genus intelligo, ut Ann. 11, 4. Doed.

nostri superstites] Plin. Epp. VIII, 14. *Eadem mala iam senatores per multos annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.*

per silentium] In mente habet, credo, Sallustianum illud: *ne vitam silentio transigamus.*

vel incondita . . voce] Maior in his verbis inest amaritudo quam modestia. Non tam semet ipse excusat Tacitus ut rudem dicendi, quam incusare pergit Domitiani aetatem, qua propter silentii necessitatem ingenii vires et scribendi artem exercere nemini licuerit. Simillima Plinii querela, Epp. I, 1. *Itaque reducta libertas rudes nos et imperitos deprehendit.* Doed.

composuisse] Tempore praeterito ut Liv. praef. *Iuvabit rerum gestarum memoriae . . et me ipsum consuluisse.* Quintil. I, 1, 34. *Illud non poenitebit curasse.* Namque *pigebit* spectat ad tempus, ubi *memoriam . . composuerit.* Walth.

C. 4. *quae equestris nobilitas est*] H. e. nobilitas per procurationes in Caesarum provinciis acquisita ita equestris ordinis propria est, ut nobilitas per consulatus, praeturas, alia senatoribus solis paratur. Nam equitibus tantum, non senatoribus suas Caesares provincias permittere solebant administrandas. Et accedebat iis equitibus nova

Pater Iulii Iulius Graecinus, senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gaï Caesaris meritus: namque Marcum Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare se in prima iuventa studium philosophiae acrius, ultra

C. 4. ***Pater Iulii Iulius Graecinus***, ex Vatt. et AE. restitui. Lipsius *Iulii* delevit.

iisque ipsis ex Vatt. Ulr. Beckerus: „Ob *eloquentiae* studium Graecinus Silanum accusare iussus, et ob *sapientiae* studium quia abnuerat, interfectus est.“ At AE. *ipsis* omittunt.

habuerat Lipsius. At MSS. *habuerit*, frustra defendente Walthero (coll. Ann. I, 32. Hist. II, 95. ubi non ut hic ipsius Taciti, sed aliena iudicia referuntur).

dignitas ex munere. Ann. XVI, 17. *Mella . . ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur, simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principum negotiis.* Sic enim hic locus distinguendus erat.

Graecinus] Senec. Benef. II, 21. *Si exemplo magni viri opus est, utemur Graecini Iulii viri egregii, quem Gaius Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat quam esse quemquam tyranno expediret;* coll. Ep. 29. Colum. I, 1, 14. *Cornelii Celsi .. velut discipulus duo volumina similium praeceptorum de vineis Iulius Graecinus composita facetius et eruditius posteritati tradenda curavit.* Plin. H. N. XIV, 2. XVI, 44. Ad Graecinum quendam etiam Ovidii Ep. ex Ponto I, 6. scripta est.

Silanum] Suet. Cal. 23. *Silanum socerum ad necem secandasque novacula fauces compulit . . causatus, quod ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset.*

indulgentiaque] In bonam partem dictum ut Dial. 9. *Indulgentiam principis ingenio mereri.* Suet. Tib. 46. Vit. 5. Liv. I, 39.

Massiliam] Vid. Cic. Flacc. 26.

ultra quam concessum] Tanquam obsit hoc studium rerum peritiae et civili prudentiae. In eandem sententiam Callicles Platonis Plat. Gorg. p. 484. C. *φιλοσοφία γάρ τοί ἐστιν, ὦ Σώκρατες, χάριεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ· ἐάν δὲ περαι-*

quam concessum Romano ac senatori, hausisse, — ni prudentia matris incensum et flagrantem animum coërcuisset. scilicet sublime et rectum ingenium pulcbritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. mox mitigavit ratio et aetas; retinuitque, quod est difficillimum ex sapientia, modum.

812 5. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus quem contubernio aestimaret. Nec Agricola li-

rectum ex AE. restitui; vid in c. I. At Lipsius *erectum.*

τέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. ἐὰν γὰρ καὶ πάνυ εὐφυὴς ᾖ, καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας φιλοσοφῇ, ἀνάγκη πάντων ἄπειρον γεγονέναι ἐστὶν ὧν χρὴ ἔμπειρον εἶναι τὸν μέλλοντα καλὸν κἀγαθὸν καὶ εὐδόκιμον ἔσεσθαι ἄνδρα. Etiam Neronem *a philosophia mater avertit, monens imperaturo contrariam esse.* Suet. Ner. 52.

hausisse] Ut Hor. Sat. II, 4, 95. *Ut haurire queam vitae praecepta beatae.* Senec. Ep. 84. *Concoquamus quaecunque hausimus; alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium.* Similius etiam Virg. A. I, 749. *Dido longum . . bibebat amorem.* Infinitivum autem cave cum Walchio explices *hausturum fuisse.* Immo cogitatione addendum est tempus hypotheticum: *ac penitus hausturum fuisse.* Vide nos in A. I, 23.

excelsae . . gloriae] De philosophorum gloria intelligo, quae distinguatur ab imperatoria civilique gloria tanquam magis communi ac minus excelsa; ut Hist. IV, 5. *Helvidius Priscus . . ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit.* Doed.

vehementius quam caute] Locus singularis. Debuit enim *cautius.*

difficillimum ex sapientia] Haec iunxi cum Walthero: quae est omnium rerum ad sapientiam pertinentium difficillima. Vid. c. 46. *Quicquid ex Agricola amavimus.* Germ. 29. *Non multum ex ripa.* Ann. XV, 15. *Alia ex rebus infaustis.*

modum] Ut Horatianum: *Est modus in rebus;* Graecum illud *μηδὲν ἄγαν!* Eo enim spectat quicquid in Agricola laudatur, qui medius fuerit inter contumaciam et adulationem, et strenuitatem obsequio, pacem bello, audaciam diligentia, industriam studiis, severitatem comitate ita miscuerit, ut *nihil nimis.* Alii moderationem intelligunt, alii ut Walchius modum in ipsa virtute exercenda, coll. Hor. Ep. I, 6, 15. *Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui, Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.* Doed.

C. 5. *diligenti ac moderato*] Cic. ad Quint. Fr. I, 1, 8. de Cyropaedia: *Nullum est praetermissum in iis* (libris) *officium diligentis et moderati imperii.* Vid. Hist. II, 25.

contubernio aestimaret] Scil. *idoneum* vel dignum, quod supplendum ut H. I, 18. IV, 68. Ann. XIV, 3. Ita Caesar *stipendia prima in Asia fecit Thermi prae-*

center, more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et reciperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

toris contubernio, Suet. Caes. 2. Longe aliter Walchius: quem ex contubernali consuetudine aestimaret, ut Hist. IV, 73. *Quia apud vos bonaque ac mala . . vocibus seditiosorum aestimantur.*

et inscitiam] Structura haec est: *Nec Agricola licenter more iuvenum . .* (scil. *egit*,) *neque segniter ad voluptates et commeatus et inscitiam titulum tribunatus rettulit.* Sensus autem ultimorum verborum hic: nec in hoc titulum tribunatus positum esse credidit, ut voluptatibus indulgeret, veniam discedendi peteret, nihil addisceret et, rerum ipse ignarus, munera officii sui centurionibus solis permitteret. Similiter Ann. IV, 57. *Causam abscessus .. ad Seiani artes rettuli*, coll. VI, 49. Nimirum adeo iuvenis Agricola ac tiro tribunus fuit, utpote unus ex *liberis senatorum*, *quibus Augustus militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum*, *sed et praefecturas alarum* dari instituerat: Suet. Octav. 38. Doed.

anxius, ne aliquam officii partem omitteret; *intentus*, ut ad res gerendas promptum se ac paratum praestaret. Nam nimia diligentia ac religio multos deterret ab agendi strenuitate et audacia.

exercitatior active dictum, ut *exercitae aestates* Ann. I, 17. Aliter Waltherus coll. Hor. Epod. 9, 21. *Exercitatae Syrtes noto* h. e. commotae.

trucidati veterani] Vid. Ann. XIV, 31. sqq. Mox per *colonias* et Camulodunum intellige, quae proprie erat colonia, et Londinium Verulamiumque oppida coloniis similia

de salute . . certavere] Ut c. 26. *Securi pro salute de gloria certabant.*

artem] H. e. disciplinam militarem, quae in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum venerat, ut Livius dicit IX, 17. Ea usui opponitur.

6. Hinc ad capessendos magistratus in urbem di-
815 gressus Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit; idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et in vicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus quanto in mala plus culpae est.

816 Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit; quorum neutro corruptus est,

C. 6. *se anteponendo*] Non aestimatione sed factis, dum uterque sua ipse commoda suaque vota commodis votisque alterius gratificatur, ut Pamphilus in Terent. Andr. I, 1, 35. Sodalium *obsequitur studiis, advorsus nemini, nunquam praeponens se illis.* Doed.

nisi quod .. culpae est] Is locus ab aliis aliter intellectus ita debet explicari, ut non generalis sententia insit, quae ad sexus muliebris naturam pertineat, sed ut cum Agricolae laude coniuncta sit. Quare suspicor: *nisi quod viri in bona uxore .. culpae est.* Sensus est: „Vixerunt mira concordia, quae res utrique coniugi laudi et bonorum morum documento est; sed Agricolae maiori etiam quam Domitiae; nam viri, cum bona est uxor, tanto maior laus est quam mulieris, quanto eiusdem viri, cum mala est uxor, maior est culpa, quam mulieris. Quippe mariti est imperare, maritae autem obedire; illius est moderari, instituere, formare ingenium et mores uxoris, huius est formari et culturae patientem praebere aurem. Ergo mala uxor ideo quod parum recte formata est a viro, excusatior est quam vir qui parum recte formavit.“ Hic est sensus structurae *in bona*, *in mala uxore*, *im Fall die Frau gut*, *im Fall sie bös ist*, vel *bei einer guten*, *bösen Frau*, ut pridem intellexit Freinshemius. Item Ann. XII, 3. *Nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium erat*, *non odium*, *nisi indita et iussa.* Neque enim quisquam Latine *laus in me* est dixit pro *laus mea* vel *mihi* est, quod plerique statuunt. Idem U. Beckerus sensit, dum *marito* suppleri iubet, nimiam credo sagacitatem iniungens legentibus. Duplex est comparatio, ut Liv. IV, 23. *Bellumque tanto maiore quam proximo conatu apparatum est*, *quanto plus erat ab omni Etruria periculi quam ab duobus populis fuerat;* nisi quod Tacitus alterius comparationis membra ut facilia ad supplendum suppressit. Simili sententia Valerius Messallinus in Ann. III, 34. *Nam viri in eo culpam*, *si femina modum excedat.* Plin. Pan. 83. Doed. Verum ne his quidem machinis cautum videtur, ne species generalis sententiae remaneat. Non satis cohaerere verba, sed intercidisse membrum quoddam, modestiorem in sensum formula restringenti *nisi quod* (nos, *soweit nicht eben*) emollitum, arguit locus A. I, 33. *atque ipsa Agrippina paulo commotior*, *nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.* Bernh.

Salvium Titianum] Fratrem Othonis imperatoris, Hist. I, 75. 77. Suet. Oth. 1.

quanquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solatium: nam filium ante sublatum brevi amisit.

Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque 817
ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, 818
gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium: nec 820
enim iurisdictio obvenerat. ludos et inania honoris modo rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxu-

C. 6. *in subsidium simul et solatium* ex Vb. cum Walthero, coll. c. 7. *Ita successor simul et ultor*. Reliqui *in subsidium et solatium simul*.

ipsum etiam Dronkius ex Vatt. At AE. *etiam ipsum*.

tenor Rhenanus. At MSS. *certior*.

parata peccantibus] Ubi provincialium plerique promptos se administros scelerum magistratibus praebent. *Virdung*. Vid. Ann. III, 65. Dial. 41. „Iam Cic. Ep. ad Qu. Fr. I, 1, 19. *Asiam provinciam corruptricem* dicit; cf. Mur. 9.“ Dronk.

mutuam dissimulationem] Ut Plin. Epp. IX, 13, 21. *Invidia quod (senatus) severus in ceteros senatoribus solis dissimulatione quas mutua parceret*. Hist. II, 56.

inertia pro sapientia] Hist. I, 49. *Ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur*.

nec enim iurisdictio] Quanquam omnes praetores ius dicebant, tamen duo praeter ceteros paene toti erant in iure dicundo, praetor urbanus et qui vulgo vocatur peregrinus, ut penes hos solos iurisdictio esse dici posset.

inania honoris] H. e. eam muneris praetorii partem, quae ad voluptates populi magis quam ad utilitatem reipublicae pertinet, et gloriolam potius magnificentiae quam virtutis laudem acquirit. Nam *honor* ipsum magistratum significat, ut Suet. Oct. 27. *Censurae honor*, coll. Tib. 31. Caes. 20.

modo rationis] Eo modo quem ratio atque abundantia praescribebant, vel modice, ratione atque abundanter. Genitivi vice appositionis funguntur. Utrumque pro laude est, et ratio et abundantia. Nam *ratio* contraria est temeritati, libidini, prodigentiae, sed eadem nisi modum teneas, prope abest a nimia parsimonia. Rursus *abundantia*, quae contraria est sordibus, prope abest a luxuriae crimine. Ergo Agricola modum tenuit non illum, qui sit *inter* rationem et abundantiam tanquam res diversas, sed eum quem ratio atque abundantia tanquam variae recti partes praescribebant. Utrique virtuti quia consuluit, modum tenebat inter vitia diversa, sordes inter et luxuriam. Ob id ipsum genitivi per *atque* vel *ac* coniunguntur, ut cognata ac synony-

821ria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

7. Sequens annus gravi volnere animum domumque eius afflixit. nam classis Othoniana licenter vaga
822dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Ini-

C. 7. *Intemelios* Lipsius. At AE. et Vb. *in templo.*

ma, non per *et*, ut diversa atque opposita. Non leve hoc. An dicere solent Latini *medio montium atque paludum?* vel *terra ac mari* pro *terra marique?* Eam ipsam ob causam *medio rationis*, quod exhibent Vatt. aspernor; minus aspernaturus, si legeretur *medio sordium et luxuriae*. Porro *ducere ludos* Agricola dicitur quia iisdem praesidebat utpote praetor, ad similitudinem locutionum *pompam*, *choros*, *exequias ducere*. Doed. Similitudo, si quid video, longius arcessita. Tacitus libertatem Graecae structurae (cf. Synt. Gr. p. 166.) imitans, quam scriptores ei suppares non aspernantur (velut Plin. Paneg. 75, 5. *habeant muneris tui*), genitivos ad *duxit*, h. e. rem habuit rationis cum abundantia coniungendae, videtur rettulisse. Bernh.

famae propior] H. e. ut magnificentia ludorum ipsiusque liberalitas fama celebraretur. Nam deficiente positivo comparativus in locum eius successit, ut Ann. III, 30. *Affluentia luxu propior.* Et XVI, 35. *Laetitiae propior.*

sacrilegium] De eo Ann. XV, 45. Suet. Ner. 32. *Ultimo templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit; in his Penatium deorum; quae mox Galba restituit.*

sensisset] Pro *sensisse diceretur*, ut Cic. Orat. I, 7, 26. *Multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent.* Curt. VI, 7, 33. *Ipsum tam levi auctori nihil credidisse respondit, veritum ne iurgium . . non sine risu aliorum detulisset.* Plin. Pan. 28. *Nec tibi bene faciendi fuit causa, ut quae male feceras impune fecisses.* Possis etiam Tac. Ann. III, 9. *ut se ostentavisset* huc trahere, si mihi non credas ibi *ut* dictum esse pro *velut si.* Similia de *oderim* annotavi in Ann. XVI, 16. Adde Hist. II, 47. *Nemo tam fortiter reliquerit*, h. e. reliquisse dicetur. Doed.

C. 7. *classis Othoniana*] Hist. II, 13. *Othonis miles vertit iras in municipium Intemelium.*

tia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, admodum iuvene Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integreque ac strenue versatum vicesimae legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus rarissima moderatione maluit videri invenisse
bonos quam fecisse. 8. Praeerat tunc Britanniae Vet- 824
tius Bolanus, placidius quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque uti-
lia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consula- 825
rem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola unquam in

C. 8. *labores modo* ex Va. ascivi, coll. Ann. I, 71. At edd. *modo labores*.

admodum iuvene] Nam duodevicesimum annum agebat.

tantum licentiam usurpante] Hist. IV, 39. Suet. Dom. I. *Post victoriam demum progressus et Caesar consalutatus honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus; nam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit; ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut iamtum qualis futurus esset ostenderet.*

vicesimae legioni] Erat ea legio Valens victrix e tribus Britannicis (tot enim plerumque erant in hac terra) et inter Cornavios agebat Devae, ἐν Δηούᾳ Ptol., nunc *Chester*. Vid. Cambdeni Britannia ed. 1806. Vol. III. p. 43. Vid. Hist. I, 20. III, 22. — *tarde . . transgressae*, quia *plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti expertum iam principem anxii mutabant*. Hist. III, 74.

decessor] Fuit is Roscius Caelius, Hist. I, 60.

C. 8. *consularem*] Scil. legatum. Nempe consularis vel Caesaris legatus toti exercitui et provinciae praeerat, praetorii vel legionum legati singulis legionibus.

Habuerunt . . exemplorum] Eodem sensu quo Ann. XIII, 8. *Videbaturque virtutibus locus patefactus.*

suam famam gestis exultavit: ad auctorem et ducem ut minister fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

826 9. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciae
827 Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis, administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat; Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa. ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nullam ultra potestatis personam; tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat; nec illi, quod est

in obsequendo] Mallem legeretur *in exsequendo*, propter antithesin. Doed.

C. 9. *inter patricios ascivit*] Aurel. Vict. Caes. 9. *Vespasianus lectis undique optimis viris, mille gentes* (scil. *patricias*) *composuit quum ducentas aegerrime invenisset, extinctis saevitia principum plerisque.* Idem Iulius Caesar fecerat; de quo Suet. Caes. 41. *Senatum supplevit, patricios allegit.*

splendidae . . dignitatis] Genitivi ex *provinciae* pendent ut c. 4. *rarae castitatis* ex *Procilla.* Ablativi *administratione ac spe* causales sunt. Splendebat enim primum suopte decore, deinde quod pro via ad consulatum habebatur, postquam eadem administratio etiam Galbae praeparatio consulatus fuerat, Suet. Galb. 6.

secura] Minus anxia, sollicita, *μικρολογοῦσα*, in apicibus nodisque et aenigmatis commenticii iuris. *I. F. Gron.* Quintil. Decl. CCCX. *Contemnunt hominem militarem nihil minus quam litibus idoneum.* Peerlkamp.

quamvis inter togatos] H. e. inter oratores, causidicos, advocatos toga ut in iudiciis forensibus ornatos; vid. Dial. 6. Eorum igitur iurisprudentiam et vafritiem et usum sua naturali prudentia ita compensabat, ut nec perturbaretur eorum astutiis nec ad ius corrumpendum deciperetur. Doed.

conventus] Scil. iuridici ubi ius dicebatur. Sic teste Plin. H. N. III, 1. in Baetica erant iuridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Brot.

nullam . . personam] Scil. agebat, ferebat, retinebat; ut c. 19. *Nihil per libertos.* H. I, 84. *Vos quidem istud pro me*, scil. *egistis.* At Rhenanus *nulla . . persona.*

tristitiam . . exuerat] Haec

rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores, et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur.

Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. haud semper er-

C. 9. *ostentanda virtute* Rhenanus. At AE. *ostentandam virtutem*. Et Vb. *ostendendam virtutem*.

apodoseos pars est. Sententia: Ubi officio satisfactum erat, eodem temporis momento etiam vitia illa vel vitiorum species, quibus magistratus Romani vacare vix possunt, simul cum potestatis persona exuerat. Nam *tristitia* propinqua est severitati; quemadmodum Piso *aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristis habebatur* (Hist. I, 14.); porro *arrogantia* (*vornehmes Wesen* ut c. 42.) necessaria ei, qui vice Caesaris est eiusque maiestatem tueri debet; denique *avaritia* prope abest a diligentia in exigendis tributis et si quid aliud reipublicae debetur. Doed.

Integritatem . . fuerit] Expressum his verbis putes Vell. P. II, 45. *Catonis integritatem laudari nefas est*, ubi item haeserunt interpretes. Nempe virtutum maxime vulgaris est *integritas* et in magno viro non memoranda. Doed.

adversus collegas] Legatos alios, qui finitimis provinciis praeerant. Pichen. Ut Hist. I, 10. *Mucianus apud collegas variis illecebris potens*. De eodem et Vespasiano Hist. II, 5. *Vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes*. Aemulari enim solebant cui plurimum apud principem gratiae et potentiae.

contentione . . procuratores] De eo officio vid. c. 15. et exemplum procuratoris adversus legatum contendentis Ann. XIV, 38. Walth.

atteri] H. e. inferiorem discedere ex litigatione, ut ἐλασσοῦσθαι in Thuc. I, 77. *καὶ ἐλασσούμενοι γὰρ ἐν ταῖς ξυμβολαίαις πρὸς τοὺς ξυμμάχους δίκαις.*

Minus triennium] Nam triennium proposuerat Maecenas Octaviano. Dio C. LII, 23. *καὶ ἀρχέτωσαν μήτε ἔλαττον ἐτῶν τριῶν, εἰ μή τις ἀδικήσειέ τι, μήτε πλεῖον πέντε.*

detentus] Non ita accipiendum est, quasi solito diutius commoratus fuerit in ea legatione, sed ipsum hoc munus, quamvis splendidum, non satis dignum erat viri praeclari virtutibus. Ritter.

in hoc accusativus est, ut Liv. XXXVII, 52. *omissa in id verecundia*.

830 rat fama, aliquando et elegit. Consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est adiecto pontificatus sacerdotio.

10. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. itaque quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in Orientem Germaniae, in Occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius nullis contra terris vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa; sed immensum et enorme spatium procurren-

et elegit] H. e. effecit ut quem vulgus rumoribus destinarat, a principibus eligeretur. Hist. I, 16. *Si velis eligere, consensu monstratur.* Nam *elegit* vel aoristus vel perfectum est. Sall. Cat. 51. *Neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur; multi eas gravius aequo habuere.* Itaque non senarius est, non gnome aliunde petita, non glossa, ut iudicavit Peerlkampius.

C. 10. *multis scriptoribus*] Ut Caes. B. G. V, 12—23. Plin. H. N. IV, 16, 30. Liv. CV. Strab. IV, 5.

spatio ac coelo ideo citra notionis necessitatem coniunxit, quia infra de utroque fusius dissertaturus erat, primum de coelo, deinde de spatio vel solo.

nullis contra terris] Ut Caes. B. Gall. V, 13. *Tertium latus est contra septentrionem. Cui parti nulla est obiecta terra.*

Livius] Epit. CV. quo libro Livius Iulii Caesaris expeditionem in Britanniam narraverat. — *Fabius Rusticus*] Vid. Ann. XIII, 20. 16. XIV, 2. XV, 61.

et est ea facies] Sensus est: Ea quidem Britanniae pars quam pridem novimus, usque ad Clotam et Bodotriam, recte scutulae vel bipenni assimulatur; sed circa haec ipsa aestuaria, ubi extremum iam litus esse putares, nova Britanniae pars, Caledonia, in mare procurrit et septentrionem versus in tenuem cuneum terminatur.

unde et in universum .. transgressa Rhenanus, ubi *fama* nominativus est, scil. *eius faciei.* At Va. et Put. pr. *unde universum .. transgressis.* Suspicor: *unde et universum* (vel *univer-*

rentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems appetebat. Sed

sam) *fama est*. *Sed transgressis immensum . . . tenuatur*. Simillime Hist. II, 20. *Gnarus ut initia belli provenissent*, *famam in cetera fore*, h. e. ceteris. Praepositio *in* ut centies suppressa est. Dativus *transgressis* scil. *in Caledoniam*, sic ex *tenuatur* pendet ut Germ. 6. *aestimanti* ex omisso *est*. Mox *enorme* Rhenanus. At AE. et Va. *innorme;* sine exemplo magis quam contra rationem. Porro *extremo iam litore* hoc significat: Ubi ultimum *iam* orbis terrarum litus esse credideris, ibi ecce procurrunt novae terrae. Doed.

tunc primum .. circumvecta] Vid. c. 38. *Praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit.* Dio C. LXVI, 20. *Γναῖος Ἰούλιος Ἀγρικόλας πάντα κατέδραμε καὶ πρῶτός γε Ῥωμαίων ὧν ἴσμεν ἔγνω τοῦθ' ὅτι ἡ Βρεταννία περίῤῥυτός ἐστι.*

Orcadas . . invenit domuitque] Hodie *Orkney isles*. Assentitur Iuven. II, 160. *Arma quidem ultra Litora Iuvernae promovimus et modo captas Orcadas.* Sed Eusebius et Orosius et Eutropius VII, 13. easdem iam sub Claudio domitas referunt. Utique *incognitas* non proprie eas appellat Tacitus, ut quae nominentur saltem iam Plinio H. N. IV, 16. et Melae III, 6. Quin etiam adiectas imperio Romano sub Claudio fuisse asseverant Eusebius et Orosius.

quam hactenus] Supple: *invenit domuitque*. Sensus est: „praeter Orcadas quas invenerant et domuerant, etiam Thule distincte et clare conspecta est; quam tamen hactenus invenit domuitque classis illa ut dispexisse et posteris monstravisse ad domandum satis haberet; advehi enim ipsi et appellere non poterant, quia nix et hiems prope instabat.“ Poterat Tacitus totidem verbis eadem dicere: „*etiam Thulen hactenus*, *ut dispicerent;*“ at enim noluit tam memorabilis rei mentionem, qualis est inclitae insulae inventio, in relativa sententia delitescere; nec molestum putavit, si proxima verba *invenit domuitque* cogitatione repetenda essent; cum praesertim acumen inesset huic sententiae, quasi *dispexisse* terram aliquam populo Romano paene idem haberetur ac *domuisse*, secundum Caesaris illud: *Veni*, *vidi*, *vici!* Acumini vero vel audacior brevitas ac prope aenigmatica convenit. Perperam plerique putant *dispicere* esse cum contentione oculorum cernere; immo qui *dispiciunt*, tam clare cernunt, ut contentione non sit opus sed solo aspectu. Nam *post caliginem et tenebras dispicere solemus*, ut ait Pseudocic. Red. in Sen. 5. Tac. Ann. III, 23. *Haud facile quis dispexerit . . mentem principis.* Eodem sensu *διιδεῖν* legitur Plat. Phaedon. p. 62. B. Antea enim vel fando auditam vel ex longinquo et per obscurum norant Thulen. Appetisse autem tum maxime hiemem, certum est coll. c. 35. Rediit enim classis, dum miles in hibernis locatur. Adhuc distingui solebat: *quam hacte-*

mare pigrum et grave remigantibus perhibent. ne ventis quidem perinde attolli: credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere. unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri, velut in suo.

11. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. namque rutilae Caledoniam habitantium co-

nus nix et hiems appetebat; quod Ritterus vertit: *Erblickt wurde auch Thule, welches bisher Schnee und Wintersturm* (nicht Menschen und Flotten) *bedrohten;* coll. Liv. V, 19. At *hactenus* non est *bisher*, sed *nur so weit.* Plurimis placuit Rhenani coniectura, nuper etiam codicis Vb. autoritate commendata *quam hactenus nix et hiems abdebat.* Doed. Acumen utique Tacito non indignum, modo fidem haberemus oxymoro nimium glorioso: *invenimus etiam Thulen et domuimus, quatenus eam dispeximus.* Mirum tamen ni transpositionis opem toties usurpatam his certe verbis velimus admovere: *Dispecta est hactenus et Thule, quam nix et hiems appetebat.* Adverbium istud fere nos reddimus, *bei dieser Gelegenheit, auf diesem einen Punkte.* Notissimus Ciceronis locus N. D. I, 10. *Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem.* Bernh.

sed mare pigrum] Hinc nova sententiarum orditur series; ab expeditionis *narratione* ad naturae Britannicae *descriptionem* redit scriptor et coniunctione *sed* a digressione semet ipse revocat. Nam per *mare* non illud intelligendum, quod circa Thulen est et advehi cupientes deterruisse credebatur, sed universum mare circa septentrionalem Britanniam, idem illud de quo Germ. 44. *Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum.* Solin. 22. *Oceanum septentrionalem ex ea parte, qua a Paropamiso amne Scythiae alluitur, Hecataeus Amalchium appellat, quod gentis illius lingua significat mare congelatum. Philemon a Cimbris ad promontorium Rubeas Morimarusam dicit vocari, hoc est mare mortuum.*

multi rettulere] Ut Strab. III. p. 119. Plin. H. N. II, 97. Senec. Quaest. Nat. III, 28. Mela III, 1.

velut in suo] Scil. *sit* ut c. 17. *velut pacti;* coll. Cic. Att. XIII, 1. *Pedem ubi ponat in suo non habet.* Sed malim tamen, cum Ernestio: *veluti suo,* ut *suo* dativus sit. Quanquam vel sic friget hoc additamentum. Suspicor haec tria verba paulo supra post *dominari* transponenda esse, Rhenanus *velut insulis.* Doed.

mae, magni artus Germanicam originem asseverant. Silurum colorati voltus, torti plerumque crines, et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes habitasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione; sermo haud multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia, et ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax

C. 11. *voltus, torti* ex Vb. ascivi. At AE. *voltus et torti.*

Hispania Muretus. At MSS. *Hispaniam*, quod utcunque defendi poterit: *posita contra Hispaniam* scil. *terra*, h. e. *quod . . posita est.* Vid. in Hist. II, 4. — Mox *habitasse* cum Dronkio ex Va. recepi. At in margine et in Vb. et AE. est *occupasse.*

originis vi Rhenanus. At MSS. *originis usu.*

vicinam insulam Dronk. ex Vb. At AE. *vicinam solum*, unde Beroaldus *vicinum solum.*

C. 11. *Germanicam originem*] Vid. Germ. 4. *Habitus corporum . . rutilae comae, magna corpora.*

Silurum] Ubi hodie *Wales.* — *colorati vultus* non arte sed natura et solis ictibus, ut Virg. Georg. IV, 293. *Usque coloratis amnis devexus ab Indis.* Tibull. II, 3, 58. *Illi sint comites fusci, quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis.* Sen. Ep. 108. *Qui in solem venerit, licet non in hoc venerit, colorabitur;* coll. Vit. B. 7. Cic. Orat. II, 14.

Proximi Gallis] Caes. B. Gall. V, 14. *Ex his sunt longe humanissimi qui Cantium* (hodie *Kent*) *incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.*

in diversa] Nam in *contraria* procurrunt, Gallia in septentrionem, Britannia in meridiem; itaque occurrunt inter se. Non timuit Tacitus ne legentes de altera potius diversitate hoc interpretaturi essent, tanquam in *aversas* potius quam in *adversas* partes procurrerent, ac fugerent invicem, non occurrerent; etsi ex prisco vocabuli usu hoc quam illud intelligere magis in promptu est. Ergo ad sensum *in diversa* idem est quod *in adversum*, ad verba non idem..

Eorum sacra] Vid. Caes. B. Gall. VI, 13. Sensus est: quoniam eosdem deos esse credunt, iisdem eos sacris colunt.

in deposcendis . . formido] Caes. B. G. III, 19. *Ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.*

emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. quod Britannorum olim victis evenit; ceteri manent quales Galli fuerunt. 12. In pedite robur; quaedam nationes et curru praeliantur. honestior auriga; clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur; nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur.

Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed trans-

C. 12. *duabus tribusve* Vatt. ut videtur. At edd. ex AE. *duabus tribusque.* Illud unice convenit; vid. Bentl. in Hor. Epod. 5, 32. — Mox *dum* deest in Va.

nox clara ex Vatt. At edd. ex AE. *et nox clara.*

olim victis] Haec iungenda. Nam *olim* Tacito pro *iampridem* dicitur; ut Ann. III, 54. XII, 66. — Mox *fuerunt* emphaticum est.

C. 12. *In pedite robur*] De equitatu vid. in c. 35.

honestior auriga] Contra quam apud Graios et Homerum. Plura, non tamen congrua de his Caes. B. Gall. IV, 33.

factionibus . . trahuntur] H. e. ad factiones et studia, ut Ann. II, 58. *Neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret.* In Hist. I, 69. *lacrimis effusus* non differt ab II, 45. *in lacrimas effusus.* Plerisque pro ablativis instrumentalibus habentur, *trahuntur* per *vexantur*, *distrahuntur*, *diripiuntur* explicatur coll. Ann. III, 74. XV, 1. Doed.

pro nobis utilius] Structura coalita ex *pro nobis magis* et *nobis utilius*, ut Hist. III, 7. *decorum pro causa ratus.*

asperitas . . abest] Caes. B. Gall. V, 12. *Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.*

nostri orbis pendet ex omisso *dierum*, quod ex praecc. repetendum. De re Plin. H. N. II, 77. *Sic fit, ut vario lucis incremento in Meroë longissimus dies XII horas aequinoctiales et octo partes unius horae colligat: Alexandriae vero XIV horas, in Italia XV, in Britannia XVII.*

ire affirmant. scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens, frugum fecundum. tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

13. Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut ser-

scilicet . . nox cadit] Hac enunciatione non proximae, sed penultimae sententiae causa redditur. Et mallem sane haec verba statim post *internoscas* legerentur. Sensus est: planitas extremarum terrarum efficit ut, quoniam humilis fit umbra, tenebrae non in altum erigantur, et nox in eas tantum sublimitatis regiones cadat, quae inferiores sunt coelo et sideribus. Vid. Hand. Tursell. T. III. p. 375. Plin. H. N. II, 10. *Neque aliud esse noctem quam terrae umbram.* Iuven. II, 161. *Minima contentos nocte Britannos*, ubi Schol. *Ex obliquo enim terrae margine lux redundat et proximam sibi insulam et noctibus et diebus illustrem reddit.* Eumen. Paneg. Constant. Aug. 7. Doed.

patiens scil. *arborum;* ea enim notio generalis ex praecc. *oleam vitemque* huc repetenda; proinde *frugum fecundum* coniunxi cum Walthero. Distinguitur *φυταλιά* ab *ἀρότῳ*. *Arborum* Britannia patiens est hactenus, ut si serantur et arte curaque colantur, non utique intereant; iam vero *frugum* sponte etiam fecunda est; contra quam Germania, quae ut et ipsa *satis ferax*, tamen *frugiferarum arborum impatiens* est, Germ. 5. nisi ibi quoque *patiens* reponendum. Vulgo interpungitur: *patiens frugum, fecundum.* Doed.

aurum et argentum] Strabo IV, 5, 2. p. 138. *φέρει δὲ καὶ σῖτον καὶ βοσκήματα καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ σίδηρον.* Aliter olim Cic. ad Att. IV, 16. *Illud cognitum est neque argenti scripulum esse ullum in ea insula.* Tacet Caesar.

subfusca] Plin. H. N. IX, 35. *In Britannia parvas et decolores margaritas nasci certum est.* Ibid. *Candor clarior in rubro mari repertis*, h. e. in Oceano Indico. Ammian. Marc. XXIII. p. 280. *Quod genus gemmae etiam in Britannici secessibus maris gigni legique, licet dignitate dispari non ignoramus.*

viant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, — ni velox ingenio, mobilis paenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano; quod initium venturae mox fortunae fuit. domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.
(a. u. 797) 14. Consularium primus Aulus Plautius praepositus,
(a. u. 803) ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae. addita insuper veteranorum colonia. Quae-

C. 13. *praeceptum* Lipsius ut Cod. U. At AE. *praecipue.*

C. 13. *ostendisse*] Vid. Hist. I, 78.

oblivio] Atqui cogitavit Augustus de invadenda Britannia. Hor. C. I, 35, 29. *Serves iturum Caesarem in ultimos orbis Britannos!* coll. Dione C. LIII, 22. 25. Iam vide Schneidewini disputationem in Actis Philol. A. 1844. p. 40.

consilium . . vocabat] Ann. I, 11. *Addideratque consilium coercendi intra terminos imperii.* Tiberius Ann. IV, 37. de semet ipso: *qui omnia facta dictaque eius* (Augusti) *vice legis observem;* coll. I, 77.

satis constat] Vid. Suet. Cal. 19. 44. Dio C. LIX, 25.

auctor operis] Ut Albinov. Consol. 237. *Quod potui tribuisse, dedi; victoria parta. Auctor abit operis; sed tamen extat opus.* Intelligitur per *opus* Britanniae subactio. Sed miror si tam magnifice Claudium laudare voluit Tacitus. Et de lectione non constat; nam Vatt. exhibent *auctoritate operis.* Unde suspicor: *D. Claudius auctor iterati operis*, h. e. auctor fuit ut conatus Britanniae subigendae repeterentur. Doed.

monstratus fatis] Ablativus est ut Liv. V, 15. *Propior interpres fatis oblatus senior quidam Veiens.* Hist. I, 16. *Adoptandi iudicium integrum et si velis eligere consensu monstratur;* coll. c. 88.

C. 14. *Ostorius Scapula*] Vid. Ann. XII, 31. 35. 38.

veteranorum colonia] Camulodunum, stativa XIV legionis. Ann. XII, 32. XIV, 31.

**dam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram
usque memoriam fidissimus mansit) ut, vetere ac iam
pridem recepta populi Romani consuetudine, haberet
instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus
parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis
in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quae-
reretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum** 811
**exstinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio pro-
speras res habuit, subactis nationibus firmatisque prae-
sidiis; quorum fiducia Monam insulam, ut vires rebel-** 814
libus ministrantem, aggressus terga occasioni patefecit.

15. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere. Nihil profici patientia, nisi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. alterius manus, centuriones

C. 14. *ut, vetere . . haberet* restitui cum Bachio ex MSS. pro eo quod Rhenanus induxit: *vetere . . ut haberet.* Non tam liberalitas donandi quam consilii calliditas veteri consuetudini tribuitur. Liv. XLIV, 24. *Populum Romanum regum viribus reges oppugnare. Attalo adiutore patrem suum oppressum; Eumene adiuvante . . Antiochum superatum.*

vires ex Vatt. ut Rhenanus correxerat. At AE. *viros.*

aucti officii] H. e. tanquam plus faceret quam officium posceret. Nam legati erat tueri fines, non prorogare. Similiter Ann. XIII, 28. *Tanquam ius hastae adversus inopes inclementer augeret*, h. e. excederet. Alii *officium* ad locum officii vel imperii, id est, ad provinciam translatum putant, ut Caes. B. Civ. III, 5. *Toti tamen officio maritimo Bibulus praepositus.*

firmatisque praesidiis] H. e. nova ac firma praesidia ponendo; non quo vetera praesidia reddidisset firmiora, ut Ann. XIII, 41. *Nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur.*

Monam insulam] Hodie *Angelsey.*

C. 15. *accendere*] Scil. iniurias, h. e. augere, exaggerare, ut Ann. I, 23. 69.

aeque . . aeque] Ut Hor. Ep. I, 1, 25. *Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque;* coll. Ovid. Met. XII, 36.

alterius manus] H. e. procuratoris in avaritia exercenda ministri; exemplo et credo imitatione Ciceronis Verr. II, 10. *Non*

alterius, servos vim et contumelias miscere. nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in praelio fortiorem esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus, tanquam mori tantum pro patria nescientibus. quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum; et flumine, non Oceano defendi. sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. neve praelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare; porro in eiusmodi consi-

erat quaerendum, *cuius manu* (pecuniae) *numerarentur*, *sed cuius iniuria cogerentur*. *Comites illi tui delecti manus erant tuae; praefecti*, *scribae*, *medici*, *accensi*, *haruspices erant manus tuae; ut quisque te maxime cognatione*, *affinitate*, *necessitudine aliqua attinebat*, *ita maxime manus tua putabatur; cohors tota tua illa*, *quae plus mali Siciliae dedit*, *quam si centum cohortes fugitivorum fuissent*, *tua manus sine controversia fuit*. Et procuratorum quidem contumelias cognoveris ex c. 19. Porro legati *alterius* praefecti, adiutores, *centuriones* erant, qui quomodo grassari consuerint narrat Iuven. XVI, 7. sqq. Denique *servos* revocavi ex Vatt. et U. addito lacunae signo; excidisse enim suspicor *utriusque*. Nam *servorum* mentio ut rei maxime invidiosae cum maxime expectatur: Ann. XVI, 31. *Adeo ut regnum per centuriones*, *domus per servos velut castra vastarentur*. Doed.

ab ignavis . . atque imbellibus] Hyperbolice de veteranis, in quos *acerrima odia*; *quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus*, *exturbabant agris*, *captivos*, *servos appellando*, Ann. XIV, 31.

et flumine] H. e. et tamen, quanquam, ut Liv. XXV, 25. *Nomina partium urbis; et instar urbium sunt*.

plus impetus] Suppressa est antithesis; plus artis et prudentiae apud Romanos, quarum ope *proeliis* vincere possint, non *bello*.

relegatum] Nolim mutare in *religatum*. Caes. B. Gall. V, 30. *Nec reiecti et relegati longe a ceteris aut ferro aut fame intereant*. Peerlk.

iam ipsos . . deliberare] Pronomen emphaticum est, non pro simplici *se* positum; ut in Graeco: *αὐτοί ἐσμεν*, h. e. *αὐτοὶ καθ' αὑτούς*, *wir sind unter uns*. Nunc, inquiunt, sine Romanorum interventu vel observatione deliberare licet; in posterum cum redic-

liis periculosius esse deprehendi quam audere. 16. His atque talibus in vicem instincti Boudicea, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis. nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius praelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat, ne, quanquam egregius cetera, arroganter in deditos et, ut suae quoque iniuriae ultor, durius consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus, tanquam 815
exorabilior: et delictis hostium novus eoque paeniten-

C. 16. *omisit* Rhenanus. At MSS. *amisit*.

rit exercitus, ipsa deliberatio pro rebellione erit. *Nam qui deliberant, desciverunt.* Eadem fere sententia Hist. II, 77. Nam *porro* h. e. in posterum, cum redierit legatus, oppos. *iam*, ut Ter. Andr. prol. 22. *Dehinc ut quiescant porro mones et desinant maledicere.* Walchio est argumentationis clausula. Perperam; *porro* continuandae argumentationi inservit ut c. 31.; claudendae autem *denique* ut *postremo*. Doed.

C. 16. *propius ex legato timor*] Utique cum *agitabat* iungendum est *propius*, sive structura sane inusitata sive transponendo adverbio: *et ex legato timor propius agitabat*, h. e. propiore cura quam reliquos qui posuerant arma. Nam ad auctores rebellionis propius pertinebat timor. Ovid. Met. XIII, 578. *Cura deam propior luctusque domesticus angit*, coll. Pont. IV, 9, 71. Sil. Ital. I, 32. *Iam propius metuens bellandi corda furore Phoenicum exstimulat* Iuno. Tac. Ann. II, 70. *Quo propius regrederetur*, h. e. magis e propinquo. Quidam *proprius ex legato timor* emendarunt, ut Ann. III, 67. *Proprio in metu*, sensu non diverso, sed cum damno concinnitatis. Doed.

ne quanquam Walchius. At MSS. Vatt. *nequaquam*, AE. *hic cum*. Suspicor: *Igitur ne hic, quanquam egregius . . . durius consuleret, missus Petronius Turpilianus*. Nam illa de Paulini moribus reputatio multo aptior Caesari vel senatui tribuitur quam rebellibus. Sed *arroganter* quo sensu dicatur, illustratur Ann. XIV, 38. *Novum legatum opperiendum esse sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum*. Doed.

Turpiliano] Vid. Ann. XIV, 39.

delictis . . novus] Ignarus delictorum, ut Sil. It. VI, 254. *Terrigena impatiens dare terga novusque dolori*.

tiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus Tre-
817 bellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere, vitiis blandientibus; et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. sed discordia laboratum, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis precario mox praefuit; ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem,
822 haec seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina. eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

17. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit, magni duces, egregii exercitus, mi-
825 nuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius

indecorus edd. At Vatt. *indecoris*. Vid. in Hist. I, 53.

haec seditio edd. At Vatt. *et seditio*. Suspicor: *ea seditio*.

curandi] I. e. praesidendi, imperandi, ut Sall. Iug. 60. *Nam is in ea parte curabat.*

ignoscere] Scil. servitutis suae auctoribus. Quidam *vitiis* pro dativo habuere.

segnitiae excusationem] Trebellius excusabat se ideo non ducere in hostes, ne simul et civili et externo bello urgeretur imperium et vires attenuarentur. VIRDUNG.

velut pacti] H. e. veluti si pacti essent, ut c. 10. *velut in suo*. Cave nominativos absolutos esse credas.

sine sanguine stetit] Ut Ann. XII, 22. *Unde ira ex Agrippina citra ultima stetit*. Plin. Ep. V, 12. *Liberalitas semel excitata nescit stare*, h. e. subsistere, consistere. Aliter Dronkius: „De pretio intelligendum ut in formulis *magni*, *pluris stare*. Hist. III, 53."

Vettius Bolanus] Adulationis igitur arguendus videtur Statius, cum Crispinum Bolani filium ita alloquitur Silv. V, 2, 53. *Aliis Decii reducesque Camilli Monstrantur; tu disce patrem quantusque nigrantem fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen Intravit mandata gerens.* Et fusius etiam v. 142. BROT.

disciplina] Secundum disciplinam, vel sic ut disciplina militaris et praecepta artis subigendarum regendarumque nationum poscebant. Nam *agitare* est vexare, nihil apud hostem quietum pati. Similiter Bolanus praefuerat *placidius quam feroci provinciae dignum est;* cap. 8.

Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus. multa praelia, et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque ob- 828
ruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

18. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices
media iam aestate transgressus Agricola invenit, cum 831
et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem uterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat, eoque initio erecta provincia, et, quibus bellum volentibus erat, pro-

C. 17. *amplexus est* Dronkius ex Vatt. At edd. *amplexus*. *locorum quoque* ex Vatt. At AE. *locorumque*.

C. 17. *alterius successoris*] Haec cogitatione dirimenda sunt in *alterius*, *nempe successoris*; ut Hesiod. Opp. 377. *γηραιὸς δὲ θανὼν ἕτερον, παῖδ' ἐγκαταλείπων*. Vid. in Hist. IV, 56. Germ. 25. Doed.

curam famamque] Est ἓν διὰ δυοῖν, pro famam administrationis successoris.

sustinuit quoque molem] Ad *Iulius Frontinus* referendum est *quoque*, insolentiore etiam hyperbato quam Ann. XI, 13. XIV, 11. Quare suspicor *quoque*, ex seq. *locorum quoque* per dittographiam natum, expulisse quod hic scriptum erat, *quidem*. Corrige: *Et cum Cerialis alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quidem molem Iulius Frontinus*. Doed.

quantum licebat] Scil. per tempora virtutibus infesta et *quibus non minus periculum ex magna fama veniret quam ex mala*. Creditur autem idem ille fuisse Frontinus, cuius Strategemata supersunt.

C. 18. *uterentur* ex Va. Sensus est: cum milites omissione, quam falso putabant, expeditionis, vel rerum statu, quo expeditio velut omissa erat, ad securitatem uterentur. Frequens haec structura participii apud Tacitum, cum praesertim *omissionis* nomen esset inusitatum. At edd. ex AE. *verterentur*.

et, *quibus . . volentibus erat* ex Vatt. Dronkius. Nempe non ad spem sed ad expectationem erecta est provincia, partim timentes bellum, partim cupientes, omnes autem communiter suspensi animis; ex quibus qui volebant bellum probare exemplum. Sed edd. ex AE. *ut quibus*, eodem sensu quo Ann. I, 59. *Fama excepti Segestis vulgata*, *ut qui-*

bare exemplum ac recentis legati animum opperiri, cum Agricola, quanquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. caesaque prope universa gente non ignarus instandum famae ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis,

cum Agricola Dronkius ex Vatt. At AE. *Tum Agricola.*

terrorem ceteris fore U. Beckerus et Peerlkampius ex Vatt. coll. Hist. II, 20. *Gnarus ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* At *ceteris* masculinum est, scil. Britannis, ad quos haec expeditio non pertineret. At AE. exhibent: *prout prima cessissent, fore universa*, sensu probo, si *fore* pro infinitivo verbi non *esse* sed *fieri* accipietur; quoniam *factum iri* inusitatum erat. Sed dittographia vocis *universa* ex superiore versu male repetitae in Vatt. et AE. traxit totius loci corruptelam. Doed.

busque bellum invitis aut cupientibus erat. Similiter Ann. II, 73. *Ut quis misericordia in Germanicum .. pronior, diversi interpretabantur.* Eius scripturae hic sensus est: Omnis provincia non quidem ad defectionem apertam, sed ad spem defectionis mentibus excitata est; pars manifestius pars tectius laudabat factum, pars suspensioribus animis, pars quietius expectabant, qualis futurus esset recens legatus. Doed.

transvecta aestas] Ut Hist. II, 76. *Abiit iam et transvectum est tempus.* Hor. Sat. II, 2, 82. *Sive diem festum rediens advexerit annus.* Walth.

numeri] I. e. cohortes ut Hist. I, 6. Dein *praesumpta . . quies* scil. spe, ex Virg. Aen. XI, 18. *Animis et spe praesumite bellum.* Sen. Ep. 107.

custodiri . . videbatur] Haec non sunt dicta pro *custodienda videbantur*, ut Walchius affirmat; sed infinitivus fungitur vice substantivi, *potius* adiectivi. Ann. XV, 20. *Emendari quam peccare posterius est.* Walth.

ipse ante agmen] Sall. Cat. 59. Caes. B. Gall. I, 25. Liv. III, 62.

erexit aciem] H. e. in arduum et illos montes duxit, unde degredi in aequum hostes noluerant; ut c. 36. Hist. III, 71.

ut in dubiis consiliis] Nimirum Agricola cum contra Ordovicas iret, non poterat non du-

naves deerant. ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est. sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset. 19. Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniu-

bius esse an Monam insulam mox aggrederetur. Nam res pendebat ex belli contra Ordovicas suscepti exitu. Quare ut in dubiis consiliis naves non paraverat ad expeditionem quippe incertam, unde factum est ut peracta contra Ordovicas expeditione cum instandum famae esset naves deessent. Walth. Ergo plena sententia haec est: ut in dubiis consiliis aliquid deesse solet, ita tunc naves deerant. At enim tunc cum naves deerant, in ipso freto, non iam *dubia* erant consilia. Quare suspicor: *Sed consiliis naves deerant*; *ut in dubiis*, *ratio et constantia ducis transvexit*, h. e. in discriminibus, *ἐν ἀπόροις*, ut Lucan. VI, 592. *Mens dubiis percussa pavet*. Doed.

auxiliarium] Ex Britannis nimirum; nam iis solis *vada nota*. Etiam c. 29. exercitui fortissimos ex Britannis et longa pace exploratos addit; coll. c. 32. Peerlk. Lipsius Germanos intellexerat. Ne hos quidem exclusos fuisse credo. Vid. Ann. XIV, 29. Et de Batavis Hist. IV, 12. *Erat et domi delectus* (scr. *delectatus*) *eques praecipuo nandi studio arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere*. Doed.

qui mare expectabant] Expectabant hostem venturum non a terra continenti per vada et freta inter Monam insulam et litus Britannicum sita, sed per vastum mare insulam circumfluens cum classe et navibus. Walth. Per anaphoram eandem notionem tribus nominibus significari docet Rothius.

nihil arduum] H. e. impossibile, ut Hor. C. I. 3, 37. *Nil mortalibus arduum est*.

officiorum ambitum] Dum ambitiosis provincialium officiis coli se volunt.

laureatis] Scil. litteris Romam missis victoriae annuntiandae. Liv. V, 28. Brodaei Miscell. I, 33.

riae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. a se suisque orsus primum domum suam coercuit; quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. nihil per libertos servosque publicae rei; non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare. omnia scire, non omnia exsequi. parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare; nec poena semper sed saepius paenitentia contentus esse. officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare cum peccassent. Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum

C. 19. *coercuit* Rhenanus. At AE. *coerat* vel *coerceat*. Put. *coerant*. Suspicor: *coercebat*.

fidelissimum ex AE. retinui. Nempe cum centuriones quempiam commendabant ut Vespasiani partibus faventem ac *fidelem*, eum favorem nihili faciebat Agricola, nisi morum probitas accederet, tanquam fides sine probitate esset nulla. At Vb. *fidissimum*. Doed.

praeponere Va. Vb. quod omittunt AE.

C. 19. *nihil per libertos*] Ut Cic. Phil. I, 2. *Nihil per senatum, multa et magna per populum.* Att. VI, 2. *Aditus autem ad me minime provinciales. Nihil per cubicularium!* Ernestius *agere* intrusit.

milites ascire] Sensu proprio *milites* dicuntur *legionarii*, distincti illi a *tironibus*, ut ex quibus legiones supplebantur. Et honos erat ex tironibus inter milites scil. legionarios asciscі. Hist. III, 50. *Ad has copias e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus optimus quisque asciti.* Eos igitur pro suapte notitia, quippe qui omnia sciret, eligebat, non ex indicio centurionum. Ex Walth.

exsequi] H. e. ulcisci, ut Liv. III, 25. V, 11. Suet. Caes. 67. Cal. 12.

severitatem commodare] Ut Stat. Theb. IV, 75. *Cui commodat iras cuncta cohors.* Ovid. Am. I, 8, 86. *Commodat illusis numina surda Venus.* Mox *paenitentia contentum esse* secundum Cic. Off. I, 11. *Atque haud scio an satis sit eum qui lacessierit iniuriae suae paenitere.*

nec poena semper] Infringunt vim et subtilitatem sententiae qui zeugma statuunt. Sensus est: Sicut ne poena quidem sola placabatur, nisi paenitentia et emendatio puniti simul appareret; ita vel sola paenitentia contentus erat, etiamsi nulla poena delictum esset expiatum. Doed.

tributorum auctionem] Suet. Vesp. 16. *Non contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse;* coll. Dion. C. LXVI, 8. Alii *exactionem* ex Va. et marg. Vb. receperunt. Porro Va. *inaequalitatem*.

mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac vendere pretio cogebantur. devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat paucis lucrosum fieret.

20. Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur.

vendere pretio scil. *certo*, constituto, editt. At Vatt. *ludere*. *proximis* Vatt. At AE. *a proximis*.

assidere clausis horreis] Nempe claudi solebant plena frumento provincialium horrea nescio quo praetextu, utique iniusto fortasse a decumanis. Interea dominus et sui ipse horrei aditu exclusus, expectare et quasi assidere debebat, donec per Romanos recluderetur, et sui frumenti usu privatus, non modo non vendere poterat abundantiam suam, sed etiam quotidianum familiae suae victum aliunde emere cogebatur; quarum utraque necessitatum adeo contra naturam imponebatur, ut prope a ludibrio abesset. Postremo, cum tandem reclusa erant horrea ac licebat vendere, tum vero certo statutoque a Romanis pretio vendere sua cogebantur, non ut liberis mercatoribus concessum est, tam care quam possent. Hoc enim sibi vult *ultro:* emere cogebantur id quod vendere poterant. Walchius *horrea* Romana intelligit, quoniam Britannis sua cuique privata horrea vix fuerint. Quidni fuisse credideris in provincia *frugum fecunda?* vid. c. 12. Alia et graviora contra Walchium monuit C. Rothius. Doed.

in remota et avia] Similia quaestuum sive rapinarum genera in provinciis excogitata fuerant etiam antiquiore aevo ab avaris magistratibus. Cic. Verr. III, 82. *Semper ad ultima ac difficiliora loca apportandum frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent;* coll. c. 84. Pich. Ceterum suspicor viam monstrante Wexio haec ita transponenda esse: *ut civitates quod omnibus in promptu erat, a proximis hibernis . . . deferrent, donec paucis lucrosum fieret.*

C. 20 *famam paci circumdedit*] Ut Dial. 37. *Verres accusatus hanc illi famam circumdedit*, coll. Hist. IV, 11. Isocr. Archid. p. 280. W. *μηδεὶς οὖν ὑμᾶς πείσῃ τοιαύταις αἰσχύναις τὴν πόλιν περιβαλεῖν*, coll. Lucian. Somn. 11. Walch.

vel intolerantia] H. e. superbia et omni regiminis duritia. Substantivum est, si sensum, non formam spectes, participii *intolerandus*, cuius comparativum ipse Tacitus format *intolerantior*, Ann. XI, 10. *Vir ingens gloria atque eo ferocior et subiectis intolerantior*, coll. III, 45. Flor. IV, 12. med. Latius paulo patet *intolerantiae* notio quam superbiae et insolentiae, ne ava-

832 Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coercere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare; et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis

ritia quidem excepta, vel quicquid vitiorum subiectis grave est. Igitur priores legati partim segnitie et indulgentia erga malos, partim sua ipsi malitia pacis bona corruperant. Rivius *vel tolerantia* induxerat. Hoc si voluisset Tacitus, *indulgentia* potius scripsisset; ac vel sic id vitium tam simile et cognatum segnitiae foret, ut parum recte haec duo vitia geminato *vel* distingui possent. In AE. alterum *vel* omissum. Doed.

multus in agmine] Ex Vb. et U. ascivi. Sall. Iug. 96. *Sulla .. in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse.* Flor. IV, 2, 50. *Multus in eo proelio Caesar fuit mediusque inter imperatorem et militem.* Nam plures duces per arrogantiam vel luxuriae causa seorsum ab agmine militum incedebant vel vehebantur. At AE. *multum*, eodem sensu. Cic. Fam. IV, 13. *Familiarissimi Caesaris . . multum mecum sunt.* Brut. 90. *Id faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius.* Rhenanus *militum* substituit.

laudare modestiam] Scil. modestorum et disciplinae obedientium. Deinde *disiectos* dicit vagantes.

locare . . ipse capere] In loco castris capiendo magna pars laudis imperatoriae cernebatur. Iam Plato commendabat mathematicam *πρὸς τὰς στρατοπεδεύσεις καὶ καταλήψεις χωρίων*, quo loco et utitur Theo Smyrn. Mathem. 1. Schel. in Hygin. p. 132. Casaub. in Spartian. Adrian. 10. Peerlkamp.

nihil .. quietum pati] Sallust. Iug. 88. *Marius .. nihil apud se remissum, nihil apud illos* (hostes) *tutum pati.*

quo minus . . popularetur] Pro usitatiore *quin;* ut c. 27. Ann. V, 5. *Nec ultra deliberatum, quo minus . . vi principis impediri testarentur.* Idem est ac si scripsisset: *sed subitis excursibus populabatur.* Vid. Ann. II, 10. 40.

irritamenta] Sensu prospero ut *invitamenta;* ut Hist. II, 62. *Irritamenta pacis.* Quintil. I, 1, 26. *Irritandae ad discendum infantiae.*

ex aequo egerant] H. e. liberae ac sui iuris fuerant ut Hist. IV, 64. *Aut ex aequo agetis aut aliis imperabitis.* Liv. VII, 30. Thuc. III, 11. *ἡμῖν ἀπὸ τοῦ ἴσου ὁμιλοῦντες.* Eam libertatem non clementia Romanorum sed proeliis haud dubie adversus Romanos tutati sunt, e quibus *aequo Marte* discesserant; unde eorum ira. Et hoc quidem in re potius quam in verbis inest. Walchius contra explicat vertitque: *welche mit Nachdruck bisher widerstanden*, coll. Hist. III, 9. *Tentatis levi proelio animis ex aequo discessum.*

diis castellisque circumdatae, et tanta ratione curaque ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.

21. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. namque ut homines dispersi ac rudes eoque bello faciles quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos et castigando segnes. Ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga; paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam: idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

22. Tertius expeditionum annus novas gentes ape- 833
ruit, vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. Qua formidine territi hostes quanquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non

C. 20. *et tanta* AE. et Vb. h. e. *et tanta quidem.* Rhenanus delevit *et.*

C. 21. *bello faciles*] H. e. ad bellum prompti, ut Ann. II, 27. *Iuvenis facilis inanibus.* At MSS. *in bello.* Suspicor cum Bosio et Walchio: *in bella faciles*, ut XIV, 4. *Facili feminarum credulitate ad gaudia.*

liberalibus artibus erudire] Sive ludos litterarios instituerat, sive sua ipse conversatione, philosophiae aliquando cultor, nobiles iuvenes iisdem studiis imbuebat.

ingenia . . anteferre] Nempe dicebat florere quidem Gallos eloquentiae fama, sed eam *labore ac studio* magis quam *bonitate ingenii* comparasse. Buchner.

C. 22. *gentes* et *nationibus* diserte h. l. distinguuntur, nedum *vastatis nationibus* illis iidem homines significentur qui per illas *apertas gentes.* Nempe postquam Britanniae *nationes* usque ad Taum vastando peragratae sunt, *novae gentes* a Britannis diversi in conspectu esse coeperunt, Caledoniae incolae. Nam *nationes* (*Völkerschaften*) unius *gentis* (*Völkerstammes*) partes sunt. Vid. Synon. Lat. T. V. p. 96. Doed.

ad Taum] Hodie *Frith of Tay.*

tempestatibus conflictatum] H. e. afflictum, defatigatum, ut Hist. III, 59. *Foeda hieme per*

ausi, ponendisque insuper castellis spatium fuit. Annotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse, nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum. Crebrae eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare tum aestate atque hiems iuxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; ut erat bonis comis, ita adversus malos iniucundus; ceterum ex iracundia nihil supererat secretum, ut silentium eius non timeres. Honestius putabat offendere quam odisse.

834 **23. Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta; ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, — inventus in ipsa Britannia terminus. Nam Clota et Bodotria diversi maris aestibus per im-**

C. 22. *ut silentium* ascivi ex Vatt. mutata distinctione. Nam vulgo: *ceterum . . nihil supererat; secretum et silentium eius non timeres.* In his quid esset *secretum* ambiguum fuit, utrum *solitudo* ut c. 39. *Secreto suo satiatus*, an *secreta colloquia* ut Ann. III, 8. XI, 30. Hist. IV, 49. Neutrum satis aptum est.

transitum Apennini conflictatus exercitus. Walchio pro *conflictantem* positum videtur.

nam . . firmabantur] Causa his redditur suppressae sententiae: *tantum a malo diutinae obsidionis aberant, ut ultro erumperent in circumiecta.* Nam *eruptiones* h. l. non sunt adversus obsidentes sed *excursiones*, ut Caes. B. Gall. VII, 7. *Eruptionem in provinciam facere contendit.* Sed fateor tanto contortiorem esse hanc explicationem, quanto aptius illa verba *nam . . firmabantur* continuo post *fuga desertum* legerentur. Quare traiectis duobus vocabulis cum Peerlkampio suspicor: *ac fuga desertum; nam . . firmabantur. Ita intrepida ibi hiems et sibi quisque praesidio. Crebrae eruptiones, irritis hostibus* etc. Doed.

seu centurio seu praefectus] Hoc dicit: sive humilior erat, centurio vel decurio, sive honestior, tribunus vel praefectus.

C. 23. *si . . pateretur —*] Apodosis supplenda: *acquievisset; nam inventus terminus erat.*

Clota et Bodotria] Hodie *Frith of Clyde* et *Frith of Forth.* Illud apud Ossianum Clutha. *U.* Becker.

mensum revectae angusto terrarum spatio dirimuntur; quod tum praesidiis firmabatur. Atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

24. Quinto expeditionum anno nave prima trans- 835
gressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis praeliis domuit; eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis in vicem usibus miscuerit. Spatium eius, si Britanniae

Ne quis vulgaris usus memor *nihil secreti* requirat, comparet Hist. I, 15. *In qua nihil praeteritum excusandum habes*. DOED.

revectae] Nam aestuaria illa aquas accipiunt e terra profluentes; maris aestu prohibentur eae quominus in oceanum se effundant; immo repelluntur et in continentem terram se insinuant. WALTH.

propior sinus] H. e. omnis Britannia, oppos. *remotiori sinui*, Caledoniae. Nam tota Britannia *sinus* vocatur utpote *μυχός* et terra extremo orbe terrarum sita, aditu difficilis, incognita, inculta, nullo sinuatae figurae respectu. Vid. in Germ. I, 29. 37. Quare puncto haec a praecc. separavi. Nam *firmabatur* narrantis est, quid Agricola fecerit postremum; *tenebatur* autem testantis, quae post haec omnia abhinc Britanniae fuerit conditio. DOED.

C. 24. *nave prima transgressus*] Scil. e Gallia in Britanniam (ut c. 18.), cum primum navigabilis veris initu erat oceanus et trahere coeperant siccas machinae carinas. Interim enim Romam vel aliquam continentis partem adierat, sicut Iulius Caesar ab hibernis Gallicis in Italiam quotannis discedere solitus erat, Caes. B. Gall. V, 1. Certum hoc ac non solum probabile foret, si Agricolam sine uxore sua in Britannia egisse constaret; nam *septimo* officii anno amisit filium *anno ante natum*, quem *quinto* officii anno generari necesse erat; vid. c. 29. At plerumque sane praefecti uxores secum in provincias ducebant; vid. Ann. III, 33. 34. Ergo iusto brevior fuit in narrando Tacitus, quod reditum Agricolae memoravit, de profectione autem eiusdem siluerat. At plurimi interpretes transgressum ex ipsa Britannia in Caledoniam existimant, classe sua usum. At enim classis proxima demum aestate *primum in partem virium assumpta est;* vid. c. 25. Et expectares vel *classe prima* vel *navibus primis*, non *nave prima*. Quodsi tamen *nave prima* in hostilem terram transgressus diceretur, ita foret intelligendum tanquam ipse in audaciae exemplum primus appulerit.

si quidem . . miscuerit] Sensus est: ut Hibernia Gallias Hispaniasque et Britanniam cum magnis et mutuis utilitatibus inter se coniungeret. Primum *si*

comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt; in melius aditus portusque, per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, et specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis de-

C. 24. *differt in melius* ex MSS. revocavi pro *differunt*, Rhenani commento. Ad extremum nomen *cultus* singulari numero verbum relatum est, ut Ann. IV, 49. *Quos vulnera*, *quos sitis peremerat*, coll. II, 69. Hist. II, 78. Germ. 27.

quidem divisim scripsi ut esset: *et quidem ut*, seq. aoristo coniunctivi, ut Ann. I, 58. *Simul genti Germanorum idoneus conciliator*, *si poenitentiam quam perniciem maluerit;* coll. XIII. 40. Vulgo *siquidem* editur h. e. *quoniam*. At si non consilium Agricolae, sed persuasio significaretur, requirerem utique *mixtura esset*. Per *valentissimam imperii partem* proprie Hispaniae Galliaeque intelliguntur; Hist. III, 53. *Gallias Hispaniasque validissimam terrarum partem*, sive ob ipsarum provinciarum opulentiam et vires hominum inexhaustas, sive propter exercituum ibi agentium robur; nunc illis Britannia annumeratur, easdem ob causas. Porro *miscere* de commercio et necessitudinibus dictum ut Ann. XI, 24. *Mixti artibus*, *moribus*, *necessitudinibus nostris* Hist. I, 9. *Nec vitiis nec viribus miscebantur;* nisi quod nostro loco *usibus* non ablativus est sed dativus, pro *in usus*, cum utilitate. Cic. N. D. II, 60. *Arborum consectio magnos usus affert ad navigia facienda*. DOED.

solum coelumque . . cogniti] Sensus est: Hibernia, ceteroquin similis Britanniae, hoc praestat, quod adeuntibus et peregrinis faciliorem se praebet et ad commercia aptiorem, ut per negotiatores cognitum est. Vid. Caes. B. Gall. IV, 20. Nam post *portusque* commate incidi, ut ad *in melius* cogitatione repeteretur *differunt*. Sed *differre in melius* non minus bene dicitur quam Hist. III, 7. *Desiderata diu res in maius accipitur*, h. e. ut maior haberetur; coll. c. 38. Ann. XIV, 39. Lucan. VI, 60. Plin. Ep. IX, 39. Nos: *sich zu seinem Vortheil unterscheiden*. Alii post *in melius* demum distinxere; tam verbis dure coniunctis, *haud multum differre in melius*, quam sententia non probabili, siquidem nec Britannos adeo degeneres nec Britanniam adeo foedam descripserat Tacitus, ut nunc tali iudicio locus esset, nedum sic argumentis nudato. Nam quibus in rebus praestaret Hibernia, significandum erat, praesertim de natione tam parum Romanis nota. Denique Rittero lacunosa videntur verba *in melius*; quae ingeniose quidem explet: *In*teriora parum explorata; *melius . . cogniti*. DOED.

Saepe ex eo] Scil. regulo, ut visum est Passovio. Nam nulla alia de causa reguli retenti mentionem fecerat, nisi ut eius auctoritate de obtinenda Hibernia uteretur. Ergo in Britannia ipsum fuisse Tacitum probabile est. Sin

bellari obtinerique Hiberniam posse; idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma et velut e conspectu libertas tolleretur.

25. Ceterum aestate, qua sextum officii annum 836
inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit, quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur; egregia specie, cum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac saepe isdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum et montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos

C. 25. *hostilis exercitus* cum Dronkio revocavi. *Infesta itinera* sunt invasiones. Edd. cum Rhenano *hostili exercitu*, ut intelligantur viae ab hostibus infestatae et intutae.

cum Walchio ad Agricolam ipsum referretur *ex eo*, prorsus otiosa foret reguli mentio. Nec ipsum Agricolam qui Hiberniam nunquam intrasset, tam confidenter de ea insula iudicaturum fuisse credibile est. Quodsi ipsum Tacitum in Britanniam nunquam transgressum esse pro certo constaret, cum Peerlkampio *audivit* emendare quam Walchium sequi mallem. Doed.

C. 25. *amplexus* Broterius ex Vatt. scil. *bello*, ut plene c. 17. *Magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello.* At AE. *amplas.*

primum] H. e. tum primum. Nam adhuc classis feriata erat.

bellum impelleretur Rhenanus: h. e. commoveretur, incitaretur; ut Lucan. V, 330. *Impulsi tantum quae praemia belli auferat.* Virg. Aen. VIII, 5. *Utque acres* (Turnus) *concussit equos utque impulit arma;* coll. Lucan. VII, 16. Ovid. Met. XII, 571. At MSS. *impellitur.*

copiis et laetitia] H. e. dum demensa sua quisque cibaria conferunt et hilariter convivantur. Nam ad *alimenta* referendum est *copiae* ut Hist. III, 15. IV, 22, non ad *milites*, ut Bachio videtur: *in heiteren Gruppen unter einander gemischt.* Doed.

silvarum . . profunda] De densitate et vastitate, ut Lucr. V, 42. *Per . . magnos montes silvasque profundas*, coll. Curt. VII, 7, 4. Ac *montium profunda* de altitudine, ut Virg. G. IV, 222. *Coelumque profundum*, coll. Valer. Fl. VII. 478.

victus oceanus ex Vatt. Dronkius. At AE. *auctus oceanus*, h. e. quod oceanum ante Romanis subiectum nova oceani parte auxissent, itaque fines imperii promovissent; tanquam dum portus explorarent, venissent, vidissent, vicissent. Similiter c. 14.

quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tanquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro, castella adorti metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant, cum interim cognoscit hostes pluribus agminibus irrupturos. ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit. 26. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque

C. 26. *pugnabatur* ex Vb. recepi. Edd. *pugnabant.*

Quo fama aucti officii quaereretur. Alii *tempestatibus tumefactum* intelligunt, ut Sall. Fr. *Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari et vento glicente*, coll. Tac. Ann. I, 76. Perperam, quoniam praecessere *tempestatum et fluctuum adversa.* Nihil tautologiae relinquendum in Tacito. Primum *casus* suos et quae *toleraverunt* iactant milites, montium profunda et fluctuum adversa; deinde *facta* et quae *gesserunt;* hinc hostem terrestribus proeliis fugatum, illinc imperium Romanum mari auctum. Doed.

oppugnasse ultro ex nomine *fama* pendere creditur, ut H. III, 68. *Quem non illa commoveret facies, Romanum principem exire de imperio.* Sed tamen laborat locus. Utram enim causam *maioris famae* fuisse dicit Tacitus? quod *ignoti* erant Caledonii? an quod *ultro* oppugnarant? Coniungere has duas tamque diversas causas vix poterat. Porro non apte verbis *oppugnasse ultro* id anticipatur, quod modo narrandum est *castella adorti.* In promptu est corrigere cum Rhenano: *oppugnare ultro castella adorti*, ut Nep. Thrasyb. 2, 5. *Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti*, nisi potius loco mota sunt illa verba. Suspicor: *maiore fama uti mos est de ignotis, castella adorti metum ut provocantes addiderant; oppugnasse ultro! regrediendumque .. admonebant.* Est exclamatio quaedam paventium, quos seqq. verbis perstringit. Nam nihil hac voce terribilius ac detestabilius Romano. Hist. IV, 23. *Neque Augustus crediderat .. unquam id malorum, ut oppugnatum ultro nostras legiones venirent.* Doed.

assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adiici clamorem. et propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni, et Romanis redit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere; et fuit atrox in ipsis portarum angustiis praelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, intulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. 27. Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium, penetrandum Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo praeliorum cursu fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. iniquissima haec bellorum condicio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni non virtute sed occasione et arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quo

erupere Dronkius ex Vatt. Triplex distinguitur Romani militis pugna; primum *se defendere* satis habebat; deinde *irrumpere* coepit in hostem, ut castris expelleret; postremo *erumpere*, ut expulsum ultro persequeretur. At AE. *irrupere*.

intulisse Rothius ex Vb. ut Caes. B. Gall. II, 25. *Spe illata militibus*. Supplendum est *ut* ex seq. *ne*. At AE. *ut tulisse*.

C. 27. *conscientia* U. Beckerus ex Vatt. coll. Ann. XIII, 31. At AE. *constantia ac fama*, quod explicat Walchius per *constanti fama*, coll. Ann. VI, 30. et Hist. I, 66. Sed ibi *constans fama* vel *rumor* contraria est *famae incertae* vel post breve vanescenti. Tali autem epitheto nullus hic locus. Praeferrem certe interpretationem in solum venientem: „Et fama tam constanter reportatae victoriae fretus."

penetrandum ex Vb. recepi; ad *Caledoniam* aut supplendum est *in* aut addendum. Edd. *penetrandam*, perperam; nam *intranda* etiamtum interim erat.

adversa uni ex Vatt. At AE. *adversa cum*.

securi pro salute] Ut Hist. IV, 58. *Pro me securior*. Acidalius praepositiones *pro* et *de* sedes suas commutare inter se iusserat.

C. 27. *arte ducis*] Scil. factum esse vel evenisse quod in castris nonae legionis accidisset; ut Hist. II, 19. *Spurinna .. non tam culpam exprobrans quam ratione* (scil. *factum esse*) *ostendens*. Et c. 95. *Abunde ratus si praesentibus frueretur*. Excusant Britanni unam suam cladem et quasi obloquuntur Romano militi, iactanti, *nihil virtuti suae invium*. Sin corruptela subsit,

minus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrinque animis discessum.

28. Eadem aestate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas

suspicabor cum Grutero: *arte ducis superati*, coll. Hist. II, 76. *Nec Othonem ducis arte sed praepropera ipsius desperatione victum*, et c. 44. Caes. B. Gall. I, 40. VII, 29. Nam agnoscit ipse Tacitus *virtutem* hostium, vel postmodo c. 37. *Aliquando etiam victis ira virtusque*: neque *arrogantiam* iis tribuit tanquam vanis, sed tanquam confidentibus et pervicacibus, quo nos sensu *Stolz* dicimus. Walchius *arte ducis elusos*, Ritterus *arte fusos*. Doed.

C. 28. *cohors Usipiorum*] De iisdem Dio C. LXVI, 20. *στρατιῶταί τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρχόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον· καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε· καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσσχόντες.* Nempe per *τὰ πρὸς ἑσπέραν* intelligenda meridionalis Britanniae pars longius in occidentem procurrens, quae hodie *Cornwall.* Ergo fuerunt hi Usipii, ut monuit Broterius, ex illis *copiis quibus Agricola eam partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, instruxerat*, c. 24. Hinc fugientes ac patriam petentes primum meridiem versus, deinde superata Cornuvia circumvecti in orientem flexerunt, donec per fretum Gallicum in Germaniam pervenerunt. Sed suam, ut videtur casu vel inscitia, praetervecti patriam ad Suevorum trans Albim colentium litus appulerunt vel amissis navibus adnaverunt. Nam *proximi Cattis certum iam alveo Rhenum . . Usipii et Tencteres colunt*, Germ. 32. Non memoravit Tacitus unde et quo versus provecti essent. Aufugerunt, circumvecti sunt, ad Suevos pervenerunt. Reliqua sagacitati legentium relinquuntur. Statio Usipiorum aut in orientali aut in occidentali latere Britanniae fuit. Fac in orientali fuerit. Iam primum certum est, eos inde non septentrionem versus navigasse, si quidem suam in patriam quasi in conspectu positam redire cupiebant. Ergo meridiem statim petierint! Sed ea via si in Germaniam et voluerunt pervenire et pervenerunt, non potuere circumvehi Britanniam, id quod tamen fecere. Ergo ab occidentali latere aufugisse necessarium est. Inde rursus vel septentrionalem vel meridionalem partem poterant circumvehi. Quodsi septentrionalem circumvecti essent, inde consequeretur ipsos, non classem Romanam, primos omnium circumvectas esse; nec causa fingi potest tam miri et temerarii fugientium incepti. Ergo nulla restat via praeter eam qua nos fugisse et erravisse statuimus. Doed.

adactis per vim gubernatoribus ascendere; et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum volgato rumore ut miraculum provehebantur. mox hac atque illa rapti, et cum plerisque Britannorum sua defensantium praelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. ac fuere quos per commercia venumdatos, et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

29. Initio aestatis Agricola domestico volnere 837

C. 28. *mox hac . . et cum* Rhenanus. At AE. et Vb. *mox ad aquam atque ut illa raptis secum.* Alii aliter locum desperatum tentavere. Suspicor partim Sellingio duce tale quidpiam: *Mox ad aquam* (scil. hauriendam) *egressi atque vi alia raptantes cum plerisque . . proelio congressi.* An potius illud ipsum quod intrusi *egressi* ex seq. *congressi* licet mutuari? audaci sane brachylogia, non tamen incredibili. DOED.

exemplum et rectores] Vopisc. Tac. 4. *Membra quae ad exemplum docendi militis frequenter equitare valeant.* Hinc *doctores cohortis* et serius *campidoctores* et *armidoctores.* Salmas. in Vopisci Aurel. 23. PEERLK.

remigante Vb. *remigrante* edd. vett. Utrumque difficultatem habet. Nam *uno remigrante* potest sane dici sensu perfecto pro *postquam unus remigravit*, non potest de eo qui per vim adactus vel secreto itineris vel pedum pernicitate aufugit; nam lentitudinis et securitatis aliquid habet migratio. Rursus *uno remigante* vix recte dicitur de gubernatore. Suspicor: *uno regente*, ut infra *per inscitiam regendi.* Nempe unus qui superstes erat gubernator tres simul naves regebat, remulco quippe tractis duabus. Id ipsum adeo rarum et audax, ut pro miraculo esset. Tam manca et lubrica trium navium gubernatio in causa erat cur mox universae amitterentur. DOED.

provehebantur ex AE. restitui, scil. in altum ut Virg. Aen. III, 72. *Provehimur portu; terraeque urbesque recedunt.* Nam altum fugitivis statim petendum erat, ut e conspectu relictorum venirent. Edd. ex marg. Vb. *praevehebantur*, h. e. litus legebant, ut Hist. V, 23. DOED.

a Suevis] Intellige Anglos et Aviones, qui trans Albim siti ad mare occidentale pertinuisse videntur. Germ. 40. WALTH. Inde dum per Frisiorum fines ad suam Usipii civitatem penetrare conantur, a Frisiis intercepti sunt, quotquot Suevos evaserant superstites.

ictus anno ante natum filium amisit. quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit: et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium pervenit, quem iam hostes insederant. Nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus et quibus cruda et viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, cum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem praelium poscentem in hunc modum locutus fertur. 30. „Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniae fore. nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. Ita praelium atque arma, quae fortibus ho-

C. 29. *ictus . . amisit*] Una enunciatione complexus est, quod ex vulgari ratione duabus significandum erat: ictus est quod omisit. Ann. III, 19. *Pollicitus monuit.* Et c. 42. *Florus . . victores frustratus . . sua manu cecidit.* Eum breviloquentiae usum qui ignorabant, post *ictus* colo distinxerunt.

ambitiose] Ut Stoicae constantiae et *ἀπαθείας* gloriam quaereret. Quintil. VI. pr. 7. *Mihi filius minor quintum egressus annum prior alterum ex duobus eruit lumen. Non sum ambitiosus in malis nec augere lacrimarum causas volo.* Nempe violenta lacrimarum repressio nova doloris causa est.

Grampium] Hodie *Grampian*, Scotice *Grantzbaine.*

cruda et viridis senectus] Ex Virg. A. VI, 304. *Sed cruda deo viridisque senectus;* ad Homericum *ὠμογέρων.*

decora gestantes] Sive avita ob generis nobilitatem, sive ob virtutem tributa, sive ex interfecto hoste rapta. Walth.

C. 30. *nullae ultra terrae*] Scil. securae sunt. Quare comma post *terrae* sustuli. Doed.

praelium atque arma] Rhe-

nesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniae patet. Atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et

C. 30. *contactu* Rhenanus. At MSS. *contractu*.

torice coniuncta ut Hist. II, 1. Liv. III, 69. Virg. Aen. VII, 235.

Priores pugnae .. habebant] Audacter ad ipsas *pugnas* translatum est, quod *Britanni* in illis pugnis vel post eas speraverant; ut Germ. 20. *Donec virtus agnoscat.* Ad *spem* expectares *positam* ut Liv. XXX, 23. *Et Scipionem in eo positam habuisse spem pacis.* Id num Tacitus an librarii omiserint, ambigi poterit. Doed.

nobilissimi .. penetralibus siti] Caes. B. Gall. V, 12. *Interior pars ab iis colitur, quos natos in insula ipsa memoriae proditur.* Aborigiuum igitur gloriam sibi vindicant. In penetralibus autem praestantissima quaeque (*κειμήλια*) poni solebant. Walth. Ovid. Trist. IV, 4, 83. *Haec igitur regio magni penetralia mundi*, ubi Burmannus praetulit *pars altera*. Peerlk.

servientium litora] Gallorum, Belgarum, Batavorum.

terrarum .. extremos] Ut Hor. Carm. I, 35, 30. *Serves iturum Caesarem in ultimos orbis Britannos!*

famae] Dativus est pro *contra famam*, sic ut c. 35. *firmus adversis* eodem sensu quo Hist. IV, 5. *firmior adversus fortuita.* Et Germ. 16. *Suffugium hiemi.* Ann. VI, 30. *Publicum sibi odium.* Nam alienum est quod comparant Virg. Ecl. VII, 47. *Solstitium pecori defendite.* Aptius conferes Hor. A. P. 64. *Receptus terra Neptunus classes aquilonibus arcet.* Per *famam* autem h. l. non *gloria*, utique illa optabilis, intelligitur, sed *notitia* saepe exitiosa. Nam *maior ignotarum rerum est terror. Bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias:* Liv. XXVIII, 44. Sequentia, transpositione fortuita turbata, hoc ordine annectenda sunt suadente Broterio: *Nos .. famae defendit; atque omne ignotum pro magnifico est! Sed nunc terminus Britanniae patet; nulla iam ultra gens* etc. Quod latemus, inquit, ac bene latemus, id ipsum pro magnifico est. Qui enim fama apud omnes florent perpetratis rebus egregiis, in iis nihil reconditarum virium quaeritur ex iisque nihil quod spem hominum exsuperet expectatur; de intentata autem nobilitate plus etiam vel sperandum vel metuendum est. Expressam putes Niciae sententiam apud Thuc. VI, 11. *τὰ γὰρ διὰ πλείστου πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα.* Doed.

saxa et infestiores Romani; quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur; si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi (quos non Oriens, non Occidens satiaverit): soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. 31. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per delectus alibi servituri auferuntur: coniuges sororesque, etsi hostilem lubidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunasque in tributum aggerant, annos in frumentum. Corpora ipsa ac manus silvis ac pa-

infestiores ex Vatt. Broterius. At AE. *inferiores;* ex quo Lipsius eruit *iis feriores;* specie probabiliter, nisi quod *ferior* non saepius me legere memini quam *novior*. Caesar quidem B. Gall. II, 5. *maxime feri* praetulit formae superlativi.

cuncta . . terrae Rhenanus. At AE. *cunctis . . terram.* Vb. *cuncta . . terram.*

ambitiosi] H. e. sola gloriolae aviditate compulsi. Porro distinctionem mutavi, ut haec verba artius cum seqq. *soli . . concupiscunt* copularentur. Nam adhuc post *satiaverit* plene interpungebatur. Aptius etiam ea quae parenthesin feci, *quos non oriens . . satiaverit*, supra legerentur post *Raptores orbis*. Similiter in Sallust. Fr. IV. Mithridates in Epist. ad Arsacen: *An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem oceanus fecit, arma huc convertisse?*

C. 31. *per delectus alibi servituri*] Ut Ann. IV, 45. *Sugambra cohors* in Thracia agens commemoratur. Hist. II, 57. Vitellius in Germania *e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit.*

in tributum aggerant] H. e. ut pro tributo sint; *annos in frumentum*, ut frumenti vel decumani vel imperati nomine penes ipsos sint. Nam *annus* est proventus anni, ut Germ. 14. *Nec arare terram et expectare annum tam facile persuaseris.* Lucan. III, 452. *Agricolae raptum flevere iuvencis annum.* Etiam pluraliter Colum. II, 10, 1. *Si sterilitas annorum* (all. *annonae*) *incessit hominibus.* At MSS. corrupte, *Bona fortuna quae in tributum agerat annus; in frumentum*, partim a Rhenano, partim ab Walchio, partim a nobis correcta. Lenius etiam Waltherus: *Bona fortunaeque in tributum aggerata*, annus, in frumentum. Quin etiam *fortuna* retinere poterat singularem, quo *opes* significantur ab Corn. Nep. Alc. 9. Suet. Caes. 65. Ner. 2. Sed tempus in *aggerata* probari nequit. Doed.

ludibus emuniendis verbera inter ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum et conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas et secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti, et libertatem non in praesentiam laturi, primo statim congressu

C. 31. *arva* Rhenanus ut Vb. Caes. B. Gall. V, 14. *Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt.* At AE. *arma*, quod utcunque possit defendi; *bella*, quae cum nos domiti erimus, nulla supererunt.

ultro . . aluntur] H. e. tantum abest ut alant dominos, ut ultro alantur ab dominis. Opposita sunt *veneunt* (h. e. *venduntur*) et *eruit* scil. tributis; porro *aluntur* et *pascit*, scil. frumento; denique *semel* et *quotidie*. Hinc expressa putant verba Salvian. VI. extr. *Omnes captivi cum semel redempti fuerint, libertate potiuntur; nos semper redimimur et nunquam liberi sumus.* Et Dio C. LXII, 3. *πόσῳ κρεῖττον ἦν ἅπαξ τισὶ πεπρᾶσθαι μᾶλλον ἢ μετὰ κενῶν ἐλευθερίας ὀνομάτων κατ᾽ ἔτος λυτροῦσθαι.*

in excidium petimur] Non ea sunt quae post protasin comparationis expectare licebat. Nempe ea suppressit quae protasi proprie responsura erant, ne nimio plus perspicuitati tribuere videretur, si plene scriberet: *'sic . . novi nos ceteris pridem servientibus ludibrio erimus; et viles in excidium petimur.* Possis hoc ipsum declarare colo post *novi nos* ponendo. Sed quod reliquimus, Tacito convenientius est. Doed.

portus] Ad remigum laborem referendum. Nam portus exercentur navibus.

Brigantes femina duce] Boadicea: vid. Ann. XIV, 31. Non nominantur quidem illic Brigantes inter rebelles, sed nihil tamen obstat quominus hos quoque cum Icenis, Trinobantibus, *aliis nondum servitio fractis libertatem resumpsisse.* Hos quam Trinobantes nominare mavult Calgacus ut proximos et finitimos. Cambdenius *Trinobantes* substituerat. Doed.

non in praesentiam laturi] Supple: *sed in perpetuum retenturi.* Cum Brigantibus enim

unde ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit? 32. An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi discessionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent; nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis. Metus et terror est, infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt. nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria, aut alia est. paucos numero, [circum] trepidos

C. 32. *circum trepidos* coniungi nequit. Dele cum Huetio *circum* ut dittographia ex seq. *circumspectantes* natum. Doed.

se comparat Calgacus, qui non nisi in paucos dies iugum exuerint, paulo post rursum servituri. Plene Livius XXX, 32: *Arma expedirent milites animosque ad supremum certamen, non in unum diem sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores.* Porro *laturi* pro *reportaturi*, ut Ann. XV, 62. *Famam constantis amicitiae laturos;* coll. Hist. III, 19. Denique *in praesentiam* nove dictum, pro vulgari *in praesens, für den nächsten Augenblick*, vel *in praesentia* ut Liv. VII, 27. *Duplici frumento in perpetuum, in praesentia singulis bobus donati.* Olim conieci *impraesentiarum* ut Ann. IV, 59. Ceterum AE. et Va. *et in libertatem*, praepositionis dittographia; et Vb. *poenitentiam* pro *praesentiam* exhibet. Emendavit Rhenanus. Doed.

unde ostendamus] Sic AE. sine sensu. Suspicor: *primo statim congressu, uno die ostendamus;* ut c. 34. *Addite quinquaginta annis magnum diem.* Thuc. VI, 16. *Λακεδαιμονίους ἐς μίαν ἡμέραν κατέστησα ἐν Μαντινείᾳ περὶ τῶν ἁπάντων ἀγωνίσασθαι.* Similiter Hist. V, 20. *uno die* corruptum in *modis*. In Vb. *unde* omissum, cum damno non quidem sententiae sed ornatus. Doed.

C. 32. *commodent* Rhenanus, ut Liv. XXXV, 12. *Ne suas vires aliis eas commodando minuant.* At Vatt. *commendent*, Walthero aliisque probatum, significatione *tradendi*, ut Hirt. B. Afr. 34.

accendunt] Vid. Germ. 7. *Mulieres Germanis hortamina pugnantibus gestant.*

aut nulla . . aut alia] Sensus est: Pauci in castris Romanis cives Romani sunt, qui sua pro patria pugnent; ceteri aut convenae, extorres, fugitivi sunt, quibus *nulla* patria; aut socii, auxiliares, subiecti, qui pro *aliena*

ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas ignota omnia circum spectantes, clausos quodammodo ac vinctos di nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque volnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. agnoscent Britanni suam causam, recordabuntur Galli priorem libertatem; deserent illos ceteri Germani, tanquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis. vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate."

33. Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, can-

di nobis Lipsius, ut Liv. XXX, 12. 30. At MSS. *alii nobis.*

recordabuntur Rhenanus. At AE. *recordabunt.*

perferre Oberlin. ex Vb. At AE. *proferre*, h. e. continuare, multo deterius; primum quod *ultio* strictius opponitur *perlationi* quam *prolationi*, deinde quod hi ne inceperant quidem servire. Doed.

C. 33. *ut barbaris moris* ex Vatt. ascivi, scil. est; vid. Hist. I, 15. *Ut moris est*, coll. c. 56. Ann. I, 35. 56. IV, 39. Germ. 21. Agr. 39. 42. At AE. *et barbari moris*, asyndeti forma inaudita.

patria bellare coguntur. Multi aut fuere in Romano exercitu aut esse finguntur ab hostili oratore; querente etiam Tiberio Ann. IV, 5. *Voluntarium militem deesse; ac si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant.* Plutarch. Tib. Gracch. 9.

ignorantia, locorum. Mox *circum spectantes* divisim scripsi, ut *ignota omnia* praedicatum esset accusativorum, non appositio, et *circum* pro adverbio, ut Ann. XIV, 47. *Adulantibus circum.* Doed.

manus] Non catervas, sed lacertos pro nobis pugnaturos pariter ac si nostri lacerti essent. — *suam causam* scil. esse quae agatur, non nostram tantum.

tanquam nuper Usipii] Vid. c. 28. Et *tanquam* non simpliciter pro *velut* positum, sed pro *tam certo quam*, ut Ter. Phorm. I, 2, 14. *Nostin eius natum Phaedriam? Dav. Tanquam te!* coll. Cic. Att. VI, 1.

inter male . . municipia] H. e. municipia quorum incolae partim male parent partim iniuste imperant. Vid. in Hist. I, 1. — *aegra* de iis quae invalida sunt, ut Ann. XI, 23. *Non adeo aegram Italiam ut senatum suppeditare urbi suae nequiret.*

in hoc campo] Scil. *positum*

tu, fremitu et clamoribus dissonis. iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu; simul instruebatur acies: cum Agricola quanquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus ita disseruit. „Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot praeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis paenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama

munimentis edd. ex Va. et U. At Vb. et AE. *monitis.*

accendendum Broterius ex Vb. et U. ut Hist. I, 36. *Quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus.* Liv. XXI, 45. *Cum instare certamen cerneret, nihil unquam satis dictum praemonitumque ad cohortandos milites ratus.* At AE. omittunt; unde Grotius pro *adhuc ratus* coniecit *adhortatus*, h. e. adhortans, ut Hist. II, 96. *Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus.*

procursu] Malim *procursus.* Nec enim procurrentium tantummodo arma fulsisse credo, sed cum desiisset Calgacus, primum in agmina vel catervas discessit turba audientium, deinde arma expediebant, postremo audacissimi procurrebant. Doed.

est; ut Graeci *ἐν ἐμοί*, i. e. *penes me.* Infinitivus cum disiunctiva particula loco interrogationis: *utrum perferatis an ulciscamini;* ut Hor. Epist. I, 11, 3. *Smyrna quid et Colophon? maiora minorave fama?* Similiter Soph. El. 318. *τοῦ κασιγνήτου τί φῄς; ἥξοντος ἢ μέλλοντος;* pro *εἰ ἥξει ἢ μέλλει;* coll. Hom. Od. XVII, 115.

fremitu] Eodem, opinor, quo Germani utebantur, *fracto murmure obiectis ad os scutis* (Germ. 3.), qua re et ipsa *Germanicam originem asseverant*, Agr. 11. Doed.

agmina . . fulgores] Scil. apparuere, ut c. 17. *Ubi Vespasianus Britanniam recuperavit, magni duces.*

instruebatur Beckerus ex Vatt. At AE. *instruebantur*, perperam; nam Romanorum adhuc *munimentis coercitorum* nulladum fuit acies, de qua c. 38. demum sermo fit.

Octavus annus] Et tamen septimus tantum annus muneris sui agebatur, ut praecc. probant. Savil. Unde numerat? ab introitu suo in provinciam, et ad res suas aptat. Lips.

expeditionibus et *praeliis* ablativi temporis sunt, cum *paenituit* coniungendi, non ex *opus fuit* pendentes.

fama nec rumore sed castris et armis tenemus. inventa Britannia et subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: „Quando dabitur hostis, quando acies?“ Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto; omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa. nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, item fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas et decus eodem

voces ex Vatt. At AE. *vocem* vel *voce*.

quando acies Rhenanus. At AE. *quando animus?* defendente Sellingio et explicante: *quando licebit animum explere?* coll. Ann. VI. *Defensio dabatur*, h. e. indulgebatur. „Ad prius *quando dabitur hostis?* Agricola respondet: *veniunt e latebris suis extrusi!* ad posterius *quando animus?* respondet: *vota virtusque in aperto!*“ Speciosa haec; nec incredibilis ita praegnans nominis *animus* usus, ut concinnitati consuleretur post unum illud nomen *hostis*. Sin tamen audacius iusto hoc videatur, corrigere licebit: *quando animi usus?* ad similitudinem locutionis *se uti*. DOED.

item fugientibus ut Cic. Orat. I, 26. *Nihil est quod cogat homines sicut in foro non bonos oratores, item in theatro malos actores perpeti;* coll. Sall. Iug. 51. Rhenanus *ita* substituit „ut stet comparatio.“ Utrumque probum, prout emphasin addere vult adverbio aut non vult; *ita* simpliciter est *pariter*, sed *item* est *pariter ac non minus*. DOED.

prona victoribus] Ut Sallust. Cat. 31. *Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient.*

in frontem] H. e. fronti, frontem ostendenti, opp. fugientibus, h. e. tergo, ut Ann. II, 59. *Multaque grata in vulgus usurpavit.* Et II, 39. *Forma haud dissimili in dominum erat.* Nam *frons* est *acies quae adversus hostem spectat*, Veget. III, 14. Ex WALCH.

terga tuta esse] Non de illo tempore vel de suo statu haec dicta sunt, sed generaliter, ut Sall. Cat. 61. *Nam in fuga salutem sperare, cum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est.*

loco sita sunt. Nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse. 34. Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; no-

Nec inglorium fuerit] Simili sententia de avunculo suo Plin. Ep. VI, 16. *Quamvis pulcherrimarum clade terrarum ut populi ut urbes memorabili casu quasi semper victurus occiderit.*

C. 34. *unam legionem*] Nonam; vid. cap. 26. — *furto noctis*] Liv. XXVI, 51. *Necopinato adventu et prope furto unius diei urbem unam Hispaniae interceptam.* Curt. IV, 13, 9. *Meae gloriae . . furtum noctis obstare non patiar. clamore* scil. solo, *αὐτοβοεί.*

ceterorum fugacissimi] Coaluit haec structura ex duabus, ex *ceteris fugaciores*, et, *omnium fugacissimi;* Graeco more. Plin. H. N. XXXIV, 3. *Ostracitis tota nigra et ceterarum sordidissima.* Macrob. Sat. VII, 8. *Aegyptum regionum aliarum calidissimam.*

Quomodo silras . . ruere] Ex Hom. Il. XXI, 573. ἠΰτε πάρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον, οὐδέ τι θυμῷ ταρβεῖ οὐδὲ φοβεῖται, ἐπεί κεν ὑλαγμὸν ἀκούσῃ. Ex Vatt. recepi *contra ruere*, qui est infinitivus historicus ad praesens tempus translatus, ut Germ. 7. *Unde feminarum ululatus audiri;* coll. Dial. 29. Sellingio quidem *ruere* tertia persona perfecti visum est, vel aoristi potius vi praesentis, quem contra Ritterus monuit pluralem verbi tum demum ad *quisque* referri posse, cum substantivi loco *quisque* esset, non si additum substantivum, ut nunc *animal.* Rhenanus pro *ruere* ediderat *robore*, oppos. *ipso sono*, scil. *caeduntur*, quod per zeugma intelligendum esset ex seq. *pelluntur.* Id vero si voluisset Tacitus, *vi* vel *ferro* vel *vulnere* vel quidlibet potius usurpasset quam *robore*, quoniam *robur* ad resistendum duntaxat valet, non item ad aggrediendum. — In AE. et Va. *ruere* omisso *contra;* si vere, *ruere* pro *irruere* dictum ut Hist. II, 18. *Ultro ruere*, coll. Ann. VI, 34. Doed.

numerus] Ut alibi *multitudo*, praegnanter dictum opp. *robori*, *delectis*, ut in Horatiano: *Nos numerus sumus et fruges consumere nati.*

non restiterunt . . sunt] Distinguitur *invenire* inter et *deprehendere*, simili acumine ut Ann. III, 53. *Ipse etiam viderem*

vissime, id est extremo metu, corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus; imponite quinquaginta annis magnum diem; approbate rei publicae nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi." 35. Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem oratio-

eos et velut deprehenderem, vel Hist. I, 28. *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet.* Nam *inveniuntur* etiam occurrentes, *deprehenduntur* latentes vel fugientes.

novissime . . vestigiis] Restitui quod AE. et Va. exhibent, nisi quod praeter interpunctionem emendatam insuper *id est* scripsi cum Sellingio pro *id et*, quod est in AE. vel pro *res et*, quod Vb. habet, initio verbi *restiterunt* prave repetito. Nempe *id est extremo metu* sarcastica quaedam epexegesis est adverbii per se innoxii: *zum letztenmal, nämlich in der Todesangst!* Ut Dial. 9. *In nemora et lucos, id est in solitudinem, recedendum est*, coll. c. 3. Quanquam si quis *id* prorsus delere atque *et* retinere voluerit, non refragabor. Plerumque quidem *novissime* idem valet quod *postremo, denique*, sed nonnunquam idem quod *ultimo*, ut Suet. Claud. 46. *In senatu cui novissime interfuit.* Domit. 11. *Quoad novissime simul gestanti . . inquit.* Porro *corpora* cum contemptu de iis qui ingeniis animisque nihil valent, ut Ann. XI, 29. *Corporibus pellicum illarum insueverat.* Hist. II, 11. *Corpora speculatorum lecta comitabantur.* Denique *corpora defixere aciem* praegnanti brevitate dictum est: *defixu suo effecere aciem* vel *aciei speciem praebuere;* nimirum illis similes militibus, de quibus Ann. XIV, 30. *Druidae . . novitate aspectus perculere milites, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent.* Et Valer. Fl. VI, 534. *Armes . . hac tunc attonitos facie defixerat hostes*, h. e. corpora hostium torpore, non oculos solum stupore. Hoc dicit: Fugaces istae hostium iampridem devictorum reliquiae sunt, iique non tam sua sponte restiterunt nobis irrumpentibus ut hostes, quam deprehensi potius sunt ut fugitivi a persequentibus. Ultimum nunc, nimirum non iam viri, sed mera sine animis corpora, non sua sponte sed metu defixa, et vestigiis his suis inhaerentia, tanquam vobiscum depugnare cupiant. Rhenanus ediderat: *Quos quod tandem invenistis, non restiterunt sed deprehensi sunt; novissimi et extremo metu corpora defixere in his vestigiis*, omisso *aciem.* Alii *corpora* omittere maluerunt. Pro *id* Pichena *ideo*, Morgensternius *iidem* commendavit. Doed.

Transigite] Tanquam cum litigatore, ut Germ. 19. *Cum spe votoque uxoris semel transigitur;* coll. Quintil. VII, 1, 44.

quinquaginta annis] Numero rotundo, oratoris licentia. Accurate enim computanti numerantur LII. anni.

causas rebellandi] Intelligendae sunt ignavia, dissolutio, securitas, vecordia militum, unde fiduciam concepisse credi poterant hostes. I. Fr. Gron. in Stat. p. 347.

nis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut insurgerent; media campi covinarius eques strepitu ac discur-

C. 35. *millium* Beckerus ex Vatt. At AE. *millia.*

bellanti Rhenanus. At AE. et Vb. *bellandi*, tuente Walthero coll. Ann. III, 64. XIII, 26. XV, 21.

agmen aequo Rhenanus. At MSS. *agmine quo.* Suspicor: *agmen in aequo.*

connexi ex AE. At Hertelius *convexi* ex Vb. coll. Claudian. Honor. 614. *Vulgus convexum gradibus.* Ea notio cum verbo *insurgerent* dissociabilis.

C. 35. *insurgerent*] Scil. inferius collocatorum humeris vel capitibus. Hoc nisi vellet, non addidisset *velut.* Nam iugis quidem *revera* insurgebant.

media campi] Britannos inter et Romanos, τὸ μεταίχμιον.

covinarius, eques] Ambigitur, ambone haec nomina sint substantiva, more Taciti ἀσυνδέτως copulata, an adiectivum cum substantivo, tanquam Britannis equites fuerint nulli, covinarii autem equitum loco habiti ob similitudinem vocentur equites. Posterior sententia Walchii est, quia c. 12. *In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur*, equitatus Britannici nulla fieret mentio. Labat haec argumentatio, ut omnis a silentio petita, apud Tacitum maxime, pleraque reticentem, quae ipso silentio significata legentes sponte assequantur. Immo dicitur illo loco: „In pedite robur est, non ut apud Parthos in equitatu; quanquam etiam equites habent Britanni, ut prope omnes gentes; quaedam nationes praeter equites etiam covinariis utuntur.“ Alioquin plurimis Britannis praeter quasdam nationes nulli nisi pedites fuissent: quod et per se incredibile est et repugnat disertis reliquorum historicorum testimoniis. Caes. B. Gall. IV, 23. *At barbari . . praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt;* coll. c. 32. 36. V, 15. et Pompon. Met. III, 6. *Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus Gallice armati; covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Addit Wexius Dion. C. LXII, 12. XXXIII, 51. Et Caesar quidem non erravit, credo, qui cum hoc ipso equitatu conflixerit! Ergo Tacitum etsi Caesaris libros legisset, vana confidentia tanti auctoris testimonium sprevisse et arroganti silentio dissimulavisse

su complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis dimisso equo pedes ante vexilla constitit. 36. Ac primo congressu eminus certabatur. Simul constantia simulque arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus. Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in aperto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi mi-

C. 36. *simulque* Beckerus ex Vatt. At AE. *simul.* *tres* Rhenanus. At AE. *per*, quod ex *superfundere* natum.

credamus? Ceterum satis habet Tacitus hic tantum loci memorasse equites scorsim a covinariis; mox in ipso proelio utrumque bellatorum genus nomine covinariorum complectitur: *fugere covinarii;* nisi quod etiam c. 36. extr. distinguuntur *vagi currus* huc illuc diffugientium covinariorum et *exterriti sine rectoribus* equi equitum. Doed.

porrectior acies] Liv. XXV, 21. *In longitudinem porrecta acies; clamantibus tribunis nihil introrsum roboris ac virium esse, et quacunque impetum dedissent hostes perrupturos.*

firmus adversis] Structura dativi. Hist. IV, 5. *Firmus adversus fortuita*, coll. II, 82.

C.36. *gladii sine mucrone*] More Gallico. Liv. XXII, 46. *Gallis praelongi gladii ac sine mucronibus; Hispano punctim magis quam caesim assueto petere hostem, brevitate habiles et cum mucronibus.*

in aperto pugnam] Iustam pugnam vel aciem, in qua quanto densioribus agminibus et maiore constantia concurritur quam in fortuitis proeliis vel velitationibus aut insidiis, tanto confertior esse solet globus proeliantium, tanto artior ipsa pugna, tanto rarior missilium usus. Vid. Roth. Exc. XXIV. p. 218. F. Medices aliique *in arto*, coll. Liv. XXVIII, 33. *Scipio pro se esse loci angustias ratus et quod in arto pugna Romanis aptior;* Lipsius *in operto*, Riglerus *ni* (immo, *nisi*) *in aperto* substituerunt, omnes notionem specie contrariam. — *complexum armorum*] H. e. dimicationem et digladiandi artem, imitatione Graecae locutionis *συμπλέκεσθαι ἐκ χειρῶν.* In incerto relinquam compararine possit Caes. B. Civ. III, 8. *Si in Cae-*

scere ictus, ferire umbonibus, ora foedare, et stratis qui in aequo astiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu commixtae proximos quosque caedere: ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae, * fugere covinarii, peditum se praelio miscuere. et quanquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque equestris ea pugnae facies erat, cum aegre diu aut stante simul equorum corporibus impel-

astiterant Dronkius ex Vatt. coll. Ann. II, 17. 19. Hist. V, 16. At AE. *obstiterant*.

equestris ea pugnae Rhenanus. At MSS. *equestres. ea n. pugnae*, nisi quod *e a* superscr. *i* exhibet Vb. Suspicor *iam* pro *ea n.* cum U. Beckero et Wexio (Progr. Suerin. 1841. p. 7.), cuius reliquam disputationem nostrae non antepono.

saris complexum venire posset, h. e. si manus conserere cum Caesare posset; nam fluctuat scriptura. Quint. Decl. IV, 22. *Finge nos in ipso prosperi Martis cecidisse complexu*. Doed.

miscere ictus] Modo pungendo, modo feriendo.

ora foedare] Enn. Fr. *Ferro foedati iacent*. Virg. Aen. III, 241. *Obscenas pelagi ferro foedare volucres*. At Vb. *ora foede recti tractis*; unde U. Beckerus *ora fodere*, ut Hist. IV, 29. *Multos . . pugionibus fodere*. Ann. II, 21. *Cum miles . . nuda ora foderet*.

Interim equitum] Corrupta haec vel lacunosa. Suspicor: *Interim equitum turmae immissae, ut fugere covinarii, peditum se praelio miscuere*. Intelligendi haud dubie Romani equites, licet Britanni quoque praeter covinarios equitatum habuerint. Primum enim *turmarum* nomen proprium est Romanae militiae, perquam raro illud ad barbaras gentes translatum, ut Ann. XIV, 34. Germ. 7. Deinde quod mox *hostium agminibus* haesisse dicuntur, per quos nunquam non barbari intelliguntur, repugnante usu, ne scriptor Romanus Romanum militem barbaro obstantem, *hostem* scil. barbari vocet, tanquam suam in tempus naturam exuat et originem dissimulet et barbarorum animo ac voce loquatur. Quodsi Britannicos equites intelligeret, *nostrorum* scripsisset, non *hostium*. Postremo patet immissum esse Romanum equitem, ideo quod mox Agricola *retentas* equitum alas venientibus opposuit. Doed.

cum aegre diu aut stante] Sic AE. et Vb. exhibent locum conclamatum et qui sine libris emendari vix possit. Interim *aut* transponendo post *vagi currus* suspicor: *cum e gradu stantes simul equorum corporibus impellerentur*. In illo *e gradu stantes* duae notiones in unam contractae: *in gradu stantes* et *e gradu pugnantes*. Sic Ovid. Met. IX, 42. *Inque gradu stetimus certi non cedere*. Et Liv. XXXIV, 39. *Non modo ad emittenda cum*

lerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant. 37. Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, — ni id ipsum veritus

procursu tela spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero et stabili conarentur. Equestri pugnae hoc proprium est ut pugnantes huc illuc volitent, referant pedem rursusque proferant, denique dissimillimi sint stataria pugna proeliantibus. Sall. Iug. 59. *Non ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere;* coll. Tac. Germ. 30. Liv. XXII, 47. Tunc autem equites haerebant, e gradu pugnare ut statarius miles cogebantur, ac ne id quidem iuste poterant, nunc suorum ipsi equorum impetu loco moti, nunc extrinsecus curruum equorumve occursibus de gradu deturbati. *Impelli* autem a suis ipsi equis equites non minus recte dicuntur, quam Ann. II, 23. suis ipsae *naves velis impelluntur*. Viam emendationi aperuit pridem Rhenanus *in gradu* scribendo pro *aegra diu*. Nos paulo lenius *e gradu*, et quod additur *aut* transponere quam delere maluimus. Ergo totum proelii ordinem hunc mihi fingo. Dirimebantur sane Britannorum peditatus et Romanus covinariis tanquam propugnatoribus. Sed tam late diduxerat aciem suam Agricola, ut non secundum universi μεταιχμίου latitudinem covinarios adversos haberet. Itaque in latere covinariorum peditatum aggredi potuit. Id factum est. Ubi pedites manus conserere coeperunt, partem equitum immittit in covinarios, et (qui simul intelliguntur) equites Britannorum iam ante a cohortibus *ut quisque proximus* caedi coeptos. Postquam eques covinarium fugavit, peditum se proelio immiscet. Non tamen tantum momentum facit ad victoriam quam facere solet eques Romanus simul cum pedite irrumpens. Non nisi recentem terrorem inferunt; mox soli inaequalitate illigantur. Postremo iuvat totum locum sic ut a Tacito scriptum puto in uno conspectu proponere: *Interim equitum turmae immissae, ut fugere covinarii, peditum se proelio miscuere. Et quanquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque equestris ea iam pugnae facies erat, cum e gradu stantes simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus aut exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.* Dord.

simul .. ac] Ἀνακολούθως pro *simul . . simul.* Ann. IV, 25. *Simulque coeptus dies et . . aderant.*

vagi currus] Sunt covinarii vagantes cum curribus et quo fugerent ignari.

C. 37. *vacui*] Vani, per vanitatem, ut Hist. I, 30. *Si respublica et senatus et populus vacua nomina sint.* Petron. 102. *Sine causa spiritum tanquam rem vacuam impendere.* Non plane similes sunt hi loci, fateor. Sed neutiquam vulgatam interpretationem amplectar, *otiosi.* Ea enim notio et iteraret moleste id quod modo legimus, *pugnae expertes*, et nihil commune haberet cum actione *spernendi.* Dord.

Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum. sequi, volnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre; passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus. Et aliquando etiam victis ira virtusque; postquam silvis appropinquarunt, collecti primos sequentium, incautos et locorum ignaros, circumveniebant. quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi ar-

C. 37. *accucurrerant* Dronkius ex Vatt. coll. Hist. III, 12. Ann. II, 7. Edd. *accurrerant*.

oblatis Vatt. At AE. *ablatis*.

appropinquarunt . . ignaros] Sic edd. At Vatt. *appropinquaverunt item primos sequentium incautos collecti et locorum ignari circumveniebant*. In *item* vel *ntem* latere *iterum* suspicatur Dronkius. At *rursus* potius vel *denuo* requiritur.

in ipsos versum] Nam Romani dum circumire terga nostra conatos repellunt ac sequuntur, eodem actu ultro terga Britannorum circumeunt.

Tum vero] Ex Sall. Iug. 101. *Tum spectaculum horribile in campis patentibus; sequi, fugere, occidi, capi . . Postremo omnia qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus et inter ea humus infecta sanguine.*

terga praestare] Ut Iuven. XV, 75. *Terga fugae celeri praestantibus omnibus.*

etiam victis . . virtusque] Ut Virg. Aen. II, 367. *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* Sequens narratio huic dicto documento futura est. Quapropter recepi Walchii distinctionem; non item eiusdem coniecturam *Est* pro *Et*, quod significat *Ac tamen.*

indaginis modo] H. e. venantium corona. Flor. IV, 12, 48. *Inde partito exercitu totam amplexus Cantabriam efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat.* Liv. VII, 37. *Cum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret.* Similis ars Persarum, cum *σαγηνεύουσιν*, Herodot. III, 149. VI, 31. Ceterum sequentia foeda verborum turbatione corrupta videntur. Suspicor: *Quod ni . . expeditas cohortes indaginis modo, simul partem equitum, rariores silvas equitem, et sicubi artiora*

tiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod volnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi in vicem longinqua atque avia petiere. finis sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem milia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus. 38. Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus: Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere volneratos, vocare integros; deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras, et statim relinquere; miscere in vicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari. satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tanquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Horesto-

C. 38. *separare* Lipsius cum Vb. h. e. sibi quisque separatim consulere. At AE. *sperare*.

Horestorum AE. At Vatt. *Borestorum*. Hodie *Angus*, ut putant.

erant dimissis equis persultare iussisset. Nam illud *simul* nisi *partem equitum* cum *cohortibus* coniungit, prorsus otiosum est. Doed.

C. 38. *tanquam misererentur*] Ut Germani qui *captivitatem longe impatientius feminarum nomine timent.* Germ. 8. Flor. III, 3.

secreti colles] H. e. secreto similes, cum pridie tam frequentes insidentibus fuissent.

incerta] Per antiptosin pro *incertae*. Dicitur autem *incerta* ea fuga, cui nihil certi consilii vel insidiarum subest, sed in qua sibi quisque consulit.

spargi bellum] Ut Ann. III, 21. i. e. circumferri, diversis locis et diviso exercitu.

rum exercitum deducit. ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniae lecto omni redierat.

39. Hunc rerum cursum, quanquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae actum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germa-

Trutulensem] Fuisse videtur haud longe a Bodotria. Qui quia nusquam alibi memoratur, Rhenanus substituit *Rutupensem* coll. Iuven. IV, 14. *Rutupinove edita fundo austrea*, et Ptolem. II, 3. hodie *Sandwich*. Nullum nominat Dio C. LXVI, 20.

unde . . redierat] H. e. unde Britanniae omne latus legerat et quo redierat. Ann. XV, 44. *Mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est;* coll. Hist. IV, 17. Cic. Cat. II, 8. *Possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi non possunt.* — Mox *proximo latere* h. e. septentrionali. *Proximum latus* enim non dicit quod *ipsis*, sed quod *toti illi lateri* in quo stationem habebant quodque explorabant, proximum fuerit. Explorabant autem orientalis lateris partem septentrionalem, cui ipsum latus septentrionale proximum. Nec enim omnem Britanniae circuitum circumvecti sunt, sed postquam septentrionale litus superaverunt et terminum Caledoniae invenere et insulam esse Britanniam comperere, eadem via qua venerant, redire satis habuerunt. Doed.

C. 39. *actum*] H. e. *behandelt*. Non dubitandum enim quin *agere aliquid* pro *agere de aliqua re* in structurae et brevitatis commodum dicere ausus sit, pari audacia qua Hist. II, 2. *Haud fuerit longum formam deae paucis disserere*. Nec secus *agere causam* et vero etiam *animam agere*, h. e. de causa alterius defendenda et de anima retinenda agere. Cic. Deiot. 7. *Sed tamen acta res criminosa est*, ubi Ernestius *dicta* substituit. Liv. X, 31. *Samnitium bella quae per quartum iam volumen agimus.* At edd. cum Lipsio *auctum;* vereor ut recte. Nam iniuria virtutis fuerit in Agricola laudare, quod res suas non *auxerit*, id quod tumidi tantum et vani et mendaces facere solent. Non modo non auxerat res gestas, sed minore etiam, quam solebat fieri, ubertate (hoc enim est *sine verborum iactantia*) narraverat. Fronto Ep. ad Verum Aug. p. 116. *Ex eloquentia tua, quam scriptis ad senatum litteris declarasti, ego iam triumpho.* Doed.

nuper falsum] Hoc anno, u. c. 827. Domitianus in Germaniam [adversus Chattos profectus] ne viso quidem hoste Romam reverterat et triumphaverat. Dio C. LXVIII, 4. Brot.

nia triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari, id sibi maxime formidolosum privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus, in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet, et cetera utcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo sa-

C. 39. *at nunc* ex Vatt. At edd. ex Put. *ac nunc.*

celebrari, id] Haec coniuncta sic, ut Hist. III, 26. *Munire castra, id quoque propinquis formidolosum.* Vulgo post *celebrari* puncto, post *formidolosum* commate distinguitur. DOED.

frustra . . decus] Scil. *fore* vel *esse.* Nam *frustra* h. l. non adverbium, sed pro adiectivo *irrita* et praedicato est, ut c. 13. Hist. I, 75. Ann. XIII, 51. Per asyndeton additum *in silentium acta*, h. e. facere ut de iis sileatur, obscurare, *in den Hintergrund stellen;* sicut etiam in Sallustiano illo: *ne vitam silentio transeant*, passive hoc nomen accipiendum est. Plin. Epp. IX, 14. *Ut paucos in lucem famamque provexit, ita multos e tenebris et silentio protulit.* Erat quippe Domitianus teste Quintil. IV. pr. 3. *ut in omnibus, ita in eloquentia quoque eminentissimus,* ubi nulla causa cur de *poetica* potius quam de forensi eloquentia cogitetur; nam Suet. Dom. 8. *Ius diligenter et industrie dixit plerumque et in foro pro tribunali, extra ordinem.* Porro *civilium artium decus* nihil aliud significare potest quam prudentiam reipublicae regendae, neutiquam, ut plerique putant, poeseos studium. Ergo sensus est: parum esse principi pacis artibus, forensi civilique prudentia, excellere, nisi simul bellica gloria floreat. In alia omnia discedunt interpretes, decepti prava distinctione (nam adhuc *frustra studia fori . . in silentium acta* iungebantur), quos inter quid Walchius velit, non assequor. Illi vero falsissime, qui de philosophis a Domitiano in exilium pulsis cogitarunt. DOED.

cetera .. virtutem esse] Sensus est: Et cuiuslibet virtutis defectum facilius dissimulari principibus, quam bellicae virtutis; nam ad simulandam civilem prudentiam, eloquentiam, doctrinam posse eos alienis ingeniis uti tanquam suo; ad bella administranda non item; porro boni ducis virtutem proprie esse imperatoriam et prorsus necessariam Caesaribus ad tuendam dignitatem, ne quoniam *imperatores* vocentur, id ipsum nomen in ludibrium vertatur. *Utcunque* est etiamsi plane dissimulari defectus non possit, *allenfalls*, ut Ann. II, 14. DOED.

curis exercitus] Ovid. Met. XIII, 295. Pectora curis exercita. Ruhnken. in Vell. P. II, 33. PEERLK.

secreto suo satiatus] H. e. solitudine, cuius illi proprium et peculiare studium erat. Optime

tiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

40. Igitur triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem, et quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac com-
838 positum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vi-

haec illustraverit Plin. Pan. 48. *Nec salutationes tuas fuga et vastitas sequitur. Remoramur, resistimus ut in communi domo, quam nuper immanissima illa bellua plurimo terrore munierat; cum velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret. — Non adire quisquam, non alloqui audebat tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem nisi ut solitudinem faceret.* Suet. Dom. 3. Dio C. LXVI, 9.

C. 40. *triumphalia ornamenta*] Ut corona laurea, toga praetexta, trabea triumphalis. Ipse triumphandi honor Caesari eiusque liberis reservabatur. Dio C. LIV, 11. De Agricolae honore Dio C. LXVI, 20. *καὶ ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ, καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρ' αὐτοῦ τούτου* (MSS. *παρὰ τοῦ Τίτου*) *λαβών.*

statuae illustris] Laureatae, in foro, Ann. IV, 23. XV, 72. Hist. I, 79. Brot.

quicquid pro triumpho datur] Supplicationes victoris ducis nomine instaurari solitae. Dio C. LIV, 24.

addique] Si incorruptum est, *iubet* non stricto sensu intelligendum, sed latiore, tanquam si legeretur: impetrat significando, nutando, ambagibus, variis artibus ut decernatur, addaturque opinio. Alioquin cum Mureto *additque* legendum.

maioribus] H. e. clarioribus viris quam qui ordinarie provincias sortiri solent, primis quibusque consularibus vel praetoriis.

freto Oceani] Britanniam inter et Galliam. Solino *fretum Gallicum* vocatur.

tato amicorum officio noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit; exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. Ceterum uti militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus, adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

41. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania Panno- 839—842

ut praeceptum erat] Hoc ad palatium solum referendum. Nam nocturnum in urbem introitum non poterat praescribere Caesar, quin odium vel suspicionem apertius, quam sibi conduceret, prae se ferret.

brevi osculo] Quod raptim impertitur, ut Hist. II, 59. *Brevi auditu* Ann. XIII, 18.

servientium] H. e. libertorum et qui proceres servili animo Domitianum ambibant, quales Iuven. IV. describit.

grave inter otiosos] Quod praegravat otiosos suae inertiae et alienae industriae comparatione.

otium . . auxit] Non modo in tantum otiabatur, quantum a quolibet privato homine expectabatur, sed ultro captabat otiantis speciem, nimirum ut taedio sibi esse curas publicas crederet princeps. Ne senatum quidem adibat, opinor. Vid. in c. 14. Doed.

per ambitionem] Ex vitae splendore et numeroso comitatu. Brot. Vid. Germ. 27. *Funerum nulla ambitio;* coll. Nep. Dion. 2, 2. Plin. Pan. 83, 8.

quaererent] Pro *requirerent*, desiderarent ut Hist. IV, 6. Mox obiectum mutatur; *interpretarentur*, non famam, sed id quod viderant vel Agricolae habitum, vel defectum famae.

C. 41. *absens accusatus*] Apud principem invidorum ac delatorum clandestinis criminationibus; *absolutus* ab eodem principe, post secretas amicorum vel optimi cuiusque ex libertis deprecationes aut defensiones. Non ipse princeps accusabat; nam quod sequitur *infensus virtutibus princeps* significat: *quod infensum virtutibus principem invidi sciebant.*

Daciaque] Fusius haec narravit in Historiarum parte deperdita. Freculph. Chron. T. II. l. II. c. 6. *Quanta fuerint Diusparei Dacorum regis cum Fusco duce proelia quantaeque Romanorum*

niaque temeritate aut per ignaviam ducum amissi, *tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti;* nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore volgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum, * * * Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

843 42. Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agri-

clades longo textu evolverem, nisi C. Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo captivorum numero . . dixisset. Vid. Tross. praef. ad Germ. p. XV.

tot militares viri] Non ipsi duces (ii enim homines temerarii et ignavi fuerant) designantur sed legati vel tribuni vel praefecti vel centuriones, qui in castellis praesidia agitaverant; ad quae munera obeunda viri praestantissimi spectatissimique eligebantur, quorum interitus hominibus reipublicae amantibus non sine cura poterat esse. Ex U. Becker. — *expugnati*] Ut Liv. XXIII, 30. *Obsessos fame expugnavit*, coll. Lucr. IV, 1008. Iustin. III, 4, 11. *Expugnatis veteribus incolis.*

de limite . . et ripa] Danubii, non Rheni.

formidine eorum] Non potest pronomen referri ad illos *militares viros*, de quibus paulo supra. Excidit haud dubie enunciatio relativa; quaenam exciderit, habet divinatio spatium exemplorum. Riglerus non male: *eorum, quibus Caesar exercitus permisisset.* Aliis *eorum* corruptum visum est, Walchio ex *reorum*, Grotio ex *ceterorum*. Doed.

in ipsam gloriam] Sensus est: Quamtumvis obscuritatem vitae affectaret gloriamque fugeret, tamen in gloriam adactus est vi tam inevitabili quasi praeceps daretur. Nam qui praeceps dantur, ne reluctari quidem ita possunt, ut ii qui ducuntur vel trahuntur. Pernicies ex gloria iminens verbis saltem non continetur. Doed.

C. 42. *occiso Civica*] Suet. Dom. 10. *Complures senatores, in his aliquot consulares interemit, in quibus Civicam Cerialem in ipso Asiae proconsulatu.* Qua quidem ex caede Agricolae consilium esse debebat recusandi provinciam; Domitiano exemplum quod sequeretur, si adiisset provinciam ille. Walth.

colae consilium deerat nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset in provinciam ultro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre; postremo non tam obscuri suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et cum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia. Salarium tamen proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipso conces-

C. 42. *occultius* Rhenanus, scil. agentes. Vid. Hist. I, 74. At MSS. *occultus*.

non tam obscuri] Scil. quam antea, cum quietem laudabant. Vid. Lachmann. in Prop. II, 6, 6. p. 121. *Μείωσις* inest non expers ironiae. Edd. cum Rhenano: *non iam obscuri.*

paratus simulatione] H. e. simulandi arte instructus. Cic. Att. IX, 13. *Hunc ita paratum video peditatu .. equitatu.* Suet. Claud. 42. *Cum utroque sermone nostro sis paratus.* Ex Walch.

nec erubuit . . invidia] Nec erubuit, quod sibi ob rem invidiosam et invisam tanquam ob beneficium gratias agi pateretur; adeo mendacium et simulatio gratias agentis, ad quam consuetudo saeculi et libido principis adigebant, manifesta erat. Vid. Ann. XV, 71. Sen. Tranq. 14. *Gaio Caesari . . agebant gratias et quorum liberi occisi et quorum bona ablata erant;* coll. de Ira II, 33. Adde Ann. VI, 23. *Consultus Caesar an sepeliri sineret, non erubuit permittere.*

Proprium humani . . quem Caesaris] Ducta haec ex Sen. Ir. II, 33. *Hoc habent pessimum magna fortuna insolentes quos laeserunt et oderunt*, sed adeo in generalem sententiam quae ad *universos* homines pertineat, conversa, ut humani generis osorem potius agnoscam quam Tacitum modo clementem modo severum naturae humanae aestimatorem, prout ad imbecillitatem illa vel ad malitiam declinat, numquam hercle amarum, suspiciosum, pessima quaeque praesumentem. Optimus quisque enim mulcere solet et expiare eum quem laesit, non odisse. Quid multa? Suspicor: *Proprium inhumani ingenii est odisse quem laeseris.* Ea demum et vera sententia est et incorrupta imitatio. Nam *inhumanitas* Tacito plus valet quam ceteris scriptoribus, tantumdemque quantum *saevitia;* vid. Hist. II, 70. III, 83. Mox *irrevocabilior*, qualis *ira* quidem dici potest, audacter ad ipsum *Domitianum* transtulit Tacitus pro *implacabilior*. Paene suspicor: *Domitiani vero natura praeceps in iram. Ea quo obscurior . . leniebatur.* Sensus est: Satis valebat *morum inhumanitas* ad odium Agricolae; iam vero (*und vollends*, ut Ann. VI, 3. XVI, 44.) accedebat in Domitiano *naturae iracundia;* quo acrior et irrevocabilior orta est ira, quae tamen leniebatur. Doed.

sum Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram et, quo obscurior, eo irrevocabilior; moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor assint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt.

43.

in nullum reipublicae ex Va. et cod. Ursini. At Vb. et AE. *in nullum rei post;* unde Peerlkampius: *in nullum posteris usum.*

famam fatumque dubito num per zeugma explicem: *gloriam quaerebat eoque exitium provocabat*, an per ἓν διὰ δυοῖν: *gloriosam mortem provocabat tamquam pro libertate toleratam.* Ad posterius inclino. Doed.

Sciant . . viros esse] Ex Sen. Tranq. 3. *Scias et in afflicta republica esse occasionem sapienti viro ad se proferendum.* Roth.

illicita mirari] Contumaciam nempe et inanem libertatis iactationem. Brot. Nempe si hoc verum est, non eos appellat Tacitus, qui ipsi per contumaciam illicita faciant, sed illos, qui Thraseas solos et Helvidios admirantur, modestos autem viros indignos existimant, quorum vita tali libello aeternetur. Non tam Agricolam his verbis, quam suum libellum purgat. At verum unus Bahrdtius vidit, per *illicita* ille voluntariam mortem Catonum, opinor, eorumve intelligens, qui sub principibus vitam continuare dedignarentur. Nam Pythagoreis et Academicis satis constat mortem sponte sumptam in illicitis numeratam esse. Plat. Phaed. p. 61. C. *οὐ μέντοι ἴσως βιάσεται αὐτόν· οὐ γάρ φασι θεμιτὸν εἶναι.* Vid. Cic. Sen. 20. Tusc. I, 30. Macrob. ad Somn. I, 13. Porro *illicitum* prope semper id dicitur quod natura ac divinitus vetitum est, ut *ἀθέμιστον*, non humanis legibus. Vid. Ann. III, 27. *Illicitos honores*, a quibus plebeii per sacra et caerimonias exclusi erant. Et Ann. XIII, 12. *Quia illicita praevalent*, de concubinatu qui indecorus potius quam lege cautus. Add. XV, 37. H. III, 33. Eadem vi *concessa animalia* opponuntur *humanis hostiis* Germ. 9. ut impiis et nefandis. Doed.

excedere] Ut Valer. Max. V, 6, 4. *Respublica ad summum imperii fastigium excessit.* Ruhnken. in Rutil. L. p. 49.

per abrupta] Idem est quod Ann. IV, 20. *abrupta contumacia.*

quo . . inclaruerunt] Praegnanti structura pro *inclarescentes pervenerunt*, ut Hist. II, 35. *Insula, in quam gladiatores navibus molientes Germani nando praelabebantur.* Soph. El. 140. *ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος ἀεὶ στενάχουσα διόλλυσαι.* Ex Walch.

43. Finis vitae eius, nobis luctuosus, amicis tri- 844 stis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit; volgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor veneno interceptum. nobis nihil comperti affirmare ausim; ceterum per omnem valitudinem eius, crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nun-

C. 43. *nobis* Rhenanus, h. e. quotquot partes domus sumus ipse et filia et uxor, quarum ego nomine haec affirmo. At AE. *Vobis.*

momenta ipsa ex Vatt. recepi. At AE. *momenta.* At multo plura vocabula omisere librarii quam interposuere

C. 43. *extraneis*] Extat Epigramma Antiphili cuiusdam in Agricolae mortem, Anthol. Gr. n. XXXIX. T. II. p. 164. Iac. Anth. Pal. IX, 549.

nobis luctuosus, quibus ut propinquis vestis lugubris erat sumenda; *amicis tristis*, quibus moerere animis satis erat. Vid. Synon. T. III. p. 239. T. VI. p. 201.

hic aliud agens] H. e. panem modo et Circenses curare suetus, reipublicae et magnorum virorum incuriosus; *zerstreut*, *gedankenlos*, ut Cic. Brut. 66. *Fimbria .. ita furebat, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus.* Per *vulgus* complectitur *die gemeinen Leute*; per *populum* autem *die Spiessbürger*, qui *magnitudine nimia communium curarum expertes* erant, Hist. I, 89.

locuti sunt] Scil. *eum*, ut Ann. XVI, 22. *Te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur.*

nihil comperti subiectum est, *nobis esse* praedicatum; eodem sensu ac si illam notionem praedicato reservasset scribendo: *nobis nihil esse compertum.* Difficile dictu est quid Tacitus ipse crediderit de morte soceri et veneno. Utique emphatice dixit *comperti*, ut Cic. Epp. V, 5. *Ex multis audivi; nam comperisse me non audeo dicere;* coll. Sall. Cat. 14. Plin. Epp. X, 40. Nempe nulla veneni indicia uxor et amici deprehenderant in corpore exanimati, vel incerta saltem (ut in Germanici corpore Ann. II, 73.); non de servi ullius scelere vel confessione constabat. Hactenus innocens princeps videri debebat. Ceterum idem suspectus est sceleris, quod exoptatus ei fuit Agricolae interitus. Religiose rem in incerto reliquit; aliter Dio C. LXVI, 20. ἐσφάγη ὑπὸ Δομιτιανοῦ. Suetonius de Agricola ne verbum quidem. Doed.

per .. cursores] Nam in Albano suo tunc princeps degebat.

tiata constabant, nullo credente sic accelerari quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo voltuque prae se tulit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. tam caeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

44. Natus erat Agricola Gaio Caesare primum consule idibus Iuniis: excessit sexto et quinquagesimo

constabant revocavi ex Va. et AE. ut Cic. Fin. III, 7, 23. *Ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant.* Dom. 139. *Quae si omnia ex Coruncanii scientia . . acta esse constarent.* Sen. Prov. 5. *Apparebunt autem bona esse*, coll. Tac. Hist. IV, 23. II, 74. At Vb. et Rhenanus *constabat*, communem usum secuti.

animo voltuque] Ut Hist. I, 85. *Animum voltumque conversi.* IV, 31. *Vetus miles . . dixit sacramentum non voltu neque animo satis affirmans*, coll. Plin. Epp. VII, 1. Nempe *animi* dolentis documentum est silentium, intermissio gaudiorum, miseratio, alia quae ad *vultus* moestitiam non pertinent. Non simulationis et falsi doloris incusat principem, sed dum testatur apparuisse speciem doloris, in incerto relinquit verane ea species fuerit an falsa.

securus odii] H. e. eum quem odisset formidabilem non iam esse gnarus; ut Ann. III, 28. *Augustus potentiae securus.*

velut honore, cum tamen recte aestimantibus non sine *ignominia* fieret principis; *iudicioque*, cum tamen nihil nisi *adulationis* genus esset. Infringunt horum verborum vim, qui ἓν διὰ δυοῖν statuunt. Rectius *praegnanter* dictum pro *vero honore veroque iudicio* dixeris. Doed.

nisi malum principem] Eadem spe ac formidine mali principis, Neronis, Pratusagus *Caesarem heredem duasque filias scripserat, ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore*, Ann. XIV, 30. Et Veterem fuere *qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita nepotibus de reliquo consulere.* Ceterum Domitianus initio *relictas sibi hereditates ab iis quibus liberi erant, non recepit.* Suet. Dom. 9. Mox *confiscabantur alienissimae hereditates vel uno existente, qui diceret audisse se ex defuncto, heredem sibi Caesarem esse*, ibid. c. 12.

C. 44. *primum consule* Buchnerus. At AE. *ter consule* h. e. tertium; falso, sive Taciti sive librariorum errore. C. Caligulam intelligit, cuius tertius consulatus in annum u. c. 793. incidit, ut Fasti docent. Quodsi quinquagesimo sexto aetatis anno decessit Agricola, utique illius obitum in a. u. 849. incidere necesse est. Atqui mortuus Agricola est Collega et Prisco coss., qui triennio

anno, decimo calendas Septembris Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint: decentior quam sublimior fuit; nihil metus in voltu, gratia oris supererat; bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quanquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud

C. 44. *consulari* cum Dronkio ascivi ex Vatt. At AE. *consularibus;* sed quorsum pertinuit, deminuere dignitatem defuncti et in eo qui *functus* erat consulatu, consularia *ornamenta* memorare? quasi nomine tenus consul fuisset, sicut Antonius Primus Hist. IV, 4. vel decem illi praetorii, quibus D. Iulius *consularia ornamenta tribuit*, Suet. Caes. 76. Nam consularis fuerat, triumphator non fuerat. Doed.

ante Domitiani interitum a. u. 846. magistratum gesserunt. Ergo aut LVI annos non habuit Agricola cum excederet, aut paulo ante Domitianum mortuus est, quod manifeste falsum esse ex nostro constat, aut falsos consules hic nominavit Tacitus, quod nullo modo credibile; aut numerus in Caligulae consulatu designando corruptus est, quod omnino videtur et pro *tertium consule* legendum est *primum consule.* Nam fuit Caligula primum consul a. u. 790. ut ex Fastis constat. Ex eo ad consulatum Collegae et Prisci quo Agricola mortuus LVI anni exacte numerantur; quot habuisse decedentem Agricolam noster dicit. Buchner. Broterius vero, ut ratio temporum constaret, *LIV anno* scribi iussit pro *LVI anno.*

decentior quam sublimior] Mediocris et vulgaris staturae, sed tamen congruentis. *Decens* hic est, cui *σώματος συμμετρία.* Boxhorn. Vel potius *decentior* scripsit, quia *decorus* comparativo caret.

metus] Causative ut IV, 2. *Furchtbarkeit.* Ovid. Met. II, 857. *Nullae in fronte minae nec formidabile lumen; pacem vultus habet.* Quintil. VI, 2, 21. *Et metum tamen duplicem intelligi volo: quem patimur et quem facimus;* coll. Gell. N. A. IX, 12. Plutarch. Dem. 2. *τὸ γὰρ πρόσωπον χάριν καὶ βάρος καὶ φόβον καὶ ὥραν εἶχε.* Alii *metus* vulgari sensu explicant; quasi vero hoc in viro fortissimo, duce clarissimo memorare et laudare haud indecorum sit! — Mox *voltu* et *oris* distinguuntur. Nam ira et terror in *oculis* trucibus, mansuetudo, gratia, venustas in *ore* potius leniter subridente cernitur. Vid. Synon. Lat. T. IV. p. 320. Doed.

Et ipse quidem] Cogitatione addendum *sibi*, ut Hom. Od. I, 132. *πὰρ δ' αὐτὸς* (scil. *ἑαυτῷ*) *κλισμὸν θέτο;* oppositum longe infra sequitur c. 45. *Sed mihi filiaeque .. auget maestitiam*; non tamen antequam ob ipsam longinquitatem et post tot interiecta membra repetita est illa sententia verbis: *Tu vero felix Agricola.*

astruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse. Nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, * * ita festinatae mortis gran-

speciosae contigerant] Errat ergo Dio C. LXVI, 20. ὁ δὲ Ἀγρικόλας ἔν τε ἀτιμίᾳ τοῦ βίου καὶ ἐν ἐνδείᾳ, ἅτε καὶ μείζονα ἢ κατὰ στρατηγὸν καταπράξας ἔζησε. Quod si ita fuisset, vix potuit coheredem Domitianum scribere. In Vatt. *non contigerant*, proximae negationis dittographia (ut Germ. 15. Hist. II, 76.), ad sensum absone. Nam felicitas Agricolae demonstratur; eius pars habetur insatiabilem et avarum non esse; pauperem esse, non item. Utrumque bonum, contentus animus et opulentiae satis evenerat Agricolae. Quodsi tamen Stoicum divitiarum contemptorem agere voluisset Tacitus, addere saltem debebat: *sed quantum satis est*. Denique scripsisset, opinor: *ne speciosae quidem contigerant*. Doed.

Filia atque uxore superstitibus] Non video causam ullam cur hos ablativos divellerit scriptor ab illis qui proxime sequuntur ac simillimi sunt. Traiecti videntur. Suspicor: *Potest videri etiam beatus*, *incolumi dignitate*, *florente fama*, *filia atque uxore superstitibus*, *salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse*. Id vel ipsa concinnitatis lex suadet. Doed.

incolumi dignitate] Scil. senatoria. Eam enim paulo post inquinatam a Domitiano sensisset, sicut ipse Tacitus sensit; vid. sqq.

*Nam sicut .... ominabatur * **] Excidisse videntur aliquot verba, quorum sententia erat: *potissimum fuisset*. Sin nihil excidit, brachylogiae licentia ex apodosi protasis erit supplenda, assumendis verbis *grande solatium ferret* ex *grande solatium tulit*; nempe *solatium* non *festinatae mortis*, sed *ignominiae* sub Domitiano toleratae; ea enim solatio indigebat. Tria quippe quae vel potuere accidere vel acciderunt, distinguit Tacitus. Nam primum et optimum fuisset, si Agricola post mala sub Domitiano tolerata saeculum Traiani pro solatio habuisset et in eo etiamnunc viveret; alterum ac pessimum, si extrema quoque scelera Domitiani vidisset ac saeculum Traiani non vidisset, itaque nullo solatio allevatus obiisset; tertium ac medium, id quod evenit, interire antequam intolerandum in modum saevire Domitianus coeperat. Rhenanus, Walchius, Ritterus *quod* delere iussere, ut *ominabatur* verbum esset protaseos. Id si verum foret, non viderem quod tertium comparationis utriusque enuntiationis esset. Doed.

quod augurio .. ominabatur] Nam pridem fatis monstratus fuerat Traianus futurus imperator. Dio C. LXVII, 12. καὶ ἀπ᾽ αὐτῶν (scil. τῶν σημείων) τῷ μὲν Γλαβρίωνι ὄλεθρος, τῷ δὲ Τραϊανῷ ἡ τῆς αὐτοκρατορίας ἀρχὴ προεῤῥέθη. Plin. Pan. 5. *Tibi ascendenti de more Capitolium quamquam non id agentium civium clamor ut iam principi occurrit*. Doed.

de solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit. 45. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Bebius iam tum reus erat. mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Ru-

uno ictu] Respicitur ad vocem Caligulae, Senec. Ir. III, 19. *Homo — qui optabat ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta in unum ictum et unum diem cogeret.* Et Tac. Hist. II, 38. *Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est.*

C. 45. *Non vidit*] Ante oculos versabatur Cic. Orat. III, 2, 8.

eadem strage] Cave ad praecc. referas. Uno actu plurimi caesi, pulsi, fugati sunt. Septem consulares nominat Suet. 10.

una victoria . . censebatur] Ex una demum victoria deferendo et accusando reportata aestimabatur, qualis quamque malus esset. Vid. Dial. 39. Iuven. VIII, 2.

feminarum] Plin. Epp. III, 11. *Relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia;* coll. VII, 19.

Carus Metius] Unus ex delatoribus. Plin. Epp. I, 5. VII, 27. Iuven. I, 36. Martial. XII, 25. Quem is tunc primum everterit, incognitum est.

Albanam arcem] Plin. Epp. IV, 11. *Domitianus reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit.*

Messalini] De eo Plin. Epp. IV, 22. *Catullus Messalinus coecus erat eoque ad omnem Domitiani libidinem proiectior et ad scelera audacior.* Aurel. Vict. Epit. 12. *Hic iurgiorum disceptator* (Walchius *dispensator*) *et scientissimus et frequens.* Et Iuven. IV, 115. *Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum.*

Massa Bebius . . reus erat] De ea causa fuse Plinius ad Tacitum scribit Epp. VII. 33, inter haec: *Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciae Baeticae contra Bebium Massam; damnatoque Massa censuerat ut bona eius publice custodirentur.* De eodem Tac. Hist. IV, 50. Plin. Epp. III, 4. VI, 29.

mox nostrae manus] H. e. unus ex nobis senatoribus sua manu. Illustrat Plin. Epp. IX, 13, 2. Inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex manus intulisset. Nempe P. Certus in senatu, cuius pars tum erat Tacitus, vir praetorius, Helvidio filio illius Prisci, de quo Tac. Hist. IV, 1. manus intulerat accusator. Crimen cognoscas ex Suet. Dom. 10.

Maurici Rusticique visus] H. e. species vel aspectus, ex quibus ille in exilium actus, hic ad

sticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos, iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille voltus et rubor, quo se contra pudo-

C. 45. *oculos suos* Dronkius ex Vatt. coll. Ann. III, 53. Cic. Arch. 10. Att. I, 5. At AE. *oculos.*

rubor, quo Lipsius. At Vatt. et AE. *rubor, a quo*, ut Ann. VI, 35. *Et a propioribus vulneribus pedes afflictabant.* Hist. IV, 72.

supplicium ductus est. Suet. Dom. I. *Interemit . . Iunium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Helvetii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros.* Plin. Epp. III, 11. *Septem amicis meis aut* occisis aut relegatis; *occisis Senecione, Rustico, Helvidio, relegatis Maurico, Gratilla, Arria, Fannia;* coll. I,5. Add. Dio C. LXVII, 13. Hos duos coniunxit quamquam poena diversos, ac non Rusticum Senecionemque, supplicii illos consortes, quia Mauricus Rusticusque fratres erant ideoque *visum* praebebant tanto notabiliorem ac tristiorem iis, qui eodem tempore alterum relegari, alterum necari videbant. Plerumque sane *visus*, ubi substantivum ac non supinum est, active usurpatur, de *oculorum acie*, ut Ann. XI, 34. XIII, 4. et 16.; sed aliquoties etiam passive de *specie* vel *spectaculo*, ut Hist. IV, 83. *Nocturnos visus aperit*, et Ann. XII, 13. *Deus .. nocturno visu demonstrat.* Cic. Nat. D. I, 5. *Quia visum haberent quendam insignem et illustrem.* Ruhnken. in Vell. Pat. II, 94. At Va. Vb. *Nos Mauricium Rusticumque divisimus.* Doed.

perfudit] Diverso sensu *perfundere* cum duobus nominativis coniunctum est, ut *haurire* Hist. I, 67. *Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit.* Primum enim *visus perfudit* scil. *horrore*, ut plene Cic. Att. VIII, 6. *Qui me horror perfudit!* coll. Hist. I, 44. *Seu recordatio in Galba . . animum imagine tristi confuderat.* Deinde *Senecio sanguine perfudit*, propria quidem imagine, sed hyperbolica, ut Valer. Max. I, 6, 11. de Crasso, *Optimae indolis cruore paterni respersi oculi.* Doed.

Nero tamen . . spectavit] Nam Nero iudicia maiestatis absens regere solebat, Domitianus praesens spectare. Ut Graecorum ἀλλά, quoties non ipso principio ponitur, ita *tamen* significat *saltem* et cum *subtraxit* coniungendum est.

cum suspiria . . subscriberentur] Cum indicia nostrae ob reipublicae statum tristitiae vel misericordiae condemnatis habitae annotarentur in pugillares sive a delatoribus sive ab ipso Domitiano, tanquam causa ac materies accusationis. Quintil. XII, 8, 8. *Nec tanta sit acturo memoriae fiducia, ut subscribere audita pigeat*, h. e. *kurz notiren.* Suet. Aug. 27. De testibus delationi subscribentibus intellexit Walchius, immemor legitimae huius verbi structurae.

sufficeret . . rubor] Nam quo rubicundior Domitiani vultus, eo

rem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate sed etiam opportunitate mortis. Ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tanquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget maestitiam, quod assidere valitudini, fovere deficientem, satiari voltu, complexu non contigit. excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. noster hic dolor, nostrum volnus; nobis tam longae absentiae condicione ante quadriennium amissus

filiaeque eius ascivi ex Vb. At AE. *filioque eius.* Et Rhenanus *eius* delevit ut supervacaneum. Ac poterat sane omitti. At si fecisset, pronum esset Taciti filiam intelligere, propterea quod Latini prope semper omittere solent pronomen, quoties de *suo* cuiusque filio filiave sermo est. Doed.

facilior agnitu ac deprehensu ipsa coloris diversitate eorum vultus, qui super saevo aliquo principis iussu pallescebant; qualis pallor ut miserationis et dissensus indicium pro crimine erat. Ergo *denotare* ut Ann. III, 53. *Denotantibus vobis ora ac metum singulorum* significat *insignire*, non ut quidam voluere *agnoscere*, coll. Ruhnken. in Vell. P. II, 70. Haec ut sponte clara non monuissem, nisi Wexium (Progr. Suer. p. 7.) *pallore oribus* pro *palloribus* proposuisse scirem. Doed.

contra pudorem] Nam rubor simul irae simul pudoris indicium est. Sidon. Epist. I, 1. *Iuvenili rubore suffunditur. Namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit.* Eumque ruborem in ipso Domitiano diverse interpretantur Plin. Pan. 48. *In ore impudentia multo rubore suffusa*, et Suet. Dom. 18. *Fuit vultu modesto ruborisque pleno*, coll. Philostr. Vit. Apoll. VII, 28. μεστὴ δ' ἡ παρειὰ χολῆς· ταυτὶ γὰρ μάλιστα ἐμφαίνει. Atqui si quis semper prae ira rubet, is illi rubori, qui *pudoris* verecundique moris aliorumque affectuum indicium habetur, inaccessus est.

Tu vero felix] Cic. Orat. III, 3. *Ego vero te, Crasse, cum vitae flore tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et extinctum arbitror.*

tanquam . . donares] Nam si non fato se sed scelere et ὑπὲρ μόρον praemature interire arbitratus esset, ad querimonias prolabi potuit, quales effuderat Germanicus Ann. II, 71. Fato demum constanter ac libenter concedendum erat. Doed.

excepissemus] Rhenanus. At Vatt. et AE. *Excepissem.* Haec quoque ut c. 34. ex Homero, Il. XXIV, 744. οὔτε τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος, οὗτέ κεν αἰεὶ μεμνῄμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

noster hic dolor] H. e. proprius, ac non cum iis qui Romae tum aderant communis.

ante quadriennium] Pro quadriennio ante quam obiisti; ut Ann. XIV, 12. *Quae adeo sine*

est. Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis compositus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui. 46. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius et immortalibus laudibus et, si natura suppeditet, aemulatu decoremus. is verus honor, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, famamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur;

compositus es AE. At Va. Vb. *comploratus es*. Non inepte utrumque coniunxeris: *Paucioribus lacrimis comploratus*, *compositus es*. Doed.

C. 46. *et immortalibus laudibus* Acidalius, ut H. IV, 32. *immortalia tributa*. At AE. et MSS. *temporalibus laudibus*.

aemulatu decoremus Heinsius; ut Ennius: *Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu faxit*, et Virg. Aen. XI, 24. *Egregias animas . . decorate supremis muneribus;* coll. Sall. Cat. 12. Tac. Ann. III, 62. coll. *κεκόσμηνται*, Thuc. II, 46. At MSS. *militum decoramus*. Suspicor cum Grotio: *similitudine decoremus*, sive mavis cum Mureto, *colamus*. Praestat illud nomen ob id quod additum est, *si natura suppeditet*. Nam ad similitudinem *natura* opus est; ad aemulatum tantummodo *voluntate*. Simul vereor ut aemulationi in *pietate* et adversus *parentes* locus sit, etiamsi adversus *alios* quoscunque sine odii vel invidiae accessione exerceri potest; sicut Ann. II, 59. *Germanicus sine milite incedere . . P. Scipionis aemulatione*, h. e. imitatione. Ne Ann. VI, 29. quidem: *Aemulataque est coniux Paxaea* prorsus simile est. Mirum sane si Tacitus ambiguum et invidiosum plerumque verbum verecundo et proprio vocabulo *imitatione* vel *similitudine* hoc maxime loco praetulit.

cura deum eveniebant, *ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit*. Et c. 9. *Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina*. Ex Walch. Vid. Hand. Tursell. T. I. p. 371.

honori tuo] Exsequiis et sepulcro, ut Val. Fl. III, 357. *Atque solutus honos cineri*.

famam ac figuram animi] Per ἓν διὰ δυοῖν ne genitivi occurrant, pro *famam figurae animi*, si Walchio credideris. At mirum

non quia intercedendum putem imaginibus quae marmore aut aere finguntur, sed ut voltus hominum, ita simulacra voltus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. nam multos veterum

si gener et uxor et filia *famam animi* paterni complecti maluerunt quam *ipsam animi figuram*, quam diuturna conversatione satis ipsi cognoverant; nam *fama* ignotis potius et posteris relinquenda erat. Porro in ista figura non *ac* sed *et* vel *que* inservit copulationi, nisi ubi synonyma iunguntur in eiusdem figurae similitudinem. — An per *famam* res gestae et gloria Agricolae, per *figuram animi* autem eiusdem mores et privati hominis virtus ac suavitas intelligenda erit? At intercedit lex concinnitatis. Ergo suspicor cum Mureto: *formam ac figuram*, ut Cic. Tusc. I, 16, 37. *Animorum formam aliquam figuramque quaerebant;* coll. Fin. V, 12. Orat. III, 45. II, 23. Opt. dic. gen. 5. Et ad ipsius Taciti fortasse exemplum loco simillimae sententiae Plin. Pan. 55, 11. *Quinetiam leviora haec, formam principis figuramque non aurum melius vel argentum quam favor hominum exprimat teneatque.* Synonymorum coniunctionem Tacitus ne in narratione rerum quidem aspernatur, nedum in iis locis quibus oratorem agit. Doed.

mortalia] Ut Hist. V, 5. *Mortalibus materiis.*

fama rerum] Ut Hist. IV, 39. *Claros rerum fama et militum studiis*, et unde haec ducta videntur, Liv. XXV, 38. *Vivunt viventque fama rerum gestarum.* Totus locus similis est Vell. P. II, 66. *Vivit vivetque per omnem saeculorum memoriam* (coll. Plin. Epp. II, 1, 11.), non tamen imitatione expressus.

multos veterum] Quinam intelliguntur veteres? Si eos complectaris, quorum Livius gloriam aut tradidit posteris aut potuit tradere, in summae arrogantiae crimen incurret Tacitus, quasi *veterum* quidem annalium aeternitati timeat, *suo* autem libello immortalitatem spondeat ac praestet. At non est ita. Per *veteres* non *antiqui* sunt intelligendi, sed ipsius Agricolae aequales vel qui ante eum sub malis principibus vixerunt. Nam *veteres* etsi Tacito illi plerumque vocantur, qui in libertate et ante Augustum vitam egerunt, tamen etiam ii possunt dici qui una aetate priores Tacito sunt, ut *veteres legatos* Agr. 33. Multi et illo proximo saeculo gloriosi et nobiles floruerant, sed deerant scriptores, metu temporum aliisque de causis; ac *paulum sepultae distat inertiae celata virtus!* Horum igitur virorum aeternitati quamvis meritae metuit Tacitus; Agricolae autem quodammodo gratulatur, non quod *se* potissimum, sed quod in plurimorum silentio *aliquem* nactus sit, qui, quoniam venia scribendi per temporum et principis mutationem reddita sit, res eius vacuus *ignorantia recti et invidia* narrare voluerit. Quodsi tunc cum hunc Agricolam scribebat

velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

Tacitus, Annales eiusdem iam extarent, quibus aliquot post annis Lepidos, Corbulones, Paulinos posteris commendavit, illa hercle verba non addidisset; nunc dum haec scribit, Annalium componendorum ne consilium quidem ceperat. Ergo hic *exitus* libelli egregie respondet ipsi *principio;* nec possunt ultima verba satis recte intelligi, nisi si primorum capitum satis memores simus. Doed. Praestat tamen simplicitate sua, quod M. Hauptius in Mus. Rhen. Novi T. III. p. 152. proposuit, perfectum *obruit.*

traditus] Non synonymum est *narrati*, sed id quod *commentatus*, ut Hor. Sat. I, 9, 47. *Hunc hominem velles si tradere.* Epp. I, 9, 3. *Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner;* coll. I, 18, 76. Cic. Fam. VII, 9. Doed.

C. CORNELII TACITI
DE ORATORIBUS
DIALOGUS.

---

1. Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. Cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum, si idem assequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus, vix hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli

C. 1. *Iuste Fabi*] Haud dubie is ex Plinii minoris familiaribus, ad quem epp. I, 11. et VII, 2. datae sunt, cuiusque idem meminit VII, 20. IX, 23.

deserta] Scil. *oratorum ingeniis.*

causidici cum contemptu proprie dicebantur. Cic. Orat. I, 46. *Non enim causidicum nescio quem neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro requirimus.*

iuvenis admodum] Si sumimus Taciti annum natalem nec ultra annum ab u. c. 805. reiici nec ultra annum 807. proferri posse, egit is, cum dialogus haberetur, vel primum et vicesimum vel tertium et vicesimum. Id aetatis agentes *admodum iuvenes* vocatos fuisse neutiquam dubitari potest. H. II, 78. *Iu-*

diversas vel easdem sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis. neque enim defuit qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata et irrisa vetustate nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret. 2. Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tanquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur,

veni adhuc Vespasiano, coll. IV, 5. Agr. 7. Ex Walth.

vel easdem] Haec ut otiosa hoc loco traiecta videntur. Suspicor: *cum singuli diversas sed probabiles causas afferrent, vel easdem, dum formam* etc. Nam per *causas* non tam causae corruptae eloquentiae intelligendae sunt, quam argumenta quibus pro se quisque confabulantium eloquentiam esse corruptam vel asseverabant vel negabant. Ergo Apri et Messalae causae *diversae* et contrariae erant, Messalae et Materni genere *eaedem*, specie pro utriusque animo ingenioque dispares; siquidem Messala, homo acerrimus, praesentem eloquentiam simpliciter incusavit, Maternus, homo lenissimus, etsi corruptam confessus excusavit. Porro *dum* est pro *dummodo*. Doed.

numeris] H. e. eadem orationis membrorum structura et copulatione. Walth. Ac potius: eadem oratione vel elocutione, cuius pars est numerorum sive rhythmi ratio. Nempe tria illa quibus consummatur ars oratoris: inventionem, dispositionem, elocutionem his synonymis significare placuit: *rationibus* sive argumentis, *ordine, numeris*, sicut aliis synonymis usus eandem distributionis rhetoricae figuram sequitur Horatius ad Pis. 40. *Cui lecta potenter erit res non facundia deseret hunc nec lucidus ordo.* Aliter Eichstadius de Dial. p. 15. Is *numeros* explicat rationes et causas, coll. Plin. Epp. III, 4. 5. *Compulit me ad hoc consilium non solum consensus senatus.. verum etiam alii quidam minores sed tamen numeri*, verbaque seqq. *iisdemque rationibus* tanquam interpretamentum damnat. Doed. Praestat simpliciter gradus et partes quasi palaestrici certaminis (cf. Quintil. XII, 2, 12.) accipi. Nos: *Gänge.* Illis autem *numeris* sententiae contrariae et argumenta, quas scriptor *rationes* dicit, continebantur. Ita dum per orbem numerorum ratiocinationes explicantur, ordo disputationis extitit. *Bernh.*

C. 2. *Maternus*] Tragoediarum scriptor, idem fortasse est, qui commemoratur a Martial. Epigr. X, 37. quemque Domitianus ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν ἀπέκτεινεν, ut Dio C. LXVII, 12. narrat. Walth.

Catonem cogitasset] Ut Plin. Epp. IV, 2, 2. *Incredibile est; sed Regulum cogita!* h. e. Reguli mentem indue.

venerunt ad eum Marcus Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem. quamvis maligne plerique opinarentur nec Secundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. nam et Secundo purus et pressus et in quantum satis erat profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tanquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. 3. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem, ipsum

C. 3. *ipsum*] I. e. eum ipsum librum quem recitaverat; ut Ann. I, 10. *Ne ipsis quidem qui fecerant laudatas.* Sic MSS. At Lipsius ex ed. Rom. *et ipsum.*

arcana] Ut *fabulas* recte explicueris confabulationes de rebus vitae communis institutas, quem vocabuli significatum docuit G. H. Schaeferus in Plin. Epp. I, 13, 2., ita *arcana semotae dictionis* eos intellexerim sermones, qui ab amicis familiaribus de rebus gravissimis, de quibus publice dicere non licet per principem, habentur. Tales sermones sub imperatoribus frequenter habitos esse colligere in promptu est. WALTH.

nam et Secundo] Ad unam vocem *maligne* referendum est. Deinde *purus* dubito num explicem *simplex* opp. fucato, ut Caesari Terentius: *puri sermonis amator* appellatur; an *castus* opp. peregrino ac barbaro, ut Cic. Orat. III, 8, 29. *Catuli oratio .. est pura sic, ut Latine loqui paene solus videatur;* coll. Brut. 78. DOED.

in quantum satis erat] Nam nimia profluentia prope abest a *circulatoria*, quam Quintilianus dicit, linguae *volubilitate*, gravitati dignitatique incongruens.

omni eruditione] Ut Cic. Brut. 56. *Varro .. vir ingenio praestans omnique doctrina.* —

contemnebat] Similiter Cic. Orat. II, 1, 4. de Crasso et Antonio: *Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur; atque ita se graviorem uterque fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem videretur.*

quem pridie recitaverat librum intra manus habentem deprehendimus.

Tum Secundus, Nihilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares, et sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?

Tum ille, Leges quid Maternus sibi debuerit, et agnosces quae audisti. Quodsi qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi. atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.

Adeo te tragoediae istae non satiant, inquit Aper, quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix sufficeres, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum fabulis aggregares.

omisit edd. At F. *misit* ut Hor. C. I, 38, 3. *mitte sectari.*

intra manus] Pro vulgatiore *inter manus*. Ann. III, 16. *Visum inter manus Pisonis libellum*, coll. Plin. Epp. II. 5. V, 5.

Thyestes] Intellige aliquam in Thyeste fabula personam, non ipsius Thyestis; is enim utpote tyrannus non debebat ea eloqui quae Cato, homo moribus diversissimus, omiserat.

maturare . . festino] Ut Ann. III, 4. *Perferre . . non toleravit.*

Domitium] Ahenobarbum illum, Caesaris adversarium.

aggregares] Id ex *etiamsi non* aptum est, quod post *id est* cogitatione repetendum. Inservit autem *id est* epexegesi ironicae, ut infra c. 9. *in nemora et lucos, id est in solitudinem*. Nam hoc ipsum aegre fert Aper, quod veritas et gravitas *historiarum* Romanarum illustriumque nominum quale Catonis erat, dignitate sua exuatur, si tragoediis adhibita et in scenam missa fictis Graeculorum fabulis *mythologiae*que lusibus assimuletur. At edd. cum Pithoeo *aggregare*. Doed.

4. Et Maternus: Perturbarer hac tua severitate, nisi frequens et assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset. nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum obiicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae exerceo. quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum angustiis, in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.

5. Ego vero, inquit Secundus, antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et modesti iudices solent, ut in iis cognitionibus excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere. quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum virum tum absolutissimum poetam? porro si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem.

Securus sit, inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi: sed ipsum solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua

C. 4. *forensium causarum* MSS. ut c. 8. et Cic. Orat. 3, 12. At edd. veteres *forensium Musarum*.

C. 5. *Ego enim* Orellius. At MSS. *Et ego enim*, male repetita particula ex sup. versu.

C. 5. *excusent*] Scil. se, ut Agr. 42. *Domitianus . . audiit preces excusantis*, coll. Suet. Aug. 35. Edd. cum Pithoeo *se excusent*.

Saleium Bassum] Quintil. Inst. X, 1. 90. *Vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.*

reum locupletiorem] Ut Liv. IX, 9. *Samnitibus sponsores nos sumus, rei satis locupletes.*

quatenus] H. e. quoniam, ut c. 19.

parere simul et tueri amicitias, asciscere necessitudines, complecti provincias possit, omittit studium, quo non aliud in civitate nostro vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro ferat, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? cuius vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum praesidio et tutela intelligitur; sin proprium periculum increpuit, non hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum quam reo et periclitanti eloquentia, praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere sive in iudicio sive in senatu sive apud principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et eiusmodi certaminum

qua accinctus Ursinus. At F. *qui*. Suspicor: *qui ea accinctus*. DOED.

parere] Pro parare, ut Nep. Alc. 7. *Magnamque sibi amicitiam cum quibusdam regibus Thraciae pepererat.* Fronto p. 5. *Amicitia meritis parta.* In Terent. Heaut. I, 1, 4. *Quod ego in propinqua parte amicitiae puto* correxerim: *Quod ego in propinquo partae amicitiae puto*, oppos. *naturalis*, qualis est *vicinia*. DOED.

complecti] Scil. patrocinio.

ad utilitatem vitae] Ut vita nostra utilis aliis sit. Cic. Fam. XVI, 3. *Utilitatibus tuis possum carere.*

quid est tutius] Pracivit Cic. Orat. I, 8, 32. *Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis vel provocare improbos vel te ulcisci lacessitus?*

increpuit] Ut Cic. Cat. I, 7. *Quicquid increpuerit Catilinam timeri.* Liv. IV, 43. *Unde si quid increpet terroris.*

Eprius Marcellus] Vid. Ann. XV, 22. H. IV, 5.

num rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror. 6. Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo; cuius iucunditas non uno aliquo momento sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati neque officii alicuius administrationi sed sibi ipsi dari? illos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes, id quod optimum sit, se non habere? Iam vero qui togatorum comitatus et egressus, quae in publico species, quae in iudiciis veneratio, quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conversos; coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum, quemcunque orator induerit. Volgata

C. 6. *quod* edd. At MSS. *quod id.*
coronam Acidalius. At MSS. *coram*.

C. 6. *officii.. administrationi*] H. e. potentiae, quod magistratum aliquem gerit. Argumento est seq. *potentes.*

veteres, vel *γέροντες*, *seniores*, iam quinquagenarii habentur, *senes* vel *πρεσβῦται*, non ante sexagesimum aetatis annum, Synon. Lat. T. IV. p. 89. Inest gradatio; nam *veteres* corroborati sunt ingenio et prudentia, *senes* etiam venerabiles animo et sapientia. Hauptius in Quaest. Catull. p. 21. *veteres et senatores* coniecit. Doed.

qui togatorum comitatus] Sensus est: Iam vero cum *toga* ornati forum petunt, multo magis etiam honorantur quam donec *tunicati* domi assident; vid. Agr. 9. Doed.

induerit] Ut H. IV, 38. *Falsos pavores induerat.* Dubitari potest, intelligendum sit *ipse sibi* an *illis*, *audientibus*. Posterius verum est, si quidem exprimitur Cic. de Orat. I, 19, 56. *Caput enim esse oratoris arbitrabatur .. uti eorum qui audirent sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator.*

Volgata gaudia] Non memini ubi legerim: *Non vulgo nota pla-*

dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo; illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota maiora sunt. Sive accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia, sive novam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est. nam in ingenio quoque, sicut in agro, quanquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur. 7. Equidem, ut de me ipse fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quaesturam aut tribunatum uut praeturam accepi, quam eos quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecunque in dicendo facultatis aut reum prospere defendere aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod, si non in alio oritur, nec codicillis

C. 7. *de me ipso*] Ut Cic. Off. I, 38. *Deforme est etiam de se ipso praedicare*, coll. Sen. 9. et 23. Alii *de me ipse.*

tum habere Muretus. At MSS. *abire*. Faehsius: *tum ambire.*

si non in alio] Locus corruptus. Suspicor: *si non in natali oboritur*. Exciderat ut saepe media syllaba *ta*. Festus: *Oboritur: adnascitur*. Gl. Labb. *Oboritur: ἐπιγίγνεται.* Et scripsit *in natali*, quod tam emphaticum est quam *ipso natali;* ita enim differt etiam apud Ciceronem Finn. V, 6, 17. et 21, 59. *in primo ortu*

cebant gaudia, non usu plebeio trita voluptas.

pondus et constantia] Pro constanti et aequabili pondere.

curam] De oratione meditata, ut de libro suo Tac. Ann. IV, 2. III, 24.

lenocinatur] H. e. inservit, ut Germ. 43. Quintil. V, 12, 17. *Mancipiorum negotiatores formae puerorum excisa virilitate lenocinantur.*

C. 7. *minime favorabili*] Fuit enim natione Gallus, c. 10. Galli autem sub Claudio demum, multis refragantibus, ius honorum adepti sunt. Ann. XI, 23. *Favorabilis* autem dicitur non cui favetur, sed qui favori conciliando idoneus est, *empfehlend.*

datur nec cum gratia venit. Quid fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est, qui illustres et in urbe non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud iuvenes et adolescentes, quibus modo recta et indoles est et bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos saepius volgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat?

ab eo quod 15, 42. legitur, *primo ortu*, et apud ipsum Tacitum Agr. 4. *in prima iuventa* ab Ann. VI, 1. *prima iuventa*. Obversabatur fortasse Hor. Carm. IV, 3. *Quem tu, Melpomene, semel nascentem placido lumine videris*. Non quemlibet ad studia oratoria excitat Aper, sed eos solos qui ad eam artem *nati* sunt ut Maternus: vid. c. 10. Freinshemius *in animo*. Alii *in aliquo*. Bernhardy Encycl. p. 134. proposuit: *quod sine nomine alieno oritur* vel *paritur*. Et Iul. Sillig. Ep. crit. ad Groebelium p. 9. *quod si non numine aliquo oritur*, coll. 8. *eloquentiae numen* et Ann. XIII, 41. *Miraculum velut numine oblatum*, et Doxopatro in Rhett. Gr. T. VI. p. 6. Walz. *Ἑρμῆς τοίνυν ὁ λόγιος . . δέδωκε τοῖς ἀνθρώποις τὴν ῥητορικήν . . Οὕτως ἐξ Ἑρμοῦ τὴν γένεσιν ἐσχηκυῖα ἡ ῥητορικὴ ἐκ θεοῦ τε λέγεται εἶναι καὶ θεὸν ἔχειν προστάτην καὶ ἔφορον*, ut Quintil. X, 7, 14. 15. Speciose, modo ne intransitivum *oritur* legatur, sed *datur*, *offertur* vel tale quidpiam. Doed.

qui illustres edd. At MSS. *qui non illustres*, dittographia seq. *non*.

venit] Pro *evenit* ut Ann. XIV, 53.

Quid fama et laus cuius artis] Consulto interrogativum pronomen postpositum, ut ex inversione novam orationis partem incipere significetur. Etenim postquam de *utilitate* et *voluptate* absolvit, transit ad *famam*, sicut fere pollicitus est c. 5. De *Quid* specie abundanti vid. in Hist. IV, 17. Edd. cum Lipsio: *Quae fama et laus cuiusvis artis*, in qua lectione *cuiusvis* vix Latinum est; requiritur enim *ullius* vel *cuiusquam* vel certe *cuiuspiam*. Doed.

et in urbe] Non habet *et* quo referatur. Nempe transiit ea antithesis quam in animo habuerat et praeparaverat scriptor *et in coloniis et municipiis*, mox in aliam structuram: *iam in municipiis et coloniis auditos*. Debebat pergere: *et in coloniis ac municipiis, unde fit ut advenae quoque . . . agnoscere concupiscant*. Causa variatae structurae sunt sententiae parenthetice interpositae: *quorum nomina ingerunt; quos volgus . . demonstrat*.

recta et indoles] Insolenti verborum collocatione, ut Ann. I, 3. *aegro et corpore*. Et *recta* pro *erecta*: vid. in Agr. 1.

tunicatus hic populus] Ut Hor. Ep. I, 7, 65. *Volteium . . vilia vendentem tunicato scruta popello*; h. e. plebiculae sine toga in publicum prodeunti. Vid. in Agr. 43.

advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt. 8. Ausim contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus esse in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. nec hoc illis alterius ter milies sestertium praestat, quanquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse: ipsa eloquentia, cuius numen et caelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda sed oculis spectanda haberemus. nam quo sordidius et abiectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumstete-

C. 8. *sed haec* Lipsius. At MSS. *haec* omisso *sed*, recte et ex more Taciti.

velut agnoscere] Comparando ipsos cum illa imagine, quam ex eorum fama pridem mente conceperant vel composuerant.

C. 8. *Crispum Vibium*] Iuven. IV, 81.

non minus esse] Scil. *natos*, quod ex seq. *nati* assumendum; nempe *dicuntur* emphaticum est. Ad *incunabula* transfert Aper illud, quod de *sepulcro* magnorum virorum Pericles ap. Thuc. II, 43. ἀνδρῶν γὰρ ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος. Alii *non minus nosci* vel *non minus innotuisse* vel *non minoris esse* correxerunt. Doed.

alterius] Hist. II, 10. *Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos;* coll. Ann. XIV, 28. *Vibius Secundus .. Vibii Crispi fratris sui opibus enisus.* Mireris quod cum pluralis *illis* praecesserit, non de *utriusque* opibus memoratum sit. Sensus est opinor: Nec hoc illis *divitiae suae* praestant, quae Eprio magnae, Crispo etiam immensae sunt. Putidum hercle foret si *Eprii* quoque opulentiam numero expressisset. Doed.

ipsa eloquentia] Suppl. *sed*, post negationem reticeri solitum a Tacito. Inseruit tamen *Lipsius*.

haberemus] Imperfectum ex *dixi* et enunciatione relative interposita suspendere quam rite absolvere periodum maluit scriptor, Graeco more: vid. in Ann. XVI, 1. Et coniunctivus post *et qui* requiritur ut Hist. I, 10. At Puteol. *habemus* substituerat. Doed.

angustiae .. circumsteterunt] Ut Hist. I, 17. *Circumsteterat interim palatium publica expectatio.*

runt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis, et donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intelligit ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint, quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur, tam hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat. his igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt. 9. Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis

quaeque ipsi edd. At F. *ipsis*.

agunt feruntque] I. q. compilant, ut Hist. I, 2.

patientissimus veri] Ut Senec. Ir. III, 36. *Vide an ille cui dicitur veri patiens sit.* Talem patientiam praestabat Vespasianus, si incorrupto iudicio illud et intelligebat et confitebatur, quod principibus plerisque grave et molestum confessu est, posse quosdam ex parentibus ope et favore principali supersedere et suis ipsos facultatibus inniti. Nam impatientissimus quisque veri non modo amicorum monita respuit, sed naturae quoque iudicia incredulus aspernatur, suus ipse adulator. Suet. Vesp. 13. *Amicorum libertatem, causidicorum figuram ac philosophorum contumaciam lenissime tulit.* Doed.

honoribus ad salutationes et potentiam referendum, de quibus fuse, *ornamentis et facultatibus* ad statuas et divitias, de quibus in transitu et per παράλειψιν disseruit.

ab ineunte adolescentia] Ut Cic. Off. I, 32. At F. interponit *aetate;* unde suspiceris *adolescentia* glossema esse.

conciliant neque utilitates alunt; voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa, et quae deinde dicturus sum, aures tuae, Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? quis Saleium nostrum, egregium poetam, vel si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat aut prosequitur? nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te, Materne, non quia poeta es, neque ut pro eo versus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est, ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium exstruit et subsellia conducit et libellos dispergit. et ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum et vo-

C. 9. *utilitates alunt*] Eodem sensu dictum, quo *utilitate eos alunt*, id quod Ritterus substituit. Non aliter Propert. IV, 10, 4. *Imbuis exemplum*, h. e. imbuis nos exemplo. Similia Tacitus: vid. in Ann. XVI, 2. Hist. II, 2. III, 3. V, 11. Doed.

deducit revertentem domum, *aut salutat* occurrentem in publico vel domi morantem, *aut prosequitur* domo exeuntem forumque petentem.

rogare ultro] Eandem audientium lentitudinem perstringit Plin. Epp. I, 13.

libellos] Invitandis auditoribus.

intra unum . . diem] Duae enunciationes in unam coartatae sunt: *intra unum aut alterum diem interit et ad nullam . . pervenit frugem.* — *velut in herba . . praecepta*] H. e. quasi festinantius et antequam laus in fructum maturuit decerpta. Ovid. Her. XVII, 263. *Sed nimium properas et adhuc tua messis in herba est.* Fronto Epp. I, 5. *Egone qui indolem ingenii tui in germine etiam, tum et in herba et in flore dilexerim, nunc frugem ipsam maturae virtutis nonne multo multoque amplius diligam?* Doed.

ces inanes et gaudium volucre. Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem! Adiice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem, recedendum est. 10. Ne opinio quidem et fama, cui soli serviunt et quod unum esse pretium omnis laboris sui fatentur, aeque poetas quam oratores sequitur, quoniam mediocris poetas nemo novit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. quotusquisque, cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquar, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam

C. 9. *suum genium* Lipsius. At F. *suum ingenium.* Vat. *sive ingenium.*

relinquenda conversatio amic.] Translata putes ad *poeseos* studium ea, quibus Cic. p. Coel. 19, 46. studium *eloquentiae* commiseratur: *Obterendae sunt omnes voluptates; relinquenda studia delectationis, iudices, ludus, iocus, convivium; sermo est paene familiarium deserendus.*

ut ipsi dicunt] Significat fortasse Hor. Epp. II, 2, 77. *Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes*, coll. Carm. IV, 3, 11. Iuven. VII, 56. *Hunc vatem anxietate carens animus facit, omnis acerbi impatiens, cupidus silvarum aptusque bibendis fontibus Aonidum.* Rursus ad hunc Taciti locum respicit Plin. Epp. IX, 10. *Poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas.* Add. Quintil. X, 3, 22.

id est, in solitudinem] Sarcastica nemorum interpretatio. Vid. in c. 3. Ne pro glossa habeatur obstat vel illud Materni responsum c. 12. *Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat.*

C. 10. *rarissimarum*] H. e. praestantissimarum.

ut semel vidit] Plin. Epp. II, 3. *Nunquamne legisti Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse statimque ut viderat abisse?*

vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tanquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto; nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcunque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi, Materne, res est, quod cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adeptus in levioribus subsistis. ut si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires di dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate iaculi aut iactu disci vanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera praelia voco; cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tanquam minus obnoxium sit offendere poetarum quam oratorum

C. 10. *adeptus*] Suspicor cum Acidalio: *adepturus*, coll. Plin. Epp. V, 9. *Summa consecuturus, si virtutes eius maturuissent.*

heroici .. sonum] H. e. magnificentiam: nam τὸ ἡρωικὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστίν. Aristot. Poet. 24.

ceteris aliarum] Eadem ubertate quam illustravi in Germ. 4.

cum natura .. ferat] Intransitive ut in Ovidiano: *In nova fert animus mutatas corpora formas dicere;* coll. Nep. Dat. 4. Frontin. Strat. II, 2, 12. Acidalius *te ferat* intulerat ut c. 13. *Me Musae .. in illa sacra ferant.*

in arcem eloquentiae] Ex Quintil. XII, 11, 28. *Pollio et Messala, qui iam Cicerone arcem tenente eloquentiae agere coeperunt.* Sil. It. XIII, 771. *Ad decus et summas laudum perduxerat arces;* h. e. fastigium.

Nicostrati robur] Pausan. V, 21, 5. Νικοστράτῳ .. καὶ ἄλλαι νῖκαι Ὀλυμπίασιν ἐγένοντο παγκρατίου καὶ πάλης. Quintil. II, 9, 14. *Ille quem adolescentes senem vidimus Nicostratus .. efficiet illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum;* coll. Lucian. Hist. conscr. 9.

offendere] Pro gerundio, ut Ann. XIV, 56. *Factus natura et*

studium. effervescet enim vis pulcherrimae naturae tuae: nec pro amico aliquo, sed quod periculosius est, pro Catone offendes. Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris [aut] elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio quid responderi possit: hinc ingentis ex his assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

11. Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, remissus et subridens Maternus, Parantem, inquit, non minus diu accusare oratores quam Aper laudaverat (fore enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detractaret poetas atque carminum stu-

aut elegisse] Suspicor *aut* dittographia superioris *aut* huc irrepsisse. DOED.

consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis.

hinc ingentes ex his] Suspicor cum Mureto *existere*, ut concinnitati consulatur, et parallelis enunciationibus suus utrique sit infinitivus, *laudari* et *ferri;* concinnitatis autem prope anxie studiosus est Aper. Alii *hinc*, alii *ex his* deleri iubent. Bezzenbergerus non male: *Sentio quid responderi possit hic: ingentes ex his assensus;* coll. Sen. Ep. *Scio quid mihi responderi possit hoc loco.*

sermonibus ferri] Hiare post haec sententiam ait Fr. A. Wolfius. Ac profecto ratio nulla apparet cur Aper id, quod responderi posse sentiat, nullo verbo refellat et tanquam refutando impar silentio transmittat. DOED. Mihi longius progrediendum videtur. Nullus enim locus huic exceptioni, quam Aper initio capitis praeceperat, famam recitationum commemorans. Contra sublato membro *Sentio — sermonibus ferri* sententiae recto tenore ad perorationem decurrunt. BERNH.

expressis] H. e. quoniam necessitate et amicorum discriminibus expressae sunt defensiones ac non sponte sumptae; ut Tac. Ann. I, 19. *necessitate expressa, quae per modestiam non obtinuissent.* Et c. 39. *quae per seditionem expresserant.*

C. 11. *intento ore*] Ut Agr. 9. *intentus, mit hohem Ernst*, opponiturque *subridenti* Materno.

dium prosterneret) arte quadam mitigavit, concedendo iis, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie, si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. ac me deiungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam irruperunt. nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia; nec vereor ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint. 12. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. haec eloquentiae

C. 11. *hucusque ac* Lipsius. At MSS. *cuiusque ad.*

in Nerone] Eius argumenti nominisque tragoediam vix credibile est sub ipso Nerone editam esse. Post mortem autem eiusdem Vatinii potentia iam fracta fuit. Suspicor cum Rupertio: *in Neroneo* scil. *agone.* Suet. Ner. 21. *Neroneum agona ante praestitutam diem revocavit*, coll. c. 12. *Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia.* In hoc igitur certamine vel tragoediam aliquam vel aliud poema recitaverat Maternus adversus Vatinium, de quo homine Ann. XV, 34. *Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus.* Iste homo *studiorum sacra profanaverat* factitandis ipse, credo, carminibus; eoque refero epigramma Martialis XIV, 96. *Vilia sutoris Calicem monumenta Vatini accipe, sed nasus longior ille fuit.* Nam poema intelligendum videtur *Calicis* nomine inscriptum, prolixum illud quidem et vile ingenii monumentum. Doed.

C. 12. *sedente . . litigatore*] Hor. Epp. I, 5, 31. *Rebus omissis atria servantem postico falle clientem.*

primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus, atque ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus; ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum et oratorum et criminum inops poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria maior aut angustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum sed Orphea et Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detractent; nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.

C. 12. *maior* Lipsius. At F. *'iore.*

sanguinantis] H. e. cruentae, ut Quintil. Decl. X, 8. *lacertos sanguinantes porrigere*. Gloss. Labb. *sanguinare*, *αἱμάσσεσθαι*. Et *sanguino*, *φλεβοτομῶ*. Distinguitur saeva *accusatorum* eloquentia caedes et supplicia sectans a sordida *causidicorum* eloquentia praemia ac mercedem captante. Orellius *saginantis* commendavit coll. Cic. Sext. §. 78. *Reipublicae sanguine saginantur*. Bezzenbergerus: *sanguini inhiantis.*

sacrosque reges] Ut Pind. Pyth. V, 131. *βασιλέες ἱεροί.*

neminem causidicorum] Suspicor: *causidicum*. Vid. c. 40. Causa in aperto; nam genitivus si retinetur, ii significantur quos vixisse certum est, Lysias, Aeschines, Hortensius. Atqui frigidus foret iocus, si hos ipsos apud illos sacros reges reperiri negaret Maternus. Doed.

Apollinem] Scil. fuisse, ut Cic. Verr. IV, 8. *Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate*. Quintil. XII, 1, 14. *Demosthenem .. malum virum accepimus.*

Asinii Pollionis *aut Messalae* Corvini oratorias virtutes recenset Quintil. X, 1, 113. Eorundem poemata quoque memorantur.

Medea .. Thyestes] Quintil. X, 1, 98. *Iam Varii Thyestes*

13. Ac ne fortunam quidem vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint, malo securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum. ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent an quod timentur? quod, cum cotidie aliquid rogentur, ii quibus praestant indignantur? quod alligati

cuilibet Graecarum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo operari quam indulgere maluisset.

auditis in theatro] Servius in Virg. Ecl. VI, 11. eclogam sextam a Cytheride mima in theatro recitatam esse annotat; et Donat. Vita Virg. XI, 41. tanto successu Virgilium Bucolica edidisse refert, ut in scena quoque per cantatores crebra pronuntiatione recitarentur. Vid. Weichert. Poett. Latt. Rell. p. 285.

Secundus Pomponius] Quintil. X, 7, 98. *Eorum quos viderim longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.*

dignitate vitae] Erat enim Afer Domitius *modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere.* Claudiam Pulchram, Agrippinae sobrinam accusaverat sub Tiberio. Vid. Ann. IV, 52. Plin. Epp. VIII, 18. Ceterum *disertorum quos viderim Domitius Afer et Iulius Africanus longe praestantissimi*, Quintil. X, 1, 118. — *perpetuitate famae*] Quintil. XII, 11, 3. *Vidi ego . . Domitium Afrum valde senem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat auctoritate perdentem, cum agente illo quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent, quae occasio fuit dicendi malle eum deficere quam desinere.* Ergo propria vi *perpetuitas* dicta est, de vitae humanae spatio, non de aeternitate saeculorum. Sensus est: Afer et moribus contemptus et imminuta ingenii artisque fama vivit. Doed.

indignantur] Scilicet *gravis est liberis ipsa beneficiorum potentia:* vid. Flor. IV, 2, 92.

alligati] More servorum nequam.

cum adulatione nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero dulces, ut Virgilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate cotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontis ferant; nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. Non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet; nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam; nec plus habeam quam quod possim, cui velim, relinquere, quandoque [enim] fatalis et meus dies veniat; statuarque tumulo non maestus et atrox sed hilaris et coronatus; et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.

C. 13. *quandoque* cdd. h. e. quandocunque, ut Ann. I, 6. IV, 30. *quandoque concessero.* At MSS. *quandoque enim.* Suspicor: *quandoque mihi fatalis.* Doed.

cum adulatione] H. e. *mit samt ihrer Schmeichelei.* Plaut. Pseud. I, 3, 76. *Mihi quidem profecto cum istis dictis mortuus est.* Doed.

ut Virgilius ait] Georg. II, 475. *Me vero primum dulces ante omnia Musae.*

insanum . . forum] Ex Virg. Georg. II, 502. *Nec ferrea iura insanumque forum aut populi tabularia vidit.* Mox *pallentem* oratorum famam eodem sensu dicit quo *anxiam.*

anhelans] Ne quis alius officium eius antelucanum praevertat. Vid. Plin. Epp. III, 12.

pro pignore] Ut rata et secura sint testamenta; scilicet si princeps coheres scriberetur. Vid. Agr. 43.

fatalis et meus dies] Geminata circumscriptio naturalis mortis. Plin. Epp. I, 12. *Est luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura nec fatalis videtur.* Suet. Caes. 89. *Percussorum . . neque triennio quisquam supervixit neque sua morte defunctus est*, coll. Sen. Ep. 69. f. Talem enim expectat Maternus, dum otio et modestia procul habet causas, quae iram vel invidiam potentium irritare et exitium provocare soleant, divitiarum magnitudinem et rerum publicarum curam. Alii struunt: *et meus dies fatalis*, hyperbato eodem quo Ann. I, 3. *aegro et corpore* legitur.

maestus aut atrox] Describitur persona oratorum qui defensionibus vel accusationibus intenti sunt.

nec consulat quisquam, scil. Senatum, *nec roget* scil. principem. Institt. de iud. §. 3. *Cuius poena animae amissionem sustinet, et memoria rei etiam post mortem damnatur.* Inscr. CCCLIV, 2. (Grutero suspecta): *M. Annaeo Lucano Cordubensi beneficio Neronis fama conservata.* Artemidor. I, 5.

14. Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, cum Vipstanus Messala cubiculum eius ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem, Num parum tempestivus, inquit, interveni secretum consilium et causae alicuius meditationem tractantibus?

Minime, minime, inquit Secundus; atque adeo vellem maturius intervenisses. delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta, utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.

Me vero, inquit, et sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes assumitis, quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum iucundissimum oblectamentum cum vobis, qui illa disputatis, afferunt, tum etiam iis, ad quorum aures pervenerint. Itaque hercule non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.

C. 14. *pro carminibus suis*] Non quae ipse fecisset, sed quae summo studio amplecteretur; ut c. 27. *maiores tuos.*

et sermo . . atque id] Pro *et — et*, ut Suet. Claud. 21.

declamatorio studio] Quintil. X, 5, 14. *Declamationes vero quales in scholis rhetorum dicuntur . . non tantum dum adolescit profectus sunt utilissimae . . sed etiam cum est consummatus ac iam foro clarus.*

Asiatici] Vid. Hist. II, 94.

et otium] Dilucidius scripsisset *nec otium*, aut saltem *vel:* nunc *non* huc repetendum ex *nondum*. Vid. c. 17. extr. Alioquin ut sententia constaret verba *novorum rhetorum* et *veterum oratorum* transponenda inter se forent. Nam ironiae quam sta-

15. Tum Aper, Non desinis, Messala, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere? nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes; atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non vereberis, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares.

Neque illius, inquit, sermonis mei paenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quanquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. ac velim impetratum ab aliquo vestrum, ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graiis accidisse, ut longius abiisset Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes et si quis alius Ephesum vel Mytilenas contentis scholasti-

C. 15. *atque id eo* Lipsius. At MSS. *antiquis*. Suspicor: *atque aliis, credo, audacius.* Doed.

et] Hiat membrorum iunctura, quae requirit particulam *etenim*. Bernh.

abiisset Bachius ex Farn. h. e. recessisset, ut Ann. VI, 22. *Ne nunc incepto longius abierim.* De plusquamperfecto vid. in Agr. 6. At edd. *absit*, quod supra scriptum sane in F. Sed expectares *abesset*.

tuit Gutmannus, nullusdum locus est, nedum adeo rusticae. Vero animo laudat Aprum, quod philosophando et disputando potius ut veteres oratores quam declamando alere ingenium velit. Doed.

C. 15. *fratris tui*] Aquilii Reguli, de quo Hist. IV, 42. Martial. IV, 16.

auget quaestionem] H. e. quaestionis pondus.

Sacerdos Nicetes] Plin. Epp. VI, 6. *Iulius Naso . . prope quotidie ad audiendos quos tunc ego frequentabam, Quintilianum et Niceten Sacerdotem ventitabat.* Multa eius rhetoris fragmenta servavit Seneca pater in Controversiis. Philostr. Vitt. Soph. I, 19. Emendavit Lipsius; nam MSS. *enitet*.

contentis . . clamoribus] De commotis auditoriorum plausibus sermo est, non de Stentorea rhetoris declamantis voce. Wolf. Valer. Fl. V, 273. *Omnemque quatit rumoribus Arcton;* coll. II, 122. Sil. It. IV, 7. *Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.* Simili hyperbole Iuven. I, 12. *Frontonis platani convulsa-*

corum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut ab Asinio recessisti.

16. Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quaestionem movisti. Sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messala, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adiuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. nam et ego et Secundus exsequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus est iamdudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum et indefensum saeculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intelligo; ac mihi versantur ante oculos Ulixes et Nestor, quorum aetas mile fere et trecentis annis saeculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent. ex quo apparet non multo plures quam quadringentos annos interesse inter no-

C. 16. *quadringentos* Lipsius. At F. *tercentos.*

que marmora clamant semper et assiduo ruptae lectore columnae.

Afer] Vid. in c. 13.

Africanus] Iulius, Gallus, de quo Ann. VI, 7. Quintil. X, 1, 118. XII, 10, 11.

C. 16. *manifestus . . est accingi*] Ut Ann. II, 57. *Atrox et dissentire manifestus.*

nostram et Demosthenis aetatem. Quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videtur, ad naturam saeculorum ac respectum immensi huius aevi perquam breve et in proximo est. Nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum exsistet, isque annus horum quos nos vocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed ferme eodem mense extitisse. 17. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium ut puto Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Caelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam. quos quid antiquis temporibus potius ascribatis quam nostris, non video. Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit, septimo idus Decembris occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Quintum Pedium consules suffecit. statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adiice Tiberii tres

nongentos Loensis. At MSS. DCCC.

ferme Bekkerus. At F. *fama.*

C. 17. *Caelium* Put. ut c. 18. At MSS. *et alium.* Fuit ille M. Caelius Rufus.

quos quid antiquis ex F. et Spir. ascivi. At Puteol. *quos quidem cur antiquis*, sensu eodem, auctoritate vel necessitate nulla. Nam nec opus est *quidem*, et *quid* pro *cur* vel Ciceroni usitatum. Doed.

sex Lipsius. At F. *novem.*

ad . . respectum] H. e. *respectu*, ut Sen. Benef. IV, 32. *In illius respectum iste populo praesideat.* Doed.

in Hortensio] Eadem fere ex libro illo deperdito excerpsit Serv. in Virg. Aen. I, 269. III, 284.

et viginti, et prope quadriennium Gai, ac his quaternos denes Claudii et Neronis annos, atque ipsum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fatebatur et pugnae interfuisse, qua Caesarem inferentem arma Britanniae arcere litoribus et pellere aggressi sunt. ita si eum, qui armatus Gaio Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem et Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. ex quo colligi potest et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse: nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. Ne dividatis saeculum et antiquos ac veteres vocitetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt. 18. Haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae aut Gaio Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus. sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam ne in illa parte imitatus esset Calvus vester

et pugnae ex MSS. revocavi. Nam sat grandaevus ille senex fuisset, etiamsi illo anno *natus* esset; nunc autem tam adultus iam tunc fuit ut *et pugnarit*. Fuit autem illa pugna a. u. 699. aut 700. Vid. Caes. B. G. IV, 20. sqq. V, 4. sqq. At edd. cum Mureto: *ei pugnae*.

C. 18. *utinam ne in illa* Muretus. At F. *utinam inulla*. Suspicor: *utinam in nulla parte*, h. e. *in keiner Hinsicht*. Caes.

C. 19. *longum et unum*] Nam multitudine, varietate, atrocitate casuum multos unus annos aequiparare videbatur et taedium sui movebat viventibus.

aut Caelius aut ipse Cicero. Agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus Gaius Gracchus plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus. Nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae voltum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi; nec statim deterius esse quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. Num dubitamus inventos qui pro Catone Appium Caecum magis mirarentur? satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exultans et superfluens et parum antiquus videretur. Legistis utique et Calvi

Epigr. de Terentio: *Utinam ne . . in hac despectus parte iaceres.*

C. 18. *altior*] Idem quod *elatior* apud Quintil. XII, 10, 39. quem expressit Aper: *Annon in privatis et acutus et non asper et non instinctus et non supra modum elatus M. Tullius?* Sic Cic. Orat. 57, 192. *Aristoteles .. neque humilem et abiectam orationem nec nimis altam et exaggeratam probat.* Vid. infra c. 21, 31.

malignitatis humanae] Hor. Epp. II, 1, 13. *Urit enim fulgore suo qui praegravat artes infra se positas; extinctus amabitur idem.*

pro Catone] Ad exemplum Graecae structurae. Soph. Tr. 577. *ὥςτε μήτιν' εἰςιδὼν στέρξαι γυναῖκα κεῖνος ἀντὶ σοῦ πλέον.* At edd. cum Groslotio *prae Catone.* Doed.

parum antiquus] H. e. Graeculis quam antiquis Romanis similior. His enim insignis brevitas Laconismo similis et simplicitas mori Romano ac virtuti convenientior visa erat. Ab ea sane desciverat Ciceronis verbositas et *Χάριτος* Graecae studium; ad eandem brevitatem mox rediere, in quantum licebat, Seneca, Persius, Tacitus. Eodem sensu Cic. Brut. 25. *Simplex quidem L. Mummius et antiquus.* At Lipsius induxit *parum Atticus*, probandum hercle, si in MSS. legeretur. Quintil. XII, 10, 14. *Praecipue vero presserunt eum* (M. Tullium) *qui videri Atticorum imitatores concupierant.* Cic. Opt. Gen. §. 13. *Quare quoniam nonnullorum sermo iam increbruit, partim se ipsos Attice dicere, partim neminem nostrum dicere, alteros negli-*

et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tanquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem. Si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse. sed mox ad singulos veniam: nunc mihi cum universis negotium est. 19. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum orationum spatia; atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum

videntur edd. At F. *videtur.*

C. 19. *ad illud genus* ex F. At edd. *ad id genus.*

impeditissimarum Muretus, ut Quintil. VIII, 6, 41. *Oratio.. fit longa et impedita, ut in quaestionibus eam iudices similem agmini totidem lixas habenti quot milites.* At MSS. *imperitissimarum.*

gamus. Add. Orat. 7. 9. 23. Brut. 82. Tusc. II, 1. DOED.

diiunctum] Plato de Lysia et Sophistis in Phaedro p. 268. διεστηκὸς αὐτῶν τὸ ἦτριον. ORELL.

C. 19. *ad Cassium Severum*] Floruit is sub Augusto, a quo Seriphon relegatus obiit a. 34. p. Chr. secundum Euseb. Chron. Vid. Ann. I, 72. IV, 21. Plura de eodem in c. 26.

directa dicendi via] Non est severior et horridior antiquiorum eloquentia, sed iter quod non per ambages aut anfractus sed recta ad eloquentiam ducit. Cic. Finn. I, 18. *O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam.* Cael. 17. *Directum iter ad laudem.* HESS.

aurium] Ut Ann. XIII, 3. *Senecae ingenium . . temporis eius auribus accommodatum.*

divisionum ostentatio et mile argumentorum gradus, et quicquid aliud aridissimis Hermagorae, Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quod si quis odoratus philosophiam videretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. nec mirum: erant enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. At hercule pervolgatis iam omnibus, cum vix in cortina quisquam assistat quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices qui vi et potestate, non iure et legibus cognoscunt, et nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec expectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur. 20. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valitudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. quis quinque in Verrem libros expectabit? quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina quae pro Marco Tullio aut Aulo Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex

Hermagorae, *Apollodori* ex F. At edd. *et* interseruere. *erant enim* edd. At F. *erat* scil. philosophia.

Hermagorae, Carionis cognomine, qui sub Augusto Romae cum praeceptore Theodoro Gadareno vixit.

in cortina] I. e. in subselliorum iuxta tribunal loco, in quo non advocati solum, sed scribae, praecones atque id genus forenses consistebant. Severus in Aetna pro theatri incurva parte dixisse videtur: *Magni cortina theatri.* Lips.

festinare se] Vid. Quintil. IV, 5, 10.

C. 20. *principia Corvini*] Aliter iudicavit Quintil. IV, 1, 8. *Quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares agentium contra ingeniis dixerimus, qualia sunt pleraque Messallae* (Corvini) *principia. Est enim naturalis favor pro laborantibus, et iudex religiosus libentissime patronum audit, quem iustitiae minime timet.* Hess.

Aulo Caecina] Ipse Cic. Orat. 29, 102. *Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit. Res involutas definiendo expli-*

dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. volgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis: nec magis perfert in iudiciis tristem et impexam antiquitatem quam si quis in scena Roscii aut Turpionis Ambivii exprimere gestus velit. Iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt; traduntque in vicem ac saepe in colonias ac provincias suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. Horum

cavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus.

cursu argumentorum] Scil. cito et sine ambagibus se excipientium. Quintil. IX, 4, 138. *In prooemiis plerumque submissi .. in argumentis citati atque ipso etiam motu celeres sumus.*

descriptionum] Cic. Top. 22. *Descriptio est quam Graeci χαρακτῆρα vocant .. qualis sit avarus, qualis assentator ceteraque eiusdem generis, in quibus natura ex vita describitur; Charakterschilderung.* Herenn. IV, 51. Quintil. IX, 4, 138. Hess.

Roscii] Fuerat is tragoedus, Ciceronis aequalis, haud dubie gravis et moderatus in actione, pronuntiatione, gesticulatione. Sed aliud quiddam requirebat Apri saeculum. Quintilian. XI, 3, 184. *Sed iam recepta est actio paulo agitatior, et exigitur, et quibusdam partibus convenit; ita tamen temperanda, ne, dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et gravis auctoritatem.*

Turpionis Ambivii] Fuit is comoedus aetate Terentii clarissimus, cuius plerasque fabulas egit. Vid. Cic. Sen. 14. At MSS. *Turpionis aut Ambivii*. Emendavit Lipsius.

studiorum incude] Similiter Antip. Sidon. in Anth. Pal. VII, 409. *στίχον Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ' ἄκμοσιν*, coll. Pind. Pyth. I, 166. *ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν.*

sensus .. sententia effulsit] Quintil. VIII, 5, 1. *Consuetudo iam tenuit ut mente concepta sensus (Gedanken) vocaremus, lumina autem praecipueque in clausulis posita sententias (Schlaggedanken). Quae minus crebra apud antiquos nostris temporibus modo carent.* Vid. c. 23. 33. Quintil. XII, 10, 48. *Sententiae .. feriunt animos et uno ictu frequenter impellunt.*

igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt. quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur? 21. Equidem fateor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. nec unum de populo Ganuti aut Attii de Furnio et Coranio alios in eodem valitudinario haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Calvus, cum unum et viginti,

Quid enim scil. *dicas?* ut Hor. Epp. I, 16, 8.

C. 21. *nec unum .. probant*] Ita corrupte MSS. Si quid tentandum, suspicabor: *Nec unum de populo (etsi Canutii aut Attii Decio Furnio et Coranio, aliis in eodem valitudinario, haec ossa et hanc maciem approbant); ipse mihi Calvus* etc. h. s. Non unum vel paucos et obscuros tantummodo ex antiquis oratoribus improbo, quales sunt Canutii et Attii, quamvis vel ii sui similibus placeant, ut Furnio et Coranio, pariter ieiunis; illos enim ne vos quidem laudatis; sed Calvus quoque, optimus ille vestro iudicio, raro mihi placet. — Ergo *Canutii* et *Attii* antiqui sunt; significantur haud dubie P. Canutius, accusator Oppianici, ex Ciceronis Cluent. 10, 18. Brut. 56, 205., et T. Canutius, M. Antonii adversarius ex Cic. Phil. III, 9. Famm. XII, 3. De Attiis nihil constat; nimirum parum nobiles erant. Gronovius Arrii nomen substituit, de quo Cic. Brut. 69, 242. Contra *Furnius et Coranius* recentiores, Aproque aequales fuisse opinor, sive oratores sive rhetores, antiquae eloquentiae admiratores, ceterum obscuros et contemptim ab Apro nominatos. Nam Furnii nomen frequens, nec necessarium est Ciceronis amicum intelligi, ad quem Epp. ad Famm. X, 25. 26. scriptae sunt; is enim *Caius* praenomine dictus; nostri praenomen, *Decii*, latere arbitror in *de*, quod est in MSS. Coranii vero nomen prorsus ignotum est, nec hercle eo suspectius! Graeculus fortasse fuit, *Coeranius*, *Κοιράνιος*. Porro *unus de populo* eodem sensu dictum, quo alibi *unus de multis* et apud Lucian. Somn. 9. *τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἷς*; nam *populi* nomen ea aetate non multo honestius habebatur quam *vulgi;* vid. c. 32. Postremo accusativus *unum* per anacoluthon potius quam per ellipsin positus est; post parenthesin enim continuaturus erat scriptor orationem ita: *ipsum etiam Calvum .. improbo.* Silligius tentavit: *Nec unum de populo loquar, uti Canuti aut Arri de Furnio et Coranio orationes.* Doed.

in eodem valitudinario] Scil. *iacentes.* Sen. Epp. 17. *Tanquam in eodem valetudinario iaceam, de communi malo tecum colloquor.*

Calvus] Cic. Brut. 82, 283. *Atticum se Calvus noster dici*

ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio. est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quo sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Caelianis orationibus? nempe eae placent, si non universae, at partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. Concedamus sane Gaio Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum in eloquentia non effecerit quae divinum eius ingenium

C. 20. *inscribuntur* Lipsius At MSS. *scribuntur.*

Si non . . earum Acidalius. At F. *sive universa parte serum.*

oratorem volebat. Inde erat illa exilitas, quam ille de industria consequebatur.

in Drusum] Suspicor fuisse illum quem a Lucretio reum de praevaricatione factum Cicero a se defensum scribit Attico Epp. IV, 16. Vid. ibid. XI, 7. IV, 15. WEICHERT.

in Vatinium] Vid. c. 37. Bis accusatus est P. Vatinius a Calvo de maiestate et de ambitu in praetura petenda, in qua Catoni praelatus est.

Quid . . orationibus] Suppl. *nullane placet?* Illud *quid?* demirantis est, ut Quintil. X, 1, 56. *Quid? Herculis acta non bene Pisandrus? Quid? Nicandrum frustra secuti Macer atque Virgilius? Quid? Euphorionem transibimus?*

altitudinem] Vid. in c. 18.

sordes verborum] Sen. Epp. 114. *Quidam contra dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt.* Distinguitur singulorum delectus verborum, ornatu carentium et sermoni propriorum, a *compositione* verborum, quae in structura enunciationum et periodorum cernitur. Vid. c. 22. Cic. Orat. 54, 181.

cogitationum] Eorum quae moliebatur, ut Vellei. II, 41. *Caesar magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro . . simillimus.*

non effecerit] Aliter ipse Tac.

postulabat; tam hercle quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur; nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, [nisi] qui et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubore tegit et decore commendat. Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret; videremus in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii sufficeret. 22. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit, quae mihi vobiscum est. illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla

Ann. XIII, 3. *Dictator Caesar summis oratoribus aemulus.*

nisi qui] Suspicor cum Hessio *nisi* ex dittographia superioris *Nisi* ortum esse. Edd. cum I. Fr. Gronovio principium periodi emendare maluerunt scribendo: *Nec forte quisquam.* Alterutra correctio necessaria est.

Asinius Pollio, *insigne moestis praesidium reis et consulenti curiae*: Hor. Carm. II, 1, 13. De eo Quintil. X, 1, 113. *A nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior.*

exsurgit toris] Dativi structura, pro *in toros.*

viderimus] *videremus* ex Ald. ascivi. Mente et vi pronuntiationis addendum est *alioquin*, h. e. si per ipsum petisset ac non sui saeculi auribus et iudiciis deterritus esset. Contra Quintiliani iudicium haec dicta videntur, Inst. X, 1, 113. *Messala nitidus et candidus et quoddammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam; viribus minor.* Ceterum *in quantum* Lipsius; edd. vett. *inquam*, quod una cum seq. *vis* in F. deest. Doed.

re magis eiusdem aetatis oratores praecurrit quam iudicio. primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem; locos quoque latiores attentavit et quasdam sententias invenit, utique in iis orationibus quas senior iam et iuxta finem vitae composuit, id est postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis. lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur; nihil excerpere, nihil referre possis; et velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet; non ea solum instrui suppellectile, quae necessariis usibus sufficiat, sed etiam sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus, ut aspicere saepius libeat. Quaedam vero procul arceantur ut iam

C. 22. *genus esset* Acidalius. At MSS. *genus est*, haud scio an recte; dum pro relativo accipiatur *quod*, non pro interrogativo. Didicerat id genus scribendi quod optimum est. Saepius reperias: *dicam quod sentio* quam *dicam quid sentiam.*

apte et Acidalius, ut Cic. Orat. 44. *Ut comprehensio numerose et apte cadat*, coll. 50. et 65. At MSS. *optet*, unde G. Fr. Otto: *ut oportet.*

C. 22. *senior*] Ut orationes pro Milone, pro Ligario, pro Deiotaro, in Antonium scriptas.

optimum dicendi genus] Perstringit, opinor, Ciceronem, quod iuvenis inexpertus libellum *de optimo oratorum* vel *dicendi genere* scripserit. Doed.

excessus] Intelligo perorationes, epilogos, quorum commemoratio hic maxime requiritur post *principiis.* Obstat quidem Quintil. III, 9, 7. *Egressio vel (quod usitatius esse coepit) excessus;* sed ibi scribendum videtur *excursus*, coll. §. 1. *Nisi excursus ille vel egressio*, et Plin. Epp. V, 6, 43. Doed.

referre] Ut c. 20. *referre domum aliquid illustre.*

cum . . lumine terminantur] Quintil. VIII, 5, 13. *Sed nunc aliud volunt, ut omnis sensus in fine sermonis feriat aurem.*

oblitterata et olentia; nullum sit verbum velut rubigine infectum; nulli sensus tarda et inerti structura in morem Annalium componantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet. 23. Nolo irridere *rotam fortunae* et *ius Verrinum* et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum *esse videatur*. nam et hoc invitus rettuli, et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii, qui se antiquos oratores vocant. Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos isti, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex compara-

C. 23. *invitus* Puteol. At MSS. *invitatus*, vere fortasse, ut Cic. Att. VIII, 11. *Haec a te invitatus breviter exposui.* Misso euphemismo poterat etiam *irritatus* scribi. Doed.

vocant Lipsius. At MSS. *vocabant*. Suspicor: *vocitant*, ut c. 17. Hist. I, 13. II, 41. V, 12. Doed.

in modum Annalium] Scil. maximorum. Cic. Orat. II, 12, 51. *Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio . . . Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine aliis ornamentis monumenta solum temporum hominum locorum gestarumque rerum reliquerunt.*

C. 23. *rotam fortunae*] Cic. Pis. 10. *In quo ne tum quidem cum illum suum saltatorum versaret orbem, fortunae rotam pertimescebat.*

ius Verrinum] Cic. Verr. II, 1, 46. *Hinc illi homines erant qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. Quorum alii id quod saepe audistis, negabant mirandum esse ius tam nequam esse verrinum.*

pro sententia] Ex Apri nempe praeceptis singuli sensus arguta aliqua sententia tanquam lumine quodam terminandi erant; vid. c. 20. 22. Talium sententiarum loco Cicero satis habebat soni quadam et numerorum quam putabat dulcedine terminare sensus. De ipsa clausula Ciceroni nimio plus frequentata Quintil. IX, 4, 73. *In Africa fuisse initium senarii est, et primum pro Q. Ligario caput cludit: esse videatur, iam nimis frequens, octonarium inchoat.* Ibid. X, 2, 8. *Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent: esse videatur.* Vid. Probi Gramm. p. 1491. ed. Putsch.

Aufidii Bassi] Scripserat is Augusto Tiberioque aequalis de bello Germanico. — *Servilii Noniani*] Ann. XIV, 19. *Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae, quam clariorem*

tione Sisennae aut Varronis sordet; qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur. quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo maesti et inculti illam ipsam quam iactant sanitatem non firmitate sed ieiunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valitudinem medici probant, quae animi anxietate contingit. Parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem volo. prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos vero, disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. nam et te, Messala, video laetissima quaeque antiquorum imitantem, et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea quotiens causa poscit ubertas, ea quotiens permittitur brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.

non firmitate . . consequuntur Schelius. At F. *infirmitatem . . consequentur.*

effecit, *ut par ingenio*, *moribus diversus.* Plin. H. N. XXVIII, 2. Plin. Epp. I, 13.

Sisennae] Cic. Brut. 64, 228. *Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna*, *doctus vir et optimis studiis deditus*, *bene Latine loquens*, *gnarus reipublicae non sine facetiis; sed neque laboris multi nec satis versatus in causis.*

quam iactant sanitatem] De similibus ingeniis Quintil. XII, 10. 15. *Unde nunc quoque aridi et exsucci et exsangues. Hi sunt enim qui suae imbecillitati sanitatis appellationem*, *quae est maxime contraria*, *obtendunt.*

planitas ex F. et Vatt. Significantur sententiae, quae in summa proprietate et novitate tamen faciles eaedem intellectu sint. Crebro enim luminum affectatio aufert orationi lucem, et qui exquisiti aliquid proferre cupiunt, eodem nisu obscuri fiunt. Nam *sententiae* eodem sensu, minus illo communi, dictae sunt quo c. 20. At Par. *plenitas.* Doed.

exprimitis affectus] H. e. movetis vel invitis, ut *accipiant affectum quemcunque orator induerit;* c. 6. Similiter Plin. Epp. IV, 7, 7. *Risum exprimere.*

nostra iudicia . . tardaverit]

24. Quae cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, vim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, promissum immutasse non debet. neque enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum, quanquam modo laudati sumus, iis quos modo insectatus est Aper comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri et a vestris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. Igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.

25. Tum Messala, Sequar praescriptam a te, Materne, formam. Neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam movit, tanquam parum proprie antiqui vocarentur, quos satis constaret ante centum annos fuisse. Mihi autem

C. 24. *nostrum* edd. At F. *nostrorum.*

quos modo insectatus] *modo* Waltherus ex F.

collegerit edd. At F. *colligitur.* Suspicor: *ratione temporum colligitur.* Recte se habet indicativus, quoniam *cum praesertim* idem fere est quod *si praesertim.* Doed.

C. 25. *praescriptam a te* Waltherus. At MSS. *perscriptam et.*

Haec sententia haud satis constat, non librarii tamen culpa sed ipsius scriptoris qui duas locutiones perperam miscuerit: *etiamsi nostra iudicia malignitas corruperit*, et: *etiamsi vera et prospera iudicia malignitas tardaverit.* Doed.

C. 24. *copiose et varie*] Vertas: *gedankenreich und vielseitig.*

ingenio ac spiritu] Scil. *incessivit*, sive mavis, *locutus est.* Utique zeugma quoddam est. Neque enim *spiritu* uti potuit ad *mutuandum.* Quippe *spiritus* idem est quod ardor et impetus, ut Quintil. X, 1, 27. 3, 22. 7, 13.

de vocabulo pugna non est; sive illos antiquos sive maiores sive alio quo mavult nomine appellet, dummodo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si comminus fatetur plures formas dicendi etiam isdem saeculis, nedum diversis extitisse. Sed quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem consensu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. Nec refert quod inter se specie differant, cum genere consentiant. astrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in

sic apud nos edd. At F. *sicut apud nos.* Suspicor *sic et apud nos.* DOED.

sanitatem Rhenanus. At F. *sanctitatem.*

appellet] Coniunctivus non ex *sive* pendet, sed suapte natura exhortativus est, ut *appellato.* Quare post *pugna non est* colo distinxi, non commate; et *alio quo* ex F. recepi pro vulgato *quo alio*, ut *quo* indefinitum esse agnosceretur. DOED.

si comminus fatetur corrupte F. At edd. vett. *quominus fatetur.* Suspicor cum Huetio: *quo minus fateamur*, h. e. *sed fatemur*, ut Agr. 20. Ann. V, 5. Hist. II, 40. III, 41. Aut potius *quominus fateatur*, sensu passivo, ut Cic. Rull. II, 20. *Ager . . qui publicus esse fateatur*, quod frustra sollicitatur. Vid. in Ann. I, 10. XV, 12. Hist. III, 80. Respicitur ad id quod c. 18. Aper probaverat, *non unum esse eloquentiae vultum, sed in antiquis quoque plures species deprehendi.* Quo iure iste id quod *probaverat*, tanquam rem ipsius causae patrocinantem nunc a Messala *fassus esse* diceretur? Respondentis demum erat *fateri.* Quare absonum est quod Ritterus proposuit: *si commodus fatetur* coll. Hor. A. P. 257. DOED.

astrictior] I. e. concisior, ut Plin. Epp. I, 20. *Non minus non servat modum — qui astrictius quam qui effusius dicit;* coll. Cic. Brut. 25. At Farn. *at strictior.*

ferunt] H. e. *praeferunt, prae se ferunt.*

diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. Nam quod in vicem se obtrectaverunt (et sunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur), non est oratorum vitium sed hominum. nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. an ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? 26. Quod ad Servium Galbam et Gaium Laelium attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum, ut nascenti adhuc nec satis adultae, defuisse; ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercle Gai Gracchi impetum aut Lucii Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut

ac voluntatis Lipsius ex Farn. Reliqui *ac voluminis*.

et sunt . . detegitur] Parenthesin feci, ne ex *quod* haec apta viderentur. Sensus est: nam *obtrectasse* maligne eos verius quam incorrupto animo *reprehendisse* arguunt epistolae malignitatem prae se ferentes. Refutat his Messala illud Apri argumentum c. 18. tanquam antiqui oratores suae ipsi aetatis eloquentiam improbaverint. Doed.

C. 26. *Quod ad S. Galbam*] Hoc novi capitis principium feci; nam quod sequitur *ceterum* h. e. *sed*, artissime cum his cohaeret. Doed.

maturitatem] H. e. lentitudinem, teporem, frigus, ut Hist. 1, 87.

calamistros Maecenatis] Ex Cic. Brut. 75, 262. *ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere.* Aut Orat. 23. *Tum removebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum; ne calamistri quidem adhibebuntur.* Simili figura Dionys. Hal. Comp. Verb. 25. *Ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν.* Nempe non calamistros omnino, qui sunt pars ornatus, sed illos tantum quales Maecenas adhibuit, Messala perstringit, nimis molles. Suet. Aug. 86. *Exagitabat nonnunquam imprimis Maecenatem suum, cuius μυροβρεχεῖς ut ait cincinnos usquequaque persequitur et imitando per iocum irridet.* Senec. Ep. 114. *Non oratio eius* (Maecenatis) *aeque soluta est quam ipse discinctus? Non tam insignita illius verba sunt quam cultus, quam comitatus, quam uxor?* Add. Macrob. Sat. II, 4.

tinnitus Gallionis. adeo melius est oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histriونales modos exprimant. quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. unde oritur illa foeda et praepostera sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quanquam in magna parte

C. 26. *quibusdam* Rhenanus. At F. *sicut bis* (vel *his*) *cta et.* Bezzenbergerus: *sic ut cuivis ciatur.* Verum nemodum repperit.

tinnitus Gallionis] Quintil. II, 3, 9. *Tumidos et corruptos et tinnulos et quocunque alio cacozelias genere peccantes certum habeo non virium sed infirmitatis vitio laborare.* Longin. Subl. 23, 4. τὸ πανταχοῦ κώδωνας ἐξῆφθαι λίαν σοφιστικόν. Duo fuerunt rhetores L. Iunii Galliones, pater et filius adoptivus Seneca rhetore natus. Significari h. l. arbitror patrem utpote clariorem et vetustiorem, Maecenati supparem, etiamsi idiotismum eius laudaverit Seneca Controv. III. prooem. *Hoc nemo praestitit unquam Gallione nostro decentius.*

vel hirta toga] Quintil. XII, 10, 47. *Do tempori, ne hirta toga sit, non serica.*

cantari saltarique] Ad histrionum similitudinem. Quintil. XI, 3, 58. *Quodcunque ex his vitium magis tulerim quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi, quod inutilius sit an foedius nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica et nonnunquam ebriorum et comissantium licentiae similis?* Vid. Cic. Orat. 18. Plin. Epp. II, 14. Et Cic. Orat. 67. *Numerosam comprehensionem . . perverse fugiens Hegesias saltat, incidens particulas.*

tenere Lipsius coll. Quintil. XI, 3, 23. *Non enim tam molli teneraque voce quam forti et durabili opus est.* Ibid. §. 184. *Non enim comoedum esse sed oratorem volo . . Quare non immerito reprehenditur pronunciatio et vultuosa et gesticulationibus molesta et vocis mutationibus resultans.* At MSS. *temere.*

te librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis. primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat sed rixatur. Ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat; quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem expectabam, ut incusato Asinio et Caelio et Calvo aliud nobis agmen produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus. nunc detractasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum? At ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

27. Appara te, inquit Maternus, et potius exsol-

deiectus scil. *de gradu*. At F. *devectus*.

in commune, *veritus*, Rhenanus, ut Germ. 27. Ann. XV, 12. At MSS. *in omne veritum*.

plus vis] Pro plurali *plus virium*. Vid. Foertsch. in Voss. Aristarch. p. 531. Et *vis* quidem ad res et sensus, *sanguis* ad ornatum referenda. Quintil. VIII, 3, 6. *Ornatus . . sanguine et viribus niteat*. Ibid. X, 2, 12. *Quo fit ut minus sanguinis et virium declamationes habeant quam orationes*. Cic. Orat. 23, 76. Luenemannus *plus viri*. Doed.

non pugnat sed rixatur] Non argumentationis gravitate et pondere vincere adversarium studet, sed altercando et cavillando petit more vulgi rixantis. Schulz. Nam *rixa* est *Balgerei*. Vid. Synon. Lat. T. V. p. 277.

Gabinianum] Euseb. Chron. p. 163. Scal. *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit*. Suet. Ind. Rhet. *Sextus Iulius Gabinianus*. Ergo perstringitur simul arrogantia scholasticorum Ciceronem sibi postponentium, simul pravitas iudicii, dum rhetori quam oratori palmam eloquentiae assignant.

C. 27. *Appara te* ascivi ex F. h. e. accinge te ad exsolven-

ve promissum. neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri disceptatione; nam nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringit, cum sciatis hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.

Perge, inquit Maternus, et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.

28. Et Messala, Non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum sed desidia iu-

C. 27. *non iratus* Schelius. At F. exhibet *miratus iratus.* Suspicor: *minus iratus.* Doed.

Apri nostri I. Fr. Gronovius. At MSS. *a prima.* Suspicor: *Apri mei.* Doed.

nam nec vos ex F. recepi. At edd. *nec vos.* Hoc si verum foret, supra *Nec ego sum* scriptum legeretur. Doed.

C. 28. *etiamsi* Lipsius. At F. *etenim iamsi*, per dittographiam seq. *enim.*

dum promissum, vel potius, quoniam satis praefatus es, continuo exsolve. Eodem sensu Terent. III, 5, 35. *Adhortor properent. Dum apparatur, virgo in conclavi sedet.* Nempe deprecatur Maternus ne Messala digredi velit ad incessendos sui saeculi oratores, deterretque homo mitis natura et moderatus acerrimum virum a periculosae pleno opere aleae. At Puteol. *Appropera.* Doed.

paulo ante dixisti] Cap. 15. *Causas . . quas mecum ipso plerumque conquiro.*

C. 28. *non inopia hominum*] Quintil. I, 1, 1. *Falsa enim est querela paucissimis hominibus vim percipiendi quae tradantur esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere.*

ventutis et negligentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. Quanquam (vestra vobis notiora sunt) ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Iam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. ac non studia modo curasque sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Attiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera

de severitate edd. At F. *a severitate;* si vere, per anacoluthon, quasi sequatur verbum *paucis orsus ero*. Doed.

vestra vobis ex F. recepi, emendata simul distinctione, h. s. At de provinciis taceo, ut de re vobis quam mihi notiore. Nam Aper et Secundus Galli erant, Maternus vel Gallus vel Hispanus, unus Messala natione Romanus. Edd. cum Rhenano: *quanquam nostra nobis notiora sunt. Ego de urbe.* Doed.

cumulantur] H. e. ad cumulum usque augentur. Cic. Fin. V, 14. *Multis gradibus ascendit ut ad summum perveniret, quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.* Orellio *comitantur* placuit.

Iam primum Rhenanus ut Liv. I, 1. dum a praefatione transit ad narrationem vel argumentum. At F. et Spir. *Iam pridem.* Non male; nam *pridem* non solum *nuper* pro contrario habet sed etiam *nunc*, ut Iustin. XXXI, 3. et si recte explicui Hor. Pis. 254. Doed.

Corneliam] Vide praeter Plutarchum Cic. Brut. 58. Quintil. I, 1, 6.

Aureliam] Vid. Suet. Caes. 74. Plutarch. Caes. 9.

et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. 29. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur. nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino dicat aut faciat. quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia irrepit et sui alienique contemptus. Iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemque invenies, qui domi quicquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? nec praecepto-

C. 29. *erroribus* edd. At F. *erroribus et viles* suprascr. *alii vires*. Suspicor cum Walthero: *erroribus et vitiis*. Nam hoc nomen tanquam cumulus pravitatum desideratur. Doed.

invenies ex F. At edd. *inveneris*.

C. 29. *dicacitati* Bipontini, h. e. studio alios irridendi; nam *qui captat risus hominum famamque dicacis, hic niger est*, iudice Horatio, Sat. I, 4, 83. Suffragatur Quintil. I, 2, 7. in simili querela: *gaudemus si quid licentius dixerint infantes.* At F. habet *bibacitati*, nomen haud alibi repertum sed probum: sensum quoque defendas coll. Iuven. XIV, 6. *Nec melius de se cuiquam sperare propinquo concedet iuvenis, qui radere tubera terrae, boletum condire et eodem iure natantes mergere ficedulas didicit, nebulone parente et cana monstrante gula?* Doed.

histrionalis favor] Plin. Epp. IX, 6. *Quo magis miror tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines. Si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla: nunc favent panno, pannum amant; et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transfertur, studium favorque transibit.*

res quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento sed ambitione salutationum et illecebris adulationis. 30. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur; nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumere; sed expetuntur quos rhetoras vocant; quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem refert: se apud Quintum Mucium ius civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse; neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse,

C. 30. *laboratur* ex F. h. e. insudatur, de discentibus. At edd. *elaboratur*, h. e. labore producitur, de docentibus vel scribentibus. Vid. Synon. T. I. p. 116.

refert edd. At F. *referre.*

C. 30. *insumere* ex F. revocavi. Infinitivus historicus est ad praesentia tempora et consuetudinem translatus, ut Germ. 7. Agr. 34., quem excipit indicativus ut Ann. XV, 27. At edd. *insumitur.*

dicturus] Vid. c. 35. Emendavit I. Fr. Gronovius. MSS. *de curiis.*

notus est vobis Gron. At MSS. *nobis*, urbanius et quodammodo modestius; ut Nestor ap. Hom. Il. I, 260. *ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέπερ ἡμῖν ἀνδράσιν ὡμίλησα*, ubi Bekkerus quidem *ὑμῖν* substituit.

extrema parte] Cic. Brut. 89—92.

Philonem] Vid. Cic. Tusc. II, 3. Acad. I, 4.

Diodotum] Vid. Cic. Tusc. V, 39. Fam. XIII, 16. Attic. II, 20.

ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse. ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. Ita est enim, optimi viri, ita. ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit. 31. Hoc sibi illi veteres persuaserant. ad hoc efficiendum intelligebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur. haec est enim oratori subiecta ad dicendum materia. Nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus, ita ut plerumque haec ipsa in vicem misceantur; de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit

ornate edd. At F. *quid orator*, ex dittographia praecc. *orator qui de*.

omnem omnium] Ut Cic. Orat. III, 19, 72. *omnem omnium rerum . . cognitionem*. Vid. in Germ. 4.

rerum motus causasque] Sic τὰ φυσικά circumscribit. Nam quod plene ac proprie *natura rerum* dicitur, breviore saepe nomine vel *naturae* vel *rerum* significatur.

pulchre .. apte] Ex Cic. Orat. I, 15, 64. *Is orator erit . . qui quaecunque res inciderit quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate*.

C. 31. *ut . . implerent*] Cic. Orat. III, 30. *Non enim solum acuenda nobis et procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate*.

naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et intellectum eorum, quae neque in virtutibus neque in vitiis numerantur. ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit quid ira, promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum, et prout cuiusque natura postulaverit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos astrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis apertos et in omnem disputationem paratos iam locos.

C. 31. *plus fidei* edd. At F. *plus fidem*, quod non prorsus sperno. Nam *plus* etiam apud Ciceronem loco adverbii legitur, Orat. 23, 76. *Atticus . . ab indisertis re plus quam opinione* (corrige *oratione*) *differens*. Catull. III, 6. *Quem plus illa oculis suis amabat.* Vid. Haase in Reisig. Vorles. p. 398.

intellectum eorum] Scil. *habet*. Tale enim verbum ex *cognovit* assumendum per zeugma, quoniam *intellectus cognosci* non dicitur. Doed.

quae neque . . numerantur] Intelligenda est tertia philosophiae pars, τὰ φυσικά, quoniam quae naturae necessitate fiunt, ad mores ἀδιάφορα sunt. Cic. Orat. I, 12. *Quare nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit.* Doed.

tenebit venas animorum] Ex Cic. Orat. I, 52. *Teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum apud quos aliquid aget aut erit acturus mentes sensusque degustet.* At Put. *habenas animorum.* Doed.

fusa et aequalis . . oratio] Cic. Orat. II, 15. *Genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens.*

apertos ex F. ascivi, h. e. perspicuos et communi sensui accommodatos. Edd. *aptos*.

Dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere iisque prout res poscit uti alienum erit oratori. neque enim sapientem informamus nec Stoicorum civitatem, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet. ideoque et iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatice, musice, geometrice imbuebantur. incidunt enim causae, plurimae quidem ac paene omnes, quibus iuris notitia desideratur, plerum-

pugnacitatem] Cic. Orat. I, 18. *Hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando.* — Quintil. XII, 2, 25. *Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat.*

altitudinem] Quintil. X, 1, 81. *Philosophorum . . quis dubitet Platonem esse praecipuum sive acumine disserendi sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica. Multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant surgit, ut mihi non hominis ingenio sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus.* Plin. Epp. I, 10, 5. *Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit.* Vid. in c. 18. — *iucunditatem.* Quintil. X, 1, 82. *Quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit?*

Metrodori] Epicureorum principi. Cic. Tusc. II, 3, 8. — *honestas exclamationes*] Intelligo fortes quasdam gnomas Epicuri, cuiusmodi aliquot leguntur apud Cic. Finn. II, 27, 88. *Ait, se si uratur: Quam hoc suave! dicturum.* Ibid. §. 94. *Si gravis dolor, brevis; si longus, levis.* Sen. Ep. 66. *Epicurus ait, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est et ad me nihil pertinet.* Orell.

Stoicorum civitatem] Suspicor: *nec Stoicorum civem, sed disertum, qui* — h. s.: Hic enim non de *philosopho* agimus, qui nihil nisi veritatem appetat, nec de *cive* qualem Stoici volunt, qui nihil praeter iustitiam sequatur, voluptatis etiam in eloquentia contemptor, sed de *diserto vel oratore;* is autem cum persuadere ante omnia velit, omnes artes sive penitus haustas sive tantum libatas adhibere debet ut persuadeat. Orellius commendavit: *neque enim sapientem informamus Stoicorum neque Platonis civitatem.* Doed.

haurire, omnes libare Waltherus. Fons est Cic. Orat. I, 50, 218. *Neque ea ut sua possedisse sed ut aliena libasse.* At F. *audire omnes liberaliter.* Quid in syllabis — *liter* lateat, non assequor. In promptu quidem sunt adverbia *leviter, obiter,* alia, quorum accessione concinnitas misere violabitur. Fortasse supra scriptum erat: *omnes artes ac litteras,* quorum pars verborum huc transposita turbam fecit. Doed.

plerumque restitui ex MSS. postquam supra post *causae* comma posui. Nam verba *plurimae*

que autem in quibus haec quoque scientia requiritur. 32. Nec quisquam respondeat sufficere, ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis; longeque interesse manifestum est, possideat quis quae profert, an mutuetur. deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minime credas, eminet et excellit. idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intelligit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter existere neque extitisse unquam confirmo, nisi eum qui tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum vis quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant sena-

C. 32. *primum enim* Rhenanus. At MSS. *primum autem*, quod non spernendum; licebat enim haec ita annecti, tanquam praecessisset: *At respondeat aliquis.*

quidem ac paene omnes pro appositione sunt, non pro epitheto; porro *quidem* i. e. *et quidem* ut c. 34. At edd. cum Rhenano *pleraeque*. Dorp.

C. 32. *ut ad tempus . . doceamur*] H. e. ut si causa tempusque inciderit, in quibus opus sit aliqua particula artis, eam tum partem cognoscere studeamus e libris, vel ab iis qui iuris scientiam profitentur petamus. Ern. Nam *ad tempus* hoc loco i. q. ut postulat tempus. Vid. Hand. Tursell. T. I. p. 126.

per omnes . . numeros] Ut Quintil. VIII. pr. 1. *Inventa disponendi . . per omnes numeros penitus cognoscere.* Locutio ab athletica arte ad rhetoricam translata. Quintil. XII, 2, 12. *Ut palaestrici doctores illos quos numeros vocant non idcirco discentibus tradunt, ut iis omnibus quae didicerunt in ipso luctandi certamine utantur;* coll. X, 1, 4. Porro *ire per numeros* i. q. tractare, ut Ovid. Fast. I, 15. *Annue conanti per laudes ire tuorum*, coll. Quintil. 1, 7, 35. VII, 1, 64. X, 5, 21.

vis . . sermonis] Vertit Ritterus: *der Einfluss der täglichen Unterhaltung.* Voluit, opinor: *der Conversationssprache.* Sed valde displicet talis per *vim* circumscriptio, cum praesertim *vis* de rebus multo validioribus usurpari soleat. Neque perspicio quid *quoque* sibi velit. Duplicem corruptelam subesse mihi certum est. Suspicor: *ut in actionibus eorum usus quotidiani sermonis, foeda quoque ac pudenda vitia*

tus consulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. ergo hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est. et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quicquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum sed Academiae spatiis consecutum. Sunt aliae causae, magnae et graves, quas vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, et quod mihi in

quas vobis] Dativus est, pro ὑφ' ὑμῶν. At edd. cum Rhenano: *quas a vobis*.

deprehendantur. Ergo illae actiones non solum ornatu carent, sed etiam vitiis inquinantur. Quintil. VIII, 6, 21. *Quod genus non orationes modo ornat, sed etiam quotidiani sermonis usus recipit;* nempe mutata structura *usus* subiectum est verbi *recipit* obiectumque habet *genus*, quod modo subiectum fuerat. Vicissim Agr. 11. *usu* MSS. exhibent pro *vi*. Doed.

ius civitatis] Pro iure civili, ne attenuetur oratio proprii ac vulgaris nominis usu. Vid. in Hist. III, 62.

praecepta prudentium] Rhetorica intelligit, non quidem vulgarium rhetorum, quorum scholas aspernatur, sed Aristotelis, Ciceronis, qui eloquentiae etsi non doctores at prudentes tamen erant, *Sachkundige*. Alii responsa iurisconsultorum, alii philosophorum praecepta significari putant, utrique contra usum verborum. Doed.

omnium artium domina] Cic. Off. II, 19. *Eloquentiae . . a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus.*

una] Pro *unum*, ut Plin. H. N. XVIII, 18. *Hordeum frugum omnium mollissimum est.* Simile est illud attractionis genus: *Quid agis dulcissime rerum?*

memoriae proditum est] Polemo ap. Diog. L. III, 46. Cic. Brut. 31. Quintil. XII, 2, 22.

Cicero] Vid. Orat. 3, 12. *Et fateor me oratorem, si modo sim aut quicunque sim, non ex rhetorum officinis sed ex Academiae spatiis extitisse;* coll. Quintil. XII, 2, 23.

quidem ego] Pro *ego quidem*.

consuetudine est, satis multos offendi; quos, si forte haec audierint, certum habeo dicturos me, dum iuris et philosophiae scientiam tanquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.

33. Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. nam quibus instrui veteres oratores soliti sint dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera expecto, ut, quemadmodum ex te didici quid aut illi scierint aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuvenes iam et forum ingressi confirmare et alere ingenia sua soliti sint. neque enim dum arte et scientia sed longe magis facultate et * * eloquentiam contineri nec tu, puto, abnues, et hi significare voltu videntur.

Deinde cum Aper quoque et Secundus idem annuissent, Messala quasi rursus incipiens: Quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui

C. 33. *scierint* edd. At MSS. *scirent*. Suspicor *scirint*, cum Heinrichio in Iuven. XVI, 166.

C. 33. *iam et forum ingressi* ex F. recepi; h. e. postquam domesticis artium studiis satis imbuti iam oratorum sectatores forum et ipsi ingredi coeperint, tacentes quidem sed tamen in conspectu populi et publicis personis similes. At edd. ex Vat. *iam forum ingressuri;* tanquam ii demum ingrediantur forum, qui rostra ipsi ascendant. Doed.

neque enim dum] Pro *necdum enim* ut Terent. Heaut. II, 1, 17. *Neque etiam dum scit pater*. Antique *necdum* pro *nondum* ut Cic. Att. VI, 3. Nisi forte *duntaxat* latet in *dum* ut Germ. 25. *Exceptis duntaxat iis gentibus*. Edd. *dum* omisere.

*facultate et * *]* Suspicor cum Hessio *facultate et vi*, ut infra: *nisi ut . . facultati vis eloquentiae accedat;* coll. c. 30. *Oratoris vis et facultas*. Nempe *facultas* ad promptum oratoris ingenium, *vis* ad ipsius orationis efficaciam pertinet. Quintil. X, 1, 1. *Sed haec eloquendi praecepta sicut cognitioni* (Spald. *cogitationi*) *sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent.*

erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationes eorum. Quanquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi ut scientiae meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiae accedat. per quae colligitur eandem esse rationem et percipiendi quae proferas et proferendi quae perceperis. Sed si cui obscuriora haec videntur isque scientiam ab exercitatione separat, illud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum, quae propriae oratorum videntur. 34. Ergo apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat. hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in iudiciis sive in concionibus, assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere et iurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in praelio disceret. magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim

paratiorem Lipsius. At MSS. Par. Vind. *paratum*, Farn. *aperte*. Suspicor: *apparatiorem* coll. c. 32. *Eloquentia . . sine apparatu.*

propriae Broterius. At F. *proprie et*. Suspicor cum Agricola: *propriae esse;* nisi transpositum potius est *et* ex vs. superiore: *et ad eas exercitationes.* Doed.

accedat tanquam fructus et consequentia. Nam *nisi ut* idem est quod *quin*, ut Plin. Epp. II, 1, 16. *Neque enim iam inchoari poterat actio nisi ut noctis interventu scinderetur.*

C. 34. *deducebatur*] Quintil. XII, 11, 6. *Sic ad se Caelium deductum a patre Cicero profitetur; sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit quotidie dicens audiensque.*

dictionibus] Non orationibus solis sed etiam *fabulis et disputationibus*, ut ipse Tacitus Apri et Secundi: vid. c. 2.

excipere . . interesse] Scil. *soleret*, quod per zeugma ex seq. *disceret* mutuandum. Ita concinnitati consuluit scriptor, ut Hom. Od. IX, 97. βούλοντο . . λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν νόστου τε λ α θ έ σ θ α ι pro λάθοντο. Similia collegi in Soph. Oed. C. 1015. Bekkerus *exciperet* et *interesset* induxit. Doed.

constantiae] Quae contraria

contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur; et quanquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant; habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec praeceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae non imaginem praestaret, nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes: sed auditorium semper novum, semper plenum, ex invidis et faventibus, ut nec breviter dicta dissimularent. scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis; inde quin immo constantius surgere, ibi fidelius corroborari.

C. 34. *rudibus* Lipsius, ut Cic. Opt. gen. 6. *Non enim* (Isocrates) *in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus eius eludit oratio.* At MSS. *sudibus.*

est pudori subrustico, verecundationi, trepidationi. Quintil. I, 2, 18. *Futurus orator, cui in maxima celebritate et in media reipublicae luce vivendum est, assuescat iam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria et umbratili vita pallescere.*

stulte . . aut contrarie] His duobus vitiis omnia rerum vitia significat, quae quattuor enumerat Quintil. VIII, 3, 57. *Rerum vitia sunt stultum, commune, contrarium, supervacuum.*

iudex respuat] Quintil. VI, 4, 19. *Est imprimis acuti videre, quo iudex dicto moveatur, quid respuat; quod et vultu saepissime et aliquando etiam dicto aliquo factove eius deprehenditur.*

nec breviter dicta] H. e. leves, minutae voces, arte, cultu, explicatione carentes et extemporali sermone iactae; ne eae quidem voces secure et negligenter edi poterant, suspensis omnium tam invidorum quam faventium auribus, ut arriperent, quo vel ad extollendum vel ad infensandum oratorem uterentur, hi obstrependo, illi plaudendo. Eodem sensu *breviter censere* dicitur c. 36. Vid. in Ann. XV, 60. *Illud breve, mortis arbitrium.* Dord.

constantius . . corroborari] Mallem transpositis adverbiis legeretur: *fidelius surgere, constantius corroborari.* Nam *fideliter* est *sine adulatione.*

Atque hercle sub eiusmodi praeceptoribus iuvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui cotidie audienti notae leges, non novi iudicum voltus, frequens in oculis consuetudo concionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat sive defensionem, solus statim et unus cuicunque causae par erat. Nonodecimo aetatis anno Lucius Crassus Gaium Carbonem, unoetvicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio Gaium Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus. 35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur; quos paulo ante Ciceronis tempora

accusationem susceperat] Cic. Cael. 30. *Voluit* (Laelius) *vetere instituto eorum adolescentium exemplo, qui post in civitate summi viri et clarissimi cives extiterunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua illustri accusatione cognosci.*

Nonodecimo] At ipse Crassus in Cic. Orat. III, 20, 74. *Qui omnium maturrime ad publicas res accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim.* Haud dubie hic locus fons est Taciti. Ergo ambo numeri inter se conciliandi. Atqui apud Ciceronem potius *undeviginti* scribendum, primum quod Tacito numerus Ciceronianus obtrudi neutiquam potest, ob *unumetvicesimum annum* proximi et diversi exempli; deinde quia Cic. Brut. 43. *Accusavit C. Carbonem eloquentissimum hominem admodum adolescentulus,* coll. Orat. I, 10, 40. 26, 21. Off. II, 13. Nam vicenarii *adolescentes* vel *admodum iuvenes*, non *admodum adolescentuli.*

Caesar Dolabellam] Suet. Caes. 55. *Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est.*

Gaium Catonem] M. Catonis affinem. Vid. Cic. Famm. I, 2, 4. 5. Att. IV, 15.

Vatinium] Vid. in c. 21.

C. 35. *in scenas*] Nam qui apud rhetoras declamant, ii et fictas fabulas, non veras causas tractant, et tanquam histriones imitatione exprimunt veros oratores. Cum contemptu *scenae* comparatur ludus rhetorum, ut loco simulationis et vanitatis pleno; secus quam fit in Cic. Orat. II, 83. *Fit autem ut quia maxima quasi oratori scena videatur concionis, natura ipsa ad ornatius dicendi genus excitetur;* coll. Plin. Epp. VII, 17, 9.

scholasticorum] Scil. *eorum*. Nam *scholastici* quemlibet ludum litterarium regunt; *rhetores* declamare tantum docent. Quare coniunguntur c. 42. *rhetores et scholastici* non ut synonyma, sed tanquam species et genus.

extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod [Marco] Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt. sed ut dicere institueram, deducuntur in scholas, quibus non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiae, [sed] in quem nemo nisi aeque imperitus intrat; in condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur; ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae. ex iis suasoriae quidem etsi * * tanquam plane leviores et minus prudentiae exigentes, pueris delegantur; controversiae robustioribus assignantur, quales, per fidem, et quam incredibiliter compositae. Sequitur autem, ut materiae ab-

C. 35. *Marco* cum Heumanno uncinis inclusi, tum quia Crasso illi non *Marci* sed *Lucii* praenomen fuerat, tum quod statim Domitius sine praenomine appellatur.

in scholas, *quibus* ex MSS. revocavi ut Cic. N. D. I, 12, 9. *Sunt iisdem in erratis fere*, *quibus ea quae de Platone diximus*. Add. Tusc. I, 46. Finn. IV, 20. At edd. *in scholas in quibus*.

ut ait Cicero] Orat. III, 24, 94. ex Crassi persona: *Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae ludus esset*, *putavi esse censoris*, *ne longius id serperet providere*. Propositum id edictum censorium est anno 662. U. C. Vid. Suet. Rhet. 1.

sed in quem] Delendum *sed* cum Acidalio, ut inutile; cum praesertim indicativus sequatur. Dittographia videtur superioris *Sed ut dicere institueram*. Orellius *scilicet in quem*.

pari securitate] Vid. Agr. 9.

contrariae] Scil. rationi, *zweckwidrig*, ut c. 39. Colum. VIII, 17, 5. *Id facere contrarium est*.

duo genera] Alterum genus, suasoriae, est deliberativum; alterum, controversiae, iudiciale; tertium genus, demonstrativum, non tractatur. Hess. Vid. Senec. Controv. I. pr.

etsi . . *delegantur*] Post *etsi* quaedam excidisse cum Pithoeo suspicor; quorum haec fere sententia fuit: *etsi orationum simulacra sunt*. Hoc vituperat, quod praeparatio ad orationes habendas inter prima oratoriae institutionis elementa numeretur, quasi *continua oratio* minus iudicii artisque exigat quam *disceptatio*. Doed.

horrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. sic fit ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum, aut quicquid in schola cotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam, ingentibus verbis persequantur: cum ad veros iudices ventum

rem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat.

declamatio quoque] Scil. *abhorrens a veritate.* Nam per brachylogiam id omissum est quod quidam addi scriptura iusserunt, *vana* vel *par* vel *similis.* Intelligitur autem per declamationem tractatio eius materiae, quam rhetor declamaturo proposuit. Doed.

tyrannicidarum praemia] Quintil. Decl. 345. *Pauper ad tyrannicidium mercede conductus.* Ibid. 382. *Tyrannicida conductus.*

vitiatarum electiones] Quintil. Decl. 309. *Stupratae datur optio eligendi mortem raptoris aut nuptias.* Quintil. Inst. VII, 2, 4. *Raptor profugit, rapta nupsit, reverso illo petit optionem;* coll. IV, 2, 68.

pestilentiae remedia] Quintil. Decl. 326. *Legati filius victima pestilentiae.* Ib. 384. *Virgo immolata pestilentiae.*

incesta matrum] Quintil. Decl. 330. *Abdicandus qui alit adulteram matrem.*

ventum] Lacunam integrae paene paginae vacuitate indicat Farn. addito: *Multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur.* „Sequentia eloquitur Maternus, quemadmodum exitus dialogi ostendit, non Secundus, quae Ul. Beckeri aliorumque sententia est. Maternus oratorum veterum prae novis praestantiam ex turbida veteris rei publicae condicione explicaturus paulatim assurgit et, postquam incitamenta antiqui oratoris et praemia percensuit formamque iudiciorum et consuetudinem prius minus astrictam descripsit, postremum (c. 40.) quod sentit pronuntiat, eloquentiam esse alumnam licentiae, ideoque apud antiquos, cum licenter agerent, eam artem viguisse, sed iam, cum amota licentia modeste viveretur, fractam esse notabilem prioris aevi eloquentiam. Qui Secundi orationem huic operi insertam fuisse existimant, falsam sententiam ex c. 16. hauserunt. Sed non est ipse Secundus qui se dicturum ibi promittit, sed Maternus pollicetur se et Secundum executuros eas partes, quas intellexerint Messalam non tam omisisse quam ipsis reliquisse; quae est honorifica amici commemoratio, nihil amplius. Sed gravius est quod ex fine dialogi liquido apparet Secundum non esse locutum. Nam Maternus post finitam orationem assurgens Aprumque complexus fore dicit, ut ipse Aprum poetis, Messala eundem antiquariis criminarentur: sed Aper ad Maternum ac Messalam conversus „ego“ inquit „vos rhetoribus et scholasticis (criminabor).“ Vides omnes qui locuti erant commemorari, Secundum ceterosque qui audierant silentio transmitti. Aliud falsae illius opinionis adminiculum in c. 40. subruere placet.“ Ritter.

terat. 36. Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduae et populare nomen, hinc conciones magistratuum paene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur, quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant; hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur; hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. Quin immo sibi ipsi persuaserant neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. nec mirum, cum

C. 36. *tamen illa*] Suspicor cum Gutmanno: *tamen illi* scil. *antiqui*, oppos. *horum temporum oratoribus*.

parabat Lipsius. At MSS. *probabat*.

C. 36. *ea consecuti sunt*] Scil. praemia eloquentiae, honores, opes, gratiam, potentiam.

saperet] H. e. sapere crederetur.

persuaderi] Scil. cum sapere.

etiam inviti ad populum producerentur, cum parum esset in senatu breviter censere, nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur, cum in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum haberent, cum testimonia quoque in publicis non absentes nec per tabellam dare sed coram et praesentes dicere cogerentur. ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat; et quomodo disertum haberi pulchrum et gloriosum, sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur. 37. Ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur, ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent, ne tanquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur. Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composi-

et quomodo . . sic Acidalius. At MSS. *et commoda . . sed.*

producerentur] Velut a tribunis, ut dicerent de re quae ageretur ad populum; ut Apuleius produxit Ciceronem consule Antonio, quo tempore Philippicam sextam dixit. ERN.

in publicis] Scil. *iudiciis*, quod nomen addi iussit Cuiacius. In privatis enim et minoribus causis facilius, ut videtur, testimonia per tabellas admittebantur. Alii cum Heumanno *in iudiciis.*

mutum et elinguem] Ut Liv. X, 19. *Quod ex muto atque elingui facundum etiam consulem haberent;* coll. Suet. Vit. 6. Pseudocic. red. Sen. 3.

C. 37. *Mucianus*] Hunc antiquitatis curiosum arguunt quae narrat Plin. H. N. XIII, 27.

Actorum] Dubitatur num *acta senatus* (*Senatsprotokolle*) an potius *acta diurna* (*Staatszeitung*) intelligenda sint. Neutra sine alteris, opinor. Id sequebatur Mucianus, ut quicquid scriptorum ex proximis saeculis monumentorum passim extaret et ad illustrandas historias populi Romani pertineret, in unum colligeretur, antequam incuria antiquitatis perirent. Erant autem haec monumenta partim *privata*, ut *epistolae* clarorum virorum, in bibliothecis a posteris eorum asservatae ad quos erant scriptae, ac non sic editae ut Ciceronianas Tiro ediderat; partim *publica*, tam *acta senatus* cum orationibus apud patres habitis, quam *acta diurna* de rationibus publicis, de mortibus ac suppliciis, de matrimoniis et divortiis, de comitiis et iudiciis, in noti-

ta et edita sunt. Ex iis intelligi potest Gnaeum Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. His accedebat splendor reorum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. nam multum interest utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, de expilatis sociis et civibus trucidatis. quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus, in quo nihil tale patimur, ita cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest nisi qui causam parem invenit. Non opinor Demosthenem orationes illustrant quas adversus tutores suos composuit; nec Ciceronem magnum oratorem Publius Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. non quia tanti fuit rei publicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui, quae facilius tur-

tiam populi vulgari solita; quorum amborum copulatio demum omnia complexura erat quae memoratu digna essent acta publice. Doed.

viribus et armis] H. e. vi armorum.

aut formula] Vid. c. 20.

de ambitu] Ut Cicero pro Murena. Porro *de expilatis — trucidatis*, ut idem in Verrem. Has enim actiones significari eo indicat, quod praepositionem ante *civibus* non repetit.

Quintius] De recuperandis bonis.

tanti fuit] Sermo postulat *fuerit;* nam *non quia* idem est quod alibi *non quo*, *nicht etwa als ob.* Doed. Non opus ista mutatione: v. Cic. p. Mil. 11. extr. et Quintil. X, 1, 39. Tetigit Ruhnk. in Vellei. II, 52. Bernh.

bidis et inquietis temporibus extitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? plures tamen bonos praeliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae condicio. nam quo saepius steterit tanquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo maior adversarius et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut * * secura velint. 38. Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum: quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Gnaeus Pompeius astrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur; apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod maius argumentum

C. 37. *extitit*] Malim *existit*. Doed.

et acriores . . ipsa desumpserit Bekkerus. Sed structurae concinnitas flagitabat, ut insuper *maiores adversarios* scriberetur. At F. *eo acrior per pugnas sibi ipsas desumpserit*. Ipse suspicor: *quo maior adversarius et acrior pugna, si praesertim sibi ipsa desumpserit*, vel: *si super sibi* h. e. insuper. Doed.

ut secura velint] Suspicor cum Agricola: *ut secura nolint*, vel cum Rittero: *ut dubia aliis, sibi secura velint*. Utrumque in tempus excogitatum est.

C. 38. *veritati* Agricola i. e. iustitiae. At F. *ita erit*. Hinc Waltherus *extiterit* eruere maluit, alii *civitati*.

C. 38. *intra paucissimas . . sumebat*] Plin. Epp. VI, 2, 6. *An nos sapientiores maioribus nostris? nos legibus ipsis iustiores, quae tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi et supra modum tardi?*

Pompeius] Vid. Dio C. XL, 52.

in foro] Ac non in domibus principum, ut mox defensio Deiotari regis in domo Caesaris; *legibus* ac non arbitrio principum; *apud praetores* ac non apud principem.

est quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Caelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maximi principis disciplina ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat. 39. Parvum et ridiculum fortasse videbitur quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo ut rideatur. quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, quibus astricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? nam quomodo nobiles equos cursus et spatia probant, sic est aliquis oratorum campus,

Urbiniae Lipsius ex Quintil. IV, 1, 11. *Asinius pro Urbiniae heredibus Labienum adversarii patronum inter argumenta malae causae posuit*, coll. VII, 2, 5. et 26. At MSS. *Urivae*.

videbitur Ursinus. At MSS. *videtur*.

causae centumvirales] Vid. c. 7.

paenulas istas] Erat paenula vestimentum itinerarium arcendae pluviae accommodatum, toga brevius et astrictius. Eo pro toga usos esse causidicos nemo sane memorat, ne Quintilianus quidem ubi de vestitu oratorum agit, XI, 3, 137. Quid mirum? Nempe abusus ille erat. Paenula pauci nonnunquam illo saeculo utebantur, commoditati cum damno dignitatis indulgentes. Tam deformis quorundam oratorum negligentia et ipsa iudicum audientiumque erga moris antiqui contemptum patientia gravitatem eloquentiae imminuebat. Nam fabulatio privata paenulae conveniebat, non publica oratio. Similem dignitatis oratoriae neglectum arguit Quintil. XI, 3, 131. *Illud vero non ferendum, quod quidam reiecta in humerum toga cum dextra sinum usque ad lumbos reduxerunt, sinistra gestum facientes spatiantur.* Ad clientes potius quam ad oratores paenulas refert Heinrich. in Iuv. V, 79. Doed.

tabularia] Tale tabularium in quo tabulae publicae asservabantur in atrio erat Libertatis. Liv. XLIII, 16. In his igitur tabulariis nonnunquam causae prolatis documentis explicabantur, ut eloquentia non esset opus.

per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat iudex causam quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est, frequenter probationibus et testibus silentium [patronus] indicit. unus inter haec dicenti aut alter assistit, et res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro; qualia cotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus et municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus assisteret, cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus sua interesse quid iudicaretur. Satis constat Gaium Cornelium et Marcum Scaurum et Titum Milonem et Lucium Bestiam et Publium Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque hercle eiusmodi libri extant, ut ipsi quoque qui egerunt non aliis magis orationibus censeantur. **40.** Iam

causam Bekkerus. At F. *quam* suprascr. *cām*.

contrariam] Vid. in c. 35.

patronus] Penes patronum fuisse ut silentium indiceretur, prorsus incredibile est. Suspicor cum Dronkio hoc nomen esse transpositum atque infra post *assistit* collocandum. Praeterea punctum delevi post *incipiendum est*, ut *indicit* ex *quia* penderet. Doed.

Cornelium] Fuit is quaestor Pompeii, maiestatis reus, defensus a Cicerone. Vid. Cic. Brut. 78, 271. — *Scaurum*] Is e praetura Sardiniae repetundarum postulatus est.

Bestiam] Cic. Ep. ad Qu. Fr. II, 3. *A. d. III. Id. dixi pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conventu;* coll. Phil. I, 5.

Vatinium] Vid. c. 21.

censeantur] Plures sententias in unam coartavit scriptor, quas discernere fas est. Hoc enim dicit: Tanto populi ardore factum est, ut praeclarissimae orationes extent; tam illae praeclarae, ut non rei soli eorumque causae, sed ipsi oratores iisdem ex orationibus aestimentur; et ex iis maxime, quae ex turbis malisque civitatis profectae et iram prae se ferant; multo magis quam ex illis in quibus egregia quidem sed pacatior eloquentia conspicua est. De structura vid. in Agr.

vero conciones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a Publio quidem Scipione aut Sulla aut Gnaeo Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque et histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Non de otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine severitate, contumax, temeraria, arrogans, quae in bene constitutis civitatibus non ori-

45. Add. Plin. Pan. 15, 5. *Quisquis paulo vetustior miles, te commilitone censetur.* Suet. Gramm. 10. *Eratosthenes multiplici variaque doctrina censebatur.* DOED.

C. 40. *et histriones*] Sensus est: Inflammabantur olim oratores primum venia et gloria etiam principes incessendi, dein quod eiusmodi certamina non ut nunc fit paucis et nobilibus cordi curaeque erant. Nam non oratores soli viros principes incessebant de rostris, sed *et histriones* in scena, quoties versuum recitatione ad principes fovendos vel incessendos utebantur, non adversarios modo aemulosque eorum, sed *populum quoque* universum intentos habebant. Exempla histrionum in theatro certamina et studia publica attrectantium praebet Valer. M. VI, 2, 9. Cic. Sext. 56. 57. Monuit haec Naegelsbacus meus. At edd. cum Heumanno *arrectioribus auribus*. Sin quid foret mutandum, suspicarer: *populi quoque istius pronis auribus uterentur;* coll. Hist. I, 1. *Ambitio et livor pronis auribus accipiuntur*. DOED.

de otiosa . . re] H. e. republica; sive opus videatur, *rep.* vel RR h. e. *re Romana* corrigendum est. Plurimi *eloquentiam* per illam *rem* intellexere, unde factum est ut abruptior videretur oratio et quaedam excidisse putarentur. Subito sane a laudibus veteris eloquentiae ad eiusdem mala transitur, sed artificio quodam rhetorico, tanquam adhuc cum simulatione aliqua vetera laudaverit ac nunc repente serio vultu ac sermone vetustati speciem invidendae virtutis, quam ipse addiderat, ultro detrahat. DOED.

sine severitate Pithoeus ex Par. Nam illi oratores, inquit, nec per modestiam obsequi superioribus ac legibus volebant, nec cum severitate regere inferiores et multitudinem poterant. At edd. ex reliquis MSS. *sine servitute*. Suspicor: *sine obsequio, non sine servitute*. Nempe dum obsequio adversus senatum exuto liberrimi videntur, in popularis aurae servitutem incidebant; quemadmodum Cleo demagogus ab Aristophane tanquam ἀνδράποδον τοῦ δήμου producitur. DOED.

tur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae leges traduntur. nec Macedonum quidem ac Persarum, aut ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia ut sic dixerim omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicut indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit ut pateretur et leges, nec bene famam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit. **41.** Sic quoque quod superest antiqui oratoribus, forum, non emendatae nec usque ad votum

C. 40. *laetiores* Rhenanus, ut Virg. G. I, 339. *Laetis operatus in herbis*, coll. III, 494. At MSS. *latiores*. — Mox *nec tanti* Rhenanus, ut c. 37. At MSS. *nec tuta*.

bene famam Muretus; ut Virg. Aen. IX, 206. *Qui vita bene credat emi quo tendis honorem.* Sic Vell. Pat. II, 88. *Servilia . . praematuram mortem immortali nominis sui pensarit memoria.* At MSS. *bonae formam*, nisi quod in Farn. *famam* a secunda manu.

C. 41. *antiqui . . emendatae* Gronovius et Lipsius. Sensus est: Etiam forensis eloquentia, quae sola ex antiqua eloquentia relicta est nostris oratoribus post ademptam in senatu vel apud populum libere disserendi veniam, exerceri non potest nisi cum mala publica incidunt. Structura autem haec est: *Sic* [id] *quoque quod superest . . oratoribus*, [nempe] *forum.* Nam *quoque* Tacitus saepius praeponit, contra morem antiquorum: vid. Agr. 17. Ann. XI, 13. XIV, 11. Quare comma post *quoque* delevi, post *forum* apposui. At MSS. *antiquis . . emendare.* Doed.

certo imperio] H. e. ubi omnium consensu ac certis legibus penes unum regem erat imperium, nec ambiguum habebatur, rex an senatus an populus imperaret.

Rhodii quidam] Intelligi vult praeter ceteros Apollonium Molonem, Ciceronis praeceptorem (de quo Brut. 91, 316.), et Hermagoram Temniten.

et leges] Scil. Sempronias.

compositae civitatis argumentum est. Quis enim nos advocat nisi aut nocens aut miser? quod municipium in civitatem nostram venit, nisi quod aut vicinus populus aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur nisi spoliatam vexatamque? atqui melius fuisset non queri quam vindicari. quodsi inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator sicut inter sanos medicus. Quomodo tamen minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in iis gentibus, quae firmissima valitudine ac saluberrimis corporibus utuntur, sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi cito consentiant? quid multis apud populum concionibus, cum de re publica non imperiti et multi deliberent sed sapientissimus et unus? quid voluntariis accusationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut isti quos miramur his nati essent, ac deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutas-

ac vestra ex F. si Schluttigio fides. At Niebuhrius vidit *ac vestras*. Suspicor cum Dronkio: *vitas vestras ac tempora*.

C. 41. *in civitatem nostram*] Sensus est: Nullum municipium, nulla provincia Romam venit ad ius accipiendum, cui non malum aliquod causa veniendi sit. Nam *civitas et pro loco et pro oppido et pro iure quoque omnium et pro hominum multitudine*, teste Verrio Flacco ap. Gell. N. A. XVIII, 7. *Nostram civitatem* autem Romam vocare licebat Materno Gallo, ut cuius et ipse incola et Messala collocutor proprie civis esset. At Pithoeus *in clientelam* induxit paene omnibus probatum. Atqui vereor ut *in clientelam alicuius venire* queat de iis dici, qui voluntarii se *in clientelam conferunt*. Doed.

voluntariis accusationibus] Quas quis non propria iniuria coactus sed suapte sponte suscipiat. Nam in liberis rebus publicis unusquisque civis vel privatus publicae salutis custodem sese et vindicem praestare certat usque ad συκοφαντίας vitium; uno regente principis tantum vel magistratuum est hanc curam sustinere.

modum excedentibus] Respicit ad Apri criminationes de ni-

set, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset. Nunc, quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et magnam quietem, bono saeculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur.

42. Finierat Maternus, cum Messala: Erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, et si qua obscura tibi in hoc meo sermone visa sunt, de iis rursus conferemus. Ac simul assurgens et Aprum complexus, Ego, inquit, te poetis, Messala antiquariis criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit.

Cum arrisissent, discessimus.

C. 42. *antiquariis* Puteol. At Farn. *cum antiquariis*.

mia antiquorum verbositate cap. 20.

C. 42. *cum Messala* ex F. ascivi. At edd. *Tum Messala.* Illam structuram vel plusquamperfectum *finierat* flagitat; vid. c. 14. Doed.

conferemus] Scil. sermones, ut Cic. Att. I, 20. Plin. Epp. IV, 10, 2.

rhetoribus et scholasticis] Vid. in c. 35.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

AD TOMUM I.

---

p. 90. Ann. II, 34. *ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit]* Pro certo habeo Tacitum scripsisse: *ex qua neque Caesar inglorius et Piso maiore fama fuit.* Causa rem tunc gestam attente consideranti manifesta erit.

p. 122. Ann. II, 80. *Consisterent in acie]* Usus postulat *in aciem* ut c. 16.

p. 178, 17. scr. *litterarium* pro *litterarum.*

p. 182. Ann. III, 71. not. *ut pontificis]* Nil mutandum. Pontificum decretum hoc fuit: „Non licet Diali ultra binoctium Roma abesse; sin adversa valetudo longiorem absentiam et rusticationem thermarumque usum suadebit, „ea causa pontifici maximo approbanda est. Hanc ille „veniam si placebit dato, non intempestive tamen nec „saepius.“ Ergo quia iterata absentia prohibebatur, multo etiam minus annua et continua concedebatur; porro quia una causa absentiae probabatur, adversa valetudo, ceterae causae, ut negotia privata, adeo provinciarum administrationes sponte quaesitae non probabantur. Nempe *adversa valetudo*, qua gravamur tantummodo, differt ab *aegrotatione*, qua alligamur etiam, eaque tunc necessitatem absentiae imponebat vel sine pontificis arbitrio.

p. 202, 22. scr. *quo prium.*
p. 217, 10. Ann. IV, 38. *pro sepulcris spernuntur]* Respicitur Laberii prol. *Sepulcris similis nil nisi nomen retineo*, coll. Anthol. Pal. V, 21, 6. *ὡς δὲ τάφον νῦν σε παρερχόμεθα.*
p. 232, 28. scr. *Cogito* pro *Cogita.*
p. 342, 27. Ann. XII, 18. *non infensum]* At Ma. *infensum.* Corrige *inoffensum.* Eadem est corruptela, quae II, 11. et VI, 2. *fringere* et *figies*, et XII, 39. *exposuit* pro *sex opposuit.*
p. 356, 3. *dissidio* scr. *discidio* cum MSS. Flor.
p. 382, 9. Ann. XIII, 7. *duosque veteres reges]* Quorsum pertinuit aetatem regum illorum commemorare, si seniores erant? an ut societatis vetustas significaretur? Immo transpositum est adiectivum. Corrige: *legionesque veteres ipsas propius Armeniam collocari iubet duosque reges* etc. Opponuntur *veteres legiones* supplementis.
p. 384, 1. Ann. XIII, 9. *Atque illi recentem gloriam* ex Ma. restituendum est. Sensus est: Obsides legatique primum recentem gloriam veteri et senescenti non Corbulonis, non Ummidii, sed quorumlibet praetulere, secundum Pompeii illud dictum, orientem solem adorari, non occidentem, deinde ipsum Corbulonem Ummidio.
p. 389, 8. Ann. XIII, 16. Scribendum videtur cum Duebnero: *quia cibus potusque eius delecti ex ministris gustu explorabatur.*
p. 401, 9. Ann. XIII, 31. Verba *ad retinendam populi fidem* significare vix possunt id quod cum reliquis statui: um den Staatscredit zu sichern. Nec illa pecunia alio consilio in aerarium delata est quam quod superat utque usibus succurreret. Immo superiori versui haec ascribenda sunt: *plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati ad retinendam populi fidem.*
p. 401, 20. *interfectum]* Corrige *interfectus.*
p. 409, 4. *delectaque]* Corrige *deletaque.*
p. 409. Ann. XIII, 41. *tectis hactenus* ex Ma. restituen-

dum. Vide Prolegomenorum eam partem quae est de brachylogia.

p. 411, 14. *defendebant]* Corrige *defendebat.*

p. 423. Ann. XIII, 57. *resistentibus flammis* ex Ma. restituendum, eodem sensu *recedentium* II, 16.

p. 446. Ann. XIV, 24. *plura quam gregario milite tolerante.* Retinendum est *quam*, nec redundare putandum. Subiectum sententiae relativae non plenae *miles* attractione casum mutavit, ut Liv. XXXIV, 32. Vid. Madvig. in Cic. de Fin. II, 3. p. 150.

p. 453. Ann. XIV, 33. *laeti praeda et aliorum segnes]* Suspicor *et proeliorum segnes.*

p. 458, 10. Ann. XIV, 41. *elusurus]* Suspicor *elusuros.*

p. 465, 6. Ann. XIV, 52. *nec bonis a r t i b u s idem virium erat altero velut duce amoto.* Emendandum videtur: *bonis partibus.*

p. 468, 9. Ann. XIV, 55. Sic emendanda haec videntur: *sed in ea i p s e aetate, cuius auctoritas tueretur quicquid illud et qualecunque t r i b u i s s e n t.*

p. 474, 2. Locum conclamatum transpositione sanare mihi videor. Scribe: *Itur et in principis laudes; iamque et palatium multitudine et clamoribus repetitum venerantium complebant.*

p. 477, 26. scr. *ad finem* pro *ad eum finem.*

AD TOMI II. PART. I.

p. 4, 10. scr. C. 1. pro C. 2.

p. 30, 22. scr. C. 31. pro C. 22.

p. 42, 12. illi pro *illi.*

p. 89, 26. Add. C. 11. ante *rebellione.*

p. 96, 18. Add. 22. ante *Vixdum.*

p. 213, 27. scr. *cecississet* pro *cessisset.*

p. 239, 27. add. C. 11. ante *decora.*

p. 249, 31. scr. *municipii* pro *municipiis.*

p. 255, 3. et 33. *verso pondere* non de plumbo intelligendum sed de ipsis hominibus raptis. Primum rapiebantur humo, dein, cum ponderis instar inhaerebant, tollenonis versione et ipsi per sublime vertebantur intra castra, postremo humum effundebantur.

AD TOMI II. PART. II.

p. 14, 25. scr. C. 10. pro C. 11.
p. 15, 36. scr. *corpore* pro *corpores*.
p. 25, 28. scr. *fera* pro *fere*.
p. 26, 39. scr. *vulgatior* pro *vulgatis*.
p. 27, 5. scr. *universis vicis* pro *universis in vicis*.
p. 37, 33. scr. *mulio* pro *medio*.
p. 38, 17. scr. *separantur* pro *seperantur*.
p. 45, 16. add. C. 45. ante *insuper*.
p. 92, 5. dele colon post *satiaverit*.
p. 98, 15. scr. 30. pro 29.
p. 100, 10. scr. *covinarius*, *eques*.
p. 123, 9. scr. *commendatus*.
p. 128, 3. scr. *nostra* pro *nostro*.
p. 130, 15. scr. *aut* pro *uut*.
p. 151, 24. Adde: Et *Coeranus* quidam commemoratur Ann. XIV. 59.

INDEX NOTARUM.

HALIS, TYPIS ORPHANOTROPHEI.